[illegible] 4-3 –

IOANNIS LAVRENTII BERTI

FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI

DISSERTATIONVM HISTORICARVM

QVAS HABVIT

IN ARCHIGYMNASIO PISANO

VOLVMEN III.

QVARTI ET QVINTI SAECVLI

ECCLESIASTICAM HISTORIAM

COMPLECTENS.



FLORENTIAE MDCCLVI.

Apud ANDREAM BONDVCCIVM

PRAESIDVM ADPROBATIONE.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



SAECVLVM ECCLESIAE IV.

CAPVT I.

De Episcopis Romanae Vrbis.

* * * * * * * * *
* * * * * * * *

Methodvm, cui inhaerendum eſſe in trium priorum Saeculorum Eccleſiaſtica Hiſtoria conſtitueram, etiam in poſterum arbitror eſſe tenendam: ſed poſtulantibus compluribus difficiliorum Controverſiarum uberiorem pertractationem, ut ſingulis, quantum ingenioli mei patitur imbecillitas, morem geram, principio tradam eodem ſervato ordine rerum geſtarum enarrationem; deinde diſſertationes ſubiiciam: & ne opus nimium protrahatur, quod priori loco explendum eſſe videtur, non prolixa deſcriptione, ſed Iſagogica quadam Synopſi praemittam.

In Romana itaque Petri Cathedra ſederunt quarto Saeculo *Marcellinus*, *Marcellus*, *Euſebius*, *Melchia-*

des, *Silvester*, *Marcus*, *Iulius*, *Liberius*, *Felix II. Damasus*, *Siricius*, *Anastasius*, *Marcellinus* subrogatus Caio, dicitur coronatus Martyrio xvii. Kalendas Apriles *Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss.* scilicet anno Aer. Vulg. 304. Narratur eius thurificatio, & habitum de hac re Sinvessanum Concilium. Verum S. Pontificis lapsus videtur a Donatistis confictus, & Concilium illud commentitium censetur: Martyrium, quod nonnulli in dubium revocant, comprobant vetusta Martyrologia, & Romanae Ecclesiae traditio.

Suffectus *Marcellus*, qui Episcopatum tenuit usque *post Consulatum X. Maximiani Herculii*, idest, usque ad annum 309. quo obiit inedia, & loci situ confectus in domo Lucinae, quam ipse Ecclesiam, Maxentius catabulum redegerat.

Sedit postea S. Eusebius natione Graecus, qui supremum diem obiit anno 311. in Consulatu *VIII. Maximiani* cognomento Armentarii.

Ad Episcopatus apicem evectus deinde est *S. Melchiades*, aut *Miltiades*, Afer genere. Is Donatistas repressit, absoluto Caeciliano Carthaginensi Episcopo, quem *Traditionis* Sacrorum Codicum insimulabant. E vivis excessit *Constantino Aug. III. & Licinio Aug. III. Coss.* idest, anno 313. mense Decembri.

Rexit deinde Ecclesiam supra annos 21. hoc est, usque ad exitum anni 335. quo plenus meritis obiit *Coss. Iulio Constantio, & Rufo Albino*, S. Silvester Romanus, primus omnium Pontificum ob restitutam Ecclesiae pacem, & libertatem, redimitus corona.

Silvestro *S. Marcus* Filius Prisci,

Marco *S. Iulius I.* successit: quorum primus obiit post menses octo, anno 336. *Coss. Nepotiano & Facundo* die 7. Octobris; alter vero post annos 16. mortuus est die 12. Aprilis in Consulatu *Constantii Aug. V. & Galli Caesaris*, nempe anno 352.

Li.

Liberius Romanus post Iulium praefuit Ecclesiae usque ad annum 366. quo anno *Coss. Gratiano & Dagalaipho* die 24. Septembris migravit e vita. Hunc aliqui ex Pontificum numero excludunt, quod apud Sirmium exul subscripserit formulae Arianorum. At ea formula non damnabat ὁμοούσιον, nec erat expresse haeretica.

Pulso in exilium Liberio ab Imperatore Constantio, & sponte cedente Episcopatui, commissum Ecclesiae regimen *S. Felici II.* qui anno 359. Martyr occubuit. Liberius vero Romam reversus Ecclesiae rursus praeficitur. Plures Pontificatum Felicis oppugnant, quem nos alibi vindicavimus.

Ab anno autem 366. emortuali Liberii usque ad annum 384. exercuit Pontificis Maximi munus *S. Damasus* plurimis virtutibus clarus. Compresso Vrsicini schismate, refutatis falsis criminationibus, Arianis & Apollinaristis damnatis, de Ecclesia optime meritus obiit predicto anno 384. die 11. Decembris, Consulibus *Rechimero* & *Clearcho*. Damaso e vivis sublato gubernavit Ecclesiam *S. Siricius* annis tredecim, obiitque VIII. Kalendas Martias anno 398. *Honorio Aug. IV. & Eutychiano Coss.* Huius, & sequentium PP. recipiuntur Decretales Epistolae; nam praecedentium soppositae, aut saltem dubiae creduntur. Suffectus Siricio *S. Anastasius* Romanus, Maximi filius, qui annis quatuor Romanam gubernavit Ecclesiam, ad coelestem patriam evocatus, *Arcadio V. & Honorio V. Coss.* nimirum anno Aer. Vulg. 402. postcaquam damnaverat errores Origenis, & Rufinum, qui libros περὶ ἀρχῶν latinitate donavit, Romam, ut se purgaret, adire iusserat, & renuenti obtemperare anathema inflixerat.

CA-

CAPUT II.

QUARTO SAECULO CELEBRATA CONCILIA.

PLura quarto Saeculo celebrata fuerunt Concilia, quaedam pro Ecclesiastica disciplina; quaedam adversus haereses, maxime Arianam; quaedam etiam ab iisdem heterodoxis ad eludendas Ecclesiasticas Definitiones.

Concilia primi generis sunt *Eliberitanum* in provincia Hispaniarum Boetica ann. 305. *Cirtense* in Numidia, provincia Africae eodem anno; *Caesariense* in Ponto ann. 316. *Carthaginensia* ann. 390. 398. & 399. *Hipponense* an. 393. In his collapsa Ecclesiarum disciplina fuit Edictis saluberrimis, ac tempori congruentibus Definitionibus restituta.

Adversus Donatistas in Africa plures coactae fuerunt Synodi. Atque in memorata Urbe *Carthagine* duae, una anno 306. altera anno 348. Donatistae etiam factionis suae Synodos congregarunt *Carthagine* anno 308. & 311. nec non *Bagae* in Numidia ann. 394.

Contra Arianam haeresim celebrata fuere, quae sequuntur, Concilia: *Alexandrinum* sub Alexandro Antistite anno 315. Ibidem alterum, cui omnes Episcopi Aegyptii cum Osio Cordubensi interfuerunt, anno 324. Proximo autem anno 325. celebratum fuit celeberrimum *Nicaenum* Concilium primum Oecumenicum in Bithynia. Interfuerunt Episcopi, qui in damnationem Arii consenserunt, 318. praeter Clericorum, aliorumque virorum ingentem numerum. Adfuit & religiosissimus Imperator Constantinus. In hac Synodo Verbum Divinum declaratum est Patri *Consubstantiale*, extinctum Schisma Meletianum, & finita de die Paschatis controversia.

Ni-

Nicaenam Fidem confirmarunt adversus Arianam perfidiam *Concilium Sardicense*, seu *Illyrici*, celebratum praeside Osio anno 347. *Mediolanense* anno 355. in quo Catholici nolentes subscribere condemnationi S. Athanasii pulsi sunt in exilium: *Ariminense* anno 359. in quo Episcopi 400. primum Fidem Nicaenam decreto firmarunt; sed postea fraudibus circumventi, minisque tentati, plures formulae subscripserunt supprimenti *Omousion*. *Romanum Iulii* anno 342. & *Damasi* anno 370. nec non aliud 370. & *Alexandrinum* anno 339. quo S. Athanasii causa discussa fuit, & vindicata innocentia, quemadmodum in *Ierosolymitano*, anno 350.

Eumdem quippe Athanasium Ariani Conciliis Episcoporum suorum coactis non semel deponi, & in exilium detrudi curarunt. Actum id anno 334. in Synodo *Caesareae* in Palaestina: anno 335. in Synodo *Tyria*: anno 336. in *Constantinopolitana* Eusebianorum: anno 341. in *Antiochena*.

Aliis insuper Pseudosynodis aut Ariana perfidia, aut versutia obstitit verae Fidei. Nam in *Sirmiensi* Semiarianorum ann. 351. qua depositus fuit Photinus, nulla *Consubstantialis* facta fuit mentio: in *Sirmiensi* altera anni 357. eadem vox reiecta fuit, atque proscripta; & in *Sirmiensi* tertia, paullo post celebrata, eadem, ut in priori Synodo, callide in Fidei formula omissa est vox Ὁμοούσιον, *Consubstantiale*. Sed Pseudoconcilia hactenus enumeravimus: ad Orthodoxa revertamur oportet.

In Concilio *Caesaraugustano* provinciae Tarraconensis anno 380. damnati fuerunt Priscilianistae: in *Aquileiense* anno 381. Palladius Arianus: in Burdigalensi anno 385. Bonosus: in *Mediolanensi* anno 390. Iovinianus: rursus Priscillianus, & Instantius, in *Capuano*, anno 389.

Lau-

Laudandum est specialiter celebratum anno 381. *Constantinopoli*. Est enim Concilium *Oecumenicum II*. Adfuere Episcopi Catholici 150. & Macedoniani 36. sed hi nolentes adprobare ὁμοούσιον discesserunt ex urbe. Confirmata est in hac Synodo Fides Nicaena: damnata haeresis Macedonii; addita Symbolo verba, quae Spiritus Sancti enuntiant divinitatem. Ad horum intelligentiam necessaria est notitia, quae modo subiicitur, haereticorum.

CAPVT III.

SCHISMATA ET HAERESES QVARTI SAECVLI.

TRia Schismata, praeter excitatum Romae ab Vrsicino sedente Damaso, exorta sunt quarto Saeculo. Ac primum Donatistarum, cuius auctor fuit Donatus a Casis nigris Episcopus in Numidia, ac promotor Donatus alter successor Maiorini in Episcopatu Carthaginensi. Erupit circa annum 311. & sese continuit intra Africae limites. Donatistae, *Circumcelliones*, quod vagarentur, etiam vocati, in sua tantum communione Ecclesiam contineri iactabant, irritumque censebant Baptismum ab improbis administratum.

Schisma alterum fuit *Meletianum* ineunte saeculo a Meletio Lycopolitano, seu Muniensi Episcopo nuncupatum: qui cum in persecutione Maximini immolasset Idolis, e Sede deiectus a S. Petro Alexandrino aram contra aram erexit, discissis Aegyptiorum Ecclesiis.

Tertium *Luciferianum* dictum est a Lucifero Calaritano, qui cum Antiochiae, cuius Vrbis Episcopatum gerebat Meletius, consecrasset Paulinum, an. 362. occasionem praebuit, ut alii Meletio, alii Paulino adhaererent. Ad ordinationem tamen Paulini impulerunt Luciferum Catho-

tholicorum dissidia: neque Lucifer, quem inter Sanctos colunt Sardi, alicuius haereseos aperte convincitur; quamquam Luciferiani quidam traderent rationalem animam gigni ex traduce, & in Cod. Theodosiano Euresius e Secta Luciferianorum vocetur haereticus.

Deteriores autem haereses fuerunt *Arii*, *Macedonii*, *Apollinaris*, *Photini*, *Priscilliani*, *Helvidii*, & *Ioviniani*. *Arius* presbyter Alexandrinus, filius Ammonii, coepit post annum 315. pestilentissimae haeresis propinare venena, affirmans *Trinitatis* Personas pares non esse gloria ac maiestate, sed *Verbum* esse initium creaturarum, expers paternae substantiae, & factum ex non exstantibus. Ad latrinam secedens urgente alvi necessitate animam cum intestinis efflavit anno 336. Inter Arianos vero alii Filium creaturam Patri *dissimilem* asserebant, ut Aetius, Eunomius, Eudoxius: atque hi appellati sunt *Anomaei*; ἀνόμοιος enim idem est, ac *dissimilis*. Alii *similem* quidem, sed non *consubstantialem* dicebant, ut Narcissus, Demophilus, ceterique Episcopi *Semiariani* tertiae Synodi Sirmiensis: a quibus adprobatum est ὁμοιούσιον, *substantia simile*, non probatum ὁμοούσιον, *Consubstantiale*. His accesserunt *Eusebiani*, qui ab Eusebio Nicomediensi partibus Arianorum addicto nomen traxerunt.

Quod Arius de Verbo Dei, *Macedonius* asseruit de Spiritu Sancto, hunc ad conditionem deprimens creaturarum. Macedonius Carthaginensem adeptus erat Episcopatum, cum circa annum 360. coepit disseminare haeresim in Thracia, praesertim in Bithynia, & Asia propagatam. Ei adhaerentes ab illius nomine *Macedoniani*, a dogmate autem, quo Divini Spiritus maiestati bellum intulere, *Pneumatomachi*, ἀπὸ πνεῦμα, καὶ μάχομαι sunt appellati.

Apollinares duo fuerunt, Pater & Filius, Presbyter unus & institutor Grammaticae, alter Rethoricae praeceptor, & in Ecclesia Lectoris functus officio.

Pater Alexandria Berytum, Beryto migraverat Laodiceam; ibique vetiti a Theodoto Episcopo Laodiceno uti consuetudine Epiphanii Sophistae, ne ad Gentilium superstitionem delaberentur; Apollinaris filius id ducens contumeliae loco, novam haeresim condidit imperante Constantio, dogmatizans hominem absque anima assumptum fuisse a Deo Verbo, ac postmodum assumptam quidem animam, sed mente destitutam, cui proinde loco mentis esset idem Verbum. *Apollinaristae* hoc aurumantes dicuntur.

Photinus e Galatia, sed Sirmii in Pannonia Episcopus, & Marcelli Ancyrani discipulus, adhaesit aliquando haeresi Sabellianae: tum addidit Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, neque ante Mariam extitisse: depositus, & damnatus in 1. & in 2. Synodo Sirmiensi. Coepit blasphemias evomere anno 341. obiitque in Galatia anno 377. *Photini* sequaces a Vigilio Tapsensi, & ab Augustino appellantur *Homuncionistae*.

Priscillianus in Hispania ortus familia nobili, ac praedivite, seductus a Marco quodam Aegyptio Gnostico, & Manichaeo, duorum Principiorum, atque fatalis necessitatis errores innovavit, mendacium ac periurium licitum esse tradidit, promiscuas probavit libidines, Sabellianorum fovit deliramenta, ac traducta sub humilitatis specie flagitiosissima vita, Treviris damnatus est capitis anno, ut fertur, 388.

Perpetuam Deiparae virginitatem denegarunt *Helvidius*, & *Iovinianus*. Quorum primus discipulus Auxentii Episcopi Mediolanensis Ariani circa annum 380. vix primis imbutus litteris conscripto libello tradidit Mariam post Domini Nativitatem alios filios ex Iosepho carnali concubitu peperisse. *Iovinianus* vero Monachus Apostata & auditor Helvidii docuit ulterius servandam non esse pudicitiam, nuptias solatia esse ad despumandas libidines, atque meritorum & praemiorum su-

sustulit discrepantiam, damnatus, sedente Romae Siricio, anno 390. & lege Honorii anno 412. quo adhuc superstes conventicula agebat, plumbatis caesus, & in Bubuam Dalmatiae insulam relegatus.

Hae quidem fuerunt praecipuae quarti Saeculi haeresses: sed quasdam alias commemorat Epiphanius, videlicet, *Audianorum* ab Audaeo Syro, qui affingentes Deo humani corporis delineamenta, *Antropomorphitae* sunt appellati ab ἄνθρωπος, *homo*, & μορφὴ, *figura*: *Antidicomarianitarum*, asserentium cum Helvidio Virginem post partum copulatam fuisse viro; unde dicti sunt *Mariae adversarii*; ἀντίδικος enim & *adversarius* idem sonant: *Collyridianorum*, qui Deiparae tamquam numini sacrificabant, nomen sortiti a κολλυρὶς, *Siliginea placenta*, Virgini ab illorum oblata feminis: *Messalianorum* denique asserentium, omissis omnibus aliis operibus, orationi tantummodo esse vacandum, nullumque ex Ecclesiae Sacramentis, Baptismi etiam, & Eucharistiae, percipi fructum. Hos *Euchitas* ab εὐχὴ, *oratio*, & *Enthusiastas* ab ἐνθουσιάζω, *Numine agor*, vel *insanio*, dixerunt.

CAPVT IV.

De Ecclesiasticis Saecvli iv. Scriptoribvs.

Brevitati studentibus locus non est plurimos Saeculi huius distincte recensere Scriptores. Praecipuos itaque, & litteris aeque ac sanctitate celebres laudabimus separatim; tum coacervatim reliquos.

Occurrit primo *S. Athanasius* Alexandrinus, insectator Arianorum acerrimus. Interfuit anno 325. Niceno Concilio, & anno proximo suffectus est Alexandro in Episcopatu patriae suae. Non semel Arianorum ma-

machinationibus coactus est solum vertere, fractusque aerumnis succubuit anno 371. aut sequenti. Exquisitissimis lucubrationibus Arianam haeresim profligavit.

Antonius quoque Aegyptiorum Monachorum parens, claro ortus genere Comae, non procul ab Heraclea an. 252. in solitudinem profectus anno 260. aetatis suae 18. & mortuus anno 357. aetatis suae 105. scripsit sermones quosdam, & perutilia ad Monachos documenta. Quod idem praestitere *Macarii* duo, prior Aegyptius & Antonii discipulus, qui obiit nonagenarius, anno 391. alter incola Nitriensis Eremi, qui centenarius decessit anno 404. necnon *Pachomius* in Thebaide ortus, & auctor Monachorum Tabenesium, in quorum uno Monasterio Ascetae 7040. simul vixerunt, qui decessisse fertur anno 360. Hos vero propter instituti similitudinem una coniunximus.

Sapientia itidem inclaruerunt *Cyrillus* Ierosolymitanus, *Hilarius* Pictavensis, *Zeno* Veronensis, *Eusebius* Vercellensis, *Ephrem Syrus*, & *Pacianus* Barcinonensis. *Cyrillus* in Ecclesia Ierosolymitana ann. 350. successit Maximo, edid itque Catecheses tam ad *Competentes*, quam *Mystagogicas* ad Initiatos. *Hilarius* ob eloquentiam comparatus Rhodano, rapidissimo Galliarum flumini, circa annum 355. creatus Episcopus Pictavorum in Aquitania, exinde Synodis, scriptisque Arianos plurimum exagitavit. *Zeno* Antistes Veronensis, qui fertur martyrium pertulisse circa annum 360. homilias plures conscripsit, sed an illae, quae eius circumferuntur nomine, genuinae sint haesitatur. *Eusebius* Vercellensis in Insubria Episcopus, exilium Fidei causa & aerumnas perpessus imperante Constantio, ad hunc, atque ad Patrophilum Arianum, & ad Vercellenses suos conscripsit epistolas, atque ex Graeco vertit Commentarios Eusebii Caesariensis in Psalmos, nec non Evangelia Matthaei, & Marci: cuius *Versionis* codex ipsius S. Eusebii ma-

manu exaratus Vercellis etiamnum adservatur: Obiit autem & immarcescibilem coronam obtinuit circa annum 370. *Ephrem*, Propheta Syrorum cognominatus, orationes supra mille, hymnosque, & carmina scripsit; obiitque circa annum 378. *Pacianus* decessit anno 390. senex admodum, instituitque scriptis Catechumenos, ac Poenitentes, & refutavit Novatianos.

Generis claritudine, parentum confessione, propriisque virtutibus *Magni* cognomentum adeptus fuit *Basilius* Cappadox, monastici instituti promotor egregius, & Ecclesiae Caesariensis Episcopus. Libanium rhetorum huius saeculi principem eloquentia superavit, haereticos, praesertim Eunomium perstrinxit, Monachos regulis & sanctionibus imbuit, sacras interpretatus est litteras; atque ad coelestem gloriam evocato circa annum 378. parentatum fuit splendidissimo funere, & lacrimis quoque Iudaeorum, Gentilium, & advenarum.

Accedunt *Gregorii* duo, Nyssenus, & Nazianzenus. Ille Basilii Magni frater, iste eidem Basilio amicitia & consuetudine coniunctus. Primus Nissae in Cappadocia Episcopus, refutavit scriptis Apollinarem, Eunomium, & Manichaeos; divinos libros exposuit; orationes & epistolas edidit elegantissimas, & obiit an. 395. *Gregorius* alter Episcopus Nazianzi admodum valuit metro ac soluta oratione, quemadmodum illius scripta cedro digna testantur. Vita functus est Orator & Theologus praestantissimus anno 389.

Haereseon conscripserunt Historiam *Epiphanius*, & *Philastrius*. Ille in *Panario*, huiusque operis *Anacephaleosi*, sive Epitome: iste in libro, cui titulus *de Haeresibus*. Fuit Epiphanius gente Palaestinus, sed Episcopus in Cypro Salaminae, sive Constantiae, diemque supremum obiit anno 402. *Philastrius* vero fuit Italus & Episcopus Brixiensis, obiitque, ut aiunt, anno 387.

Summa laude, & admiratione dignus est Episcopus Mediolanensis *Ambrosius*. Nam cum saecu-

laribus litteris, causisque actitandis dedisset operam, & Aemiliae ac Liguriae gereret praefecturam, inopinato electus Episcopus anno 374. in sacra eruditione adeo profecit, ut libros de Patribus veteris Testamenti, de Testamenti Novi Mysteriis & Sacramentis, de Ministrorum Officiis, in Evangelium Lucae, ac plures varii argumenti epistolas, & orationes, erudite eleganterque exornaverit. Decessit anno 397. pridie Nonas Apriles.

Ceteros eloquentia, scriptorumque copia & delectu superavit *Sanctus Ioannes Chrysostomus*, ortus Antiochiae ad Orontem fluvium circa an. 354. a Flaviano presbyter ordinatus an. 386. locatus in Sede C. P. anno 398. renitente licet Theophilo Alexandrino; multaque huius, & quorumdam aliorum Antistitum, necnon Eudoxiae Augustae causa perpessus; deposuit exuvias mortalitatis in Comana Pontica anno 407. die 14. Septembris. Vt vero eius ad populum Antiochenum, ceterasque Homilias, Orationes de sanctorum Virorum laudibus, libros de Sacerdotio contra Gentiles, contra vituperatores vitae Monasticae, atque in Evangelium Matthaei, in Epistolas Pauli, & in vetus Testamentum lucubrationes laudaremus amplissimas, illa orationis facundia opus foret, quae ipsi peperit *Chrysostomi* appellationem.

De Hieronymo, Augustino, & Paulino Nolano, in quinti Saeculi Synopsi agemus. Iam vero eos, qui sapientia non sanctitate floruerunt, carptim attingimus. Initio saeculi adversus Gentes libros VII. florenti dictione scripsit *Arnobius* Afer, non omnino expers errorum. Gentilium pariter Theologiam in libris *Institutionum* impugnavit *Lactantius* Firmianus Italus, cui & librum de Mortibus persecutorum, aliosque adscribunt. Claruit autem sub Constantino. Versatus est in eodem argumento Iulius Firmicus Maternus, qui circa annum 340. edidit librum *De errore profanarum religionum*. De Ecclesiastica

ſiaſtica Hiſtoria optime meritus eſt Euſebius Epiſcopus Caeſareae in Palaeſtina, ſed de Arianismo ſuſpectus: eique debemus etiam, miſſis aliis, de Preparatione, & de Demonſtratione Evangelica libros eruditiſſimos. Adverſus haereticos certarunt, & in divinos Libros commentaria ediderunt *Titus Boſtrenſis* in Arabia Epiſcopus; qui obiit anno 363. *Didymus* Alexandrinus, Hieronymi & Rufini praeceptor, qui anno 392. exceſſerat aetatis ſuae annum 83. *Victorinus* Afer, qui naturae conceſſit circa annum 270. Evangelicam Hiſtoriam quatuor carminum libris circa annum 330. complexus eſt *Iuvencus* Presbyter genere Hiſpanus.

Praetermitto *Baſilium* Ancyranum, & Tichonium Afrum, Semiarianum unum, alterum Donatiſtam.

C A P V T V.

QVARTI SAECVLI IMPERATORES ET MARTYRES.

INeunte Saeculo IV. *Diocletianum* & *Maximianum Herculium* imperaſſe dictum eſt ſupra. Coepit Diocletianus anno 301. *Coſs. Poſthumio & Nepotiano* ſaevire in milites, anno 303. in *VIII. ſuo Conſulatu* adverſus Chriſtianos. Haec eſt Eccleſiae perſecutio decima omnium crudeliſſima, incepta Nicomediae, ubi Eccleſia everſa eſt VII. Kal. Martias. Omnem fere Orbem *ſacro martyrum cruore infectum* ſcribit Severus Sulpitius: interfecti una die XVII. fidelium millia, & in ſola Aegypto trucidati CXLIV. millia, unde Copti novam Aeram ſubducunt.

Diocletianus, & Maximianus Herculius purpuram exuerunt anno 305. iuxta Baluzium, praecedenti anno iuxta alios, & nuncuparunt Auguſtos, Maximianus Herculius *Maximianum Galerium* cognomento *Armentarium*

rium, quod olim in Dacia pastoritiam exercuisset artem; Diocletianus vero *Constantium Chlorum*. Vterque anno 293. ab Herculio, & Diocletiano adoptati fuerant, & Caesares dicti; nam Chlorus uxorem duxerat privignam Herculii Theodoram, repudiata Helena, ex qua genuerat Constantinum; Galerio autem Maximiano nupserat Galeria Valeria filia Diocletiani. Eadem die, qua Constantius & Maximianus declarati fuerunt Augusti, Caesares creati sunt *Severus* & *Maximinus Daza*; & uterque erat nepos *Armentarii* ex sorore.

Non diu *Constantius Chlorus* regnavit; sed extinctus est Eboraci anno 306. eique *Constantinus* Magnus successit suprema patris voluntate, militumque consensu. Interea Caesareae *Maximinus* persecutionem instauravit compellens omnes sacrificare. Romae autem imperium invasit *Maxentius* Maximiani Herculii filius, qui patrem in Campania commorantem ad imperium rursus evexit. Severo item, qui contra Maxentium ducebat exercitum, apud tres Tabernas occiso, Maximianus Galerius Augustum nominavit anno 308. *Valerium Licinianum Licinium*, & hunc persecutorem crudelissimum Christianorum. Inierunt tum concordiam cum Maxentio Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus; at illum Constantinus anno 312. ad pontem Milvium superavit insigni illa victoria, quam Crucis mirabilis apparitio praesignaverat. Habemus persecutionem saevissimam inceptam sub Diocletiano, & usque ad annum 312. subsecutam.

Singulos recensere in hac persecutione peremptos non vacat; oporteret enim omnia deflorare Martyrologia. Quosdam enumerabimus tamen. Nondum lata erant persecutionis edicta, & Namnetis in Britannia lancea confossi obierunt Rogatianus, & Donatianus germani fratres: Romae Sebastianus Mediolanensis transfixus sagittis; Tarsi abscissum caput Bonifacio, qui

cum

cum Aglae matrona Romana habuerat consuetudinem. Necatos autem in persecutione permultos memorat Eusebius lib. VIII. H. E. & in subiecto libro *De Martyribus Palaestinae*. Ait Nicomediae vario mortis genere affectos Dorotheum, aliosque pueros Imperatoris cubicularios, Gorgonio elisas laqueo fauces, Anthimum Episcopum truncatum capite, innumeros proiectos in mare: In Armenia, in Palaestina, in Thebaide, ceterisque provinciis tanta sacrorum Ministrorum comprehensa est multitudo, & capitis damnata, ut carceres, quibus continerentur, deessent. Illustre fuit Martyrium Phileae Episcopi Thmuitarum, Adaucti Romana dignitate conspicui, Luciani presbyteri Antiocheni, Petri Alexandrini, Felicis Carthaginensis, Theodori Ancyrani una cum septem Virginibus, Romuli cum infante, cuius martyrium describit Prudentius. Inter Martyres Palaestinos celebrantur Procopius, Alpheus, Zacchaeus, Timotheus, Timolaus, Dionysius, Romulus; &c. Passi itidem in Africa Saturninus, Crispina, aliique complures: Alexandriae, Didymus & Theodora: Hadrianopoli, Philippus Heracleensis; Valentiae in Hispania, Vincentius; Emeritae Eulalia; Augustae Vindelicorum Afraantea Meretrix: Amaseae Theodorus & Euphemia: Nicomediae Barbara: Syracusis Lucia: in Achaia Arcadius: Romae Susanna, & Agnes: Foro-Cornelii, seu Imolae, Cassianus: Bononiae Vitalis, & Agricola: Caesaraugustae sub Maximiano Martyres XVIII. Sebastae in Armenia, Blasius, & XL. M. sub Licinio, &c.

Superato, devictoque Maxentio, *Constantinus Magnus* primum cum Licinio, deinde solus imperavit ad annum usque 337. quo Achironae prope Nicomediam obiit XI. Kal. Iunias *Coss. Titiano & Feliciano*: eodemque anno V. Idus Septembris renuntiantur Augusti tres illius Filii, *Constantinus*, *Constantius*, & *Constans*. Diu-

Diuturnior fuit principatus Constantii, quam fratrum: nam Constantinus occisus fuit prope Aquileiam *Coss. Acindino & Proculo*, anno 340. die 6. Aprilis: *Constans* a Magnentio in Galliis interfectus fuit sub initia anni 350. Consulatum *Sergio & Nigriniano* gerentibus: *Constantius* vero obiit *Coss. Florentio, & Tauro*, idest, anno 361. tertio Nonas Octobris. Arripuit tunc Imperium *Flavius Claudius Iulianus* filius Constantii & Basilinae, qui a Christi Fide ad cultum idolorum descivit, *Apostata* idcirco denominatus. Saeviit & is in Christianos ann. 362. cum conflagrasset templum Apollinis in Daphne. Sed Apostata scelestissimus ictu coelitus immisso miserrime interiit die 27. Iunii anno 363. ipsomet *Iuliano IV. & Promoto Coss.*

In persecutione Iuliani martyrio coronati fuerunt Antiochiae Artemius, Alexandriae Gallicanus, Caesareae in Cappadocia Eupsychius, Aretii Donatus Episcopus, & Hilarinus Monachus, Romae Gordianus, & Epimachus, Ioannes & Paulus, Bibiana Virgo, &c.

Extincto Iuliano, Imperator a militibus renunciatus est *Flavius Iovianus*, aliis *Iovinianus*, e Pannonia; & Ioviniano mortuo anno proximo 364. die 17. Februarii successit *Flavius Valentinianus*, eiusque Frater *Fl. Valens* Orienti praefectus; *Gratianus* quoque filius Valentiniani & Severae a patre appellatus est Augustus anno 367. IX. Kal. Septembris. Decessit *Valentinianus* anno 375. die 17. Novembris, eique suffectus est *Valentinianus Iunior*, illius & Iustinae filius, & ex patre frater Honorii. *Valens* occubuit anno 378. die 9. Augusti; *Gratianus* an. 383. die 25. Augusti: *Valentinianus* Iunior occisus est ab Eugenio anno 392. die 15. Maii. Imperarunt tum *Theodosius*, & *Arcadius*: quorum ille filius Honorii & Thermantiae a patre Augustus dictus fuerat ann. 379. *Arcadius* vero filius Theodosii, & Flacillae, a patre consors imperii declaratus est cum Ho-

Honorio. Obiit Theodosius an. 395. die 17. Ianuarii: atque hinc subducitur Arcadii, & Honorii principatus: quorum anno 6. *Coss. Aureliano & Stilicone* desiit quartum Ecclesiae Saeculum. Imperante Honorio, aut Gratiano, ab Hunnis martyrio affectae sunt Vrsula, & aliae Virgines, quarum numerus fidem superat; & forte in Actis pro Vndemilia, *undecim mille* irrepsere. Floruerunt etiam hoc saeculo eximia sanctitate, praeter enumeratos praecedenti capite inter Scriptores, Hilarion & Paphnutius Monachorum patres, Nicolaus Mirensis, Dionysius Mediolanensis, Martinus Turonensis, ac Matronae sanctissimae, Helena mater Constantini, Monnica Augustini parens, & Paula Romana.

Sederunt Alexandriae post Theonam *Petrus*, *Alexander*, *Athanasius*, *Petrus II. Timotheus*, *& Theophilus*. Antiochiae post Cyrillum *Tirannius*, *Vitalis*, *Philogonius*, *Paulinus*, *Eustathius*, *Eulalius*, *Meletius*, *& Flavianus*. Ierosolymis post Zabdam *Hermon*, *Macarius*, *Maximus*, *Cyrillus*, *Ioannes II.*

DISSERTATIONES

IN QVIBVS

QVARTI CHRISTIANI SAECVLI

ECCLESIASTICA HISTORIA

CONTINETVR.

DISSERTATIO I.

DE SACROSANCTA NICAENA SYNODO.

I. SVPERIORIBVS Dissertationibus Evangelicam Historiam expediendam curavimus; & primi, & secundi, ac tertii Ecclesiae Saeculi acta ad Romanos Episcopos, ad Synodos, ad Patres, qui litteris claruerunt, ad Haeresiarchas, & Imperatores, spectantia scripto tradidimus. In ea autem, quam in praesentia Deo auspice adgredimur, Nicaeni Concilii, & Magni Constantini, historicam pertractationem exornare atque exponere deliberavimus. Quum igitur inter Concilia Oecumenica tempore ac dignitate principem teneat locum Synodus magna Nicaena, de hac instituere orationem deliberavi, atque a tempore, quo celebrata fuit, praelectiones, quas adgredimur, auspicabor. CAPVT I.

II. Igitur Nicaenam Synodum celebratam asserimus *Consulibus Paulino & Iuliano, ann. Imperatoris Constantini* 20. *Sylvestri Papae* 12. *Aerae Seleucidarum* 636. *Diocletianeae* 42. *Dionysianae & communis* 325. Auctoritate Synodi Chalcedonensis, Dionysii Exigui, Cresconii, Eusebii Caesariensis, Socratis, & Sozomeni, hanc historicam positionem demonstramus. Atque Chalcedonensis Synodi in Praefatione ad Symbolum Nicaenum haec sunt verba: *Consulatu Paulini & Iuliani Virorum clarissimorum Consulum, anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimo sexto, mensis secundum Graecos Desii die decimonono, quod est* XIII. *Kalendarum Iuliarum in Nicaea Metropoli Bithyniae, &c.* Dionysius autem Exiguus in Epigraphe Canonum Nicaenorum inquit: *Canones trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui Nicaeae convenerunt, Consulatu Paulini & Iuliani Virorum clarissimorum, anno ab Alexandro 636. decimo tertio Kalendas Iulii.* Cresconius item in Canonum Collectione: *Factum est Concilium apud Nicaeam Bythiniae Metropolim a die* 13. *Kalendas Iulias, quod tenuit usque ad octavam Kalendas Septembris, Paulino, & Iuliano Consulibus, Alexandri anno* 636. Eusebius in Vita Constantini lib. IV. cap. 47. ait; *Nicaenus ille conventus triumphi nomine vigesimo Imperii anno constitutus, in* II. *Concilii Nicaeni Epocha.*

ipsa urbe Nicaea, νίκην, idest, praeclaram de hostibus victoriam reportabat: ac Socrates lib. 1. cap. 9. *Quod ad tempus Concilii attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium commentariis constat, Paulino, & Iuliano Consulibus, octavo Kalendas Iunii, anno 636. post regnum Alexandri Regis Macedonum.* Idem Socrates inquit, ipsum Constantinum Nicaeam ad Synodum fuisse profectum, *festo, quod ob victoriam contra Licinium partam celebrabat, peracto.* Constat autem Licinii caedem anno Christi 325. & imperii Constantini 20. contigisse. Sozomenus denique lib. 1. cap. 24. ait: *His rebus a Concilio ad hunc modum decretis, accidit, ut dies festus iam anno vigesimo imperii Constantini vertente ageretur: erat a Romanis in more positum, ut decimo quoque anno Imperii cuiusque Imperatoris diem festum celeberrimo hominum conventu agitarent.* Atque hinc etiam ratio manifesta depromitur; siquidem celebrata est magna Nicaena Synodus eo anno, quo Constantinus Augustus Vicennalia celebravit, atque in iisdem Vicennalibus eadem Synodus fuit absoluta. At Vicennalia Constantini peracta sunt anno Christi 325. siquidem imperii eius annus primus concurrit cum sexto Galerii Maximiani, & Constantii Augusti Consulatu, sive cum anno Vulgaris Aerae 306. Anno itaque 325. celebrata fuit Synodus Nicaena: quod erat demonstrandum.

III. *Proponuntur obiecta.*

III. Militant adversus hanc Epocham quae sequuntur. Primo legitur in Chronico Hieronymi ad annum 321. *Ad Arianorum perfidiam coarguendam Synodus 318. Episcoporum in Nicaeam urbem Bythiniae congregata, omnes Haereticorum machinas Homousii oppositione deiecit.* Quinquennii igitur anachronismus in definita Synodi Epocha reperitur. Praeterea Gelasius Cyzicenus lib. II. cap. 5. huius celeberrimi Nicaeni Concilii mentione facta, *Agebatur*, inquit, *annus regni Constantini sextus decimus, & sextus praeterea mensis, cum haec ab illo summa cura gerebantur.* Annus autem Constantini 16. concurrit cum anno Christi 321. & secundo Crispi Caesaris Consulatu, quo eiusdem Constantini & Licinii peracta sunt Quinquennalia; ideoque confirmatur testimonio Gelasii auctoritas Chronici Hieronymiani. Tertio Sozomenus lib. 1. cap. 16. refert Concilii Nicaeni tempora non ad aetatem Romani Pontificis Silvestri, sed Iulii, scribens: *Iulius Episcopus Romanus aetate ingravescente praepeditus, abfuit: Sed Vitus & Vincentius, eiusdem Ecclesiae presbyteri, pro illo adfuere.* Iulius post obitum Marci, qui decessit die 7. Octobris an. 336. tenuit Pontificatum; & idcirco undecimo postquam a nobis constituta est, primae Oecumenicae Synodi figenda est Epocha. Neque in anno tantum, sed etiam in die, qua primi Nicaeni Praesules convenere, dissentiunt Historici. Etsi enim complures affirmant inchoatam Synodum XIII. Kalendas Iulias, idest die 19. Iunii; Socrates tamen, ut vidimus, coactam ait XI. *Kalendas Iunias*, idest die 22. mensis Maii. Demum & circa tempus, quo Synodus fuit absoluta, nu-

tat

tat historia. Nam praelaudatus Gelasius *per sex annos Patres consedisse* affirmat apud Photium Cod. 88. Auctor ignotus apud Simeonem Metaphrastem & Lippomanum illam *ad triennium cum semestri* protrahendam existimat. Baronius, Pagius, Lupus, aliique, ex Collectione Cresconiana, eodem anno Constantini vigesimo, VIII. Kalendas Septembres Concilium dimissum, absolutumque, pronunciant.

IV. Verum haec omnia castiganda, atque in Auctorum, qui nuper producti sunt, libris, notas numerorum amanuensium oscitantia & incuria falsatas atque vitiatas esse, iamdudum viri doctissimi animadverterunt. Quantum enim ad annum spectat, aperte ille constat ex nota Consulum, ex caede Licinii, ex Constantini Vicennalibus: itemque primam sacri & celeberrimi Conventus diem fuisse decimam nonam Iunii, ac postremam vigesimam quintam Augusti eiusdem anni, ex Dionysio, Cresconio, atque ex tempore Vicennalium, manifeste convincitur; recteque de Constantino scriptum in perantiqua Collectione Conciliorum, *Concilium tenuit usque ad diem* VIII. *Kalendas Septembris*, quemadmodum in Annales Baronii ad Annum 325. num 4. demonstrat illustris Pagius. In scriptis itaque Gelasii Cyziceni pro anno Constantini decimo sexto, annus vigesimus restitui debet, eademque ratione emendari Chronicum Hieronymi; quandoquidem anno Christi 321. nondum stratus erat Licinius, nondum celebrari potuere Constantini Vicennalia, in quorum celebratione idem Imperator Nicaenos Praesules excepit regiis & apparatissimis epulis, ut narrat in eius vita Eusebius. Ex cuius accurata lectione facillimum esset aberrantes a vera Chronologia in viam revocare, nisi iam id praestitissent commemorati, aliique, viri de Historia Ecclesiastica optime meriti. Etiam in libris Socratis, quantum ad diem pertinet, mendum cubare fatendum est: unde doctissimus Natalis Alexander Dissert. 13. Saec. IV. ait: *Error* (apud Socratem) *irrepsit in mense & die; siquidem Iunius loco Iulii; &* XI. *Kalendas loco* XIII. *obtrusus est scriptorum incuria*; & Christianus Lupus in Canones Nicaenos cap. 4. *Errat, aut mendosus est, Socrates dicens factam Synodum* XI. *Kalendas Iunii, necnon apud Simeonem Metaphrastem, & Aloysium Lippomanum Auctor incognitus, dicens, coepisse die quintadecima Aprilis*.

IV. *Ad ea, quae pramissa sunt responsio.*

V. Quid vero asserendum de Hermia Sozomeno, qui Nicaenam Synodum *sub Iulio* celebratam effutiit? Non una ratione scriptor iste refellitur. Ac primum constat ex eodem Sozomeno, cuius verba produximus paullo supra, celebratam fuisse eamdem Synodum anno Constantini Augusti vigesimo, atque paullo ante Vicennalium celebritatem, ideoque sedente Silvestro, cuius Pontificatus ab anno Constantini nono usque ad annum trigesimum, Christi autem 335. perduravit; non vero sedente Iulio, qui ab anno 1. Constantii, usque ad huius annum 16. & Christi 352. Romanam rexit Ecclesiam, ideoque

V. *Emendatur Sozomenus.*

Sozo-

Sozomenus Sozomeno ipso auctore emendatur. Deinde cum Iulius, ut nuper diximus, extremam diem obierit anno 352. ac supremum Pontificatum adierit anno 336. quomodo prohiberi potuit senili & decrepita aetate, ne Synodo, ut inquit Sozomenus, interesset, quum Synodi tempore nec senex esset, nec Pontifex? Recte igitur Hincmarus Remensis Episcopus in epist. 33. cap. 20. Sozomenum carpens aiebat: *Refutanda est falsa opinio, de quorumdam scriptis exorta, quod Nicaenum Concilium tempore Iulii fuerit celebratum, cum constet eamdem sacram Synodum fuisse habitam anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimo sexto, sub Constantino Imperatore, tempore Silvestri Papae, sicut veridicae Chronicae, & Ecclesiasticae Historiae, produnt.*

VI.
Peculiaris alia responsio expenditur.

VI. Me non latet Cardinalem Perronium apud eruditissimum Petrum de Marca lib. v. Conc. cap. 3. num. 8. atque ex his Alexandrum Natalem alteram & benigniorem tradere responsionem, videlicet, in Sozomeni textum pro Ἰούλιος, legendum esse πόλιος, adeo ut, ubi latine habetur *Iulius Romanae Vrbis Episcopus*, Graece vero extiterit, πόλιος δὲ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, *Romanae urbis Episcopus*, quae verba etiam in Silvestrum optime quadrant. Verum utut haec coniectura plausibilis videatur, nullo certo indicio fulciri potest, sed multiplici potius ratione dispungitur; ac primum quidem, quia πόλιος poeticum est, non autem ab Historicis usurpatum: unde illustrissimus de Marca coniecturae Perronii coniecturam alteram addens, pro πόλιος, substituit τῆς πόλεως, & legendum opinatur, πόλεως δὲ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος. At quis non videt maximum πόλεως inter, & Ἰούλιος discrimen, ut qui unum ex altero vocabulo natum putet, desipiat potius, atque nugetur? Deinde nullo vetusto codice, nullo contextu, nullo testimonio Sozomeni error detegitur, ac frustra ubi nullum vulnus apparet, & nativa inest macula, adhibetur medela. Ad haec vero, etiam Nicephorus, cognomento Callistus, historiam conscribens inquit lib. VIII. cap. 14. *sub Silvestro* simul & *sub Iulio* Nicaenam Synodum celebratam. Cur demum solicitudine angimur in recta Pontificum Romanorum Chronotaxi vindicanda in illis Historicis, qui in ea tum quia Graeci, tum quia posterioris aetatis, anachronismos frequentissime admittunt? Sozomeno itaque, Nicephoro, aliisque, de quibus supra, reiectis, definita & fixa est Epocha Nicaeni primi Concilii in anno Aerae Alexandrinorum 636. Christianae 325. Silvestri Papae 12. & Constantini Magni 20.

Quomodo Nicaena Synodus celebrata ſit Anno Graecorum DCXXXVI.

I. EPOCHAM NICAENI CONCILII in ſuperiori capite definiens, celebratum aſſerui anno Vulgaris Aerae 325. ea potiſſimum innixus ratione, quod praeſtantisſimi omnes Hiſtorici coactum dixerint anno Alexandri Macedonum Regis 636. cum praedicto Communis Aerae concurrente. At quomodo concurrant, ſimulque utriusque Aerae anni componantur, Chronologicus nexus eſt, non iniectis, ut aiunt, unguibus, ſed arduo labore, & numquam, niſi praemiſſis explanatisque Magni Alexandri, & Seleuci, Aeris, ſolvendus: quod modo, cum huic, aliisque compluribus, difficultatibus enodandis apprime ſit neceſſarium, pro mea virili praeſtabo. Priori autem loco oppoſita momenta proponam, tum Aeras illas definiam, ac poſtremo praemiſſas oppoſitiones refellam. CAPUT II.

II. Videtur itaque annum Aerae Vulg. 325. nequaquam coincidere poſſe cum anno Alexandri 636. Primo, quoniam ſi huiusmodi anni 636. ſupputentur ab eo tempore, quo idem Alexander electus Graecorum adverſus Perſas Imperator contra Darium Codomannum caſtra movit, atque in Aſiam tranſmittens, poſuit monarchiae ſuae fundamenta, eumdemque Darium ad Granicum amnem in Phrygia illuſtri conflictu devicit: id contigit ex Diodoro lib. 18. Plutarcho, Curtio, aliisque aſſentientibus, anno 3. Olimpiadis CXI. quam peculiari ratione Hiſtorici Α'νολυμπιάδα vocarunt. At prior annus Olympiadis CXI. eſt annus Per. Iul. 4380. Vrb. C. 420. ante Aeram Chriſtianam 334. ideoque annus 636. Alexandri incidat neceſſum eſt in annum Aerae Chriſtianae 302. non 325. Si autem Aerae Alexandri ſtatuantur initia ab eo anno, quo memoratus Darius perſequentem Alexandrum ipſum poſt direptam Perſepolim, regiamque incenſam, fugiens, a Beſſo fuit nefario turpidiſſimoque parricidio interfectus, ut litteris mandarunt Diodorus, Plutarchus, & Curtius: compertum eſt univerſis Chronologis, id rei conſignandum eſſe anno P. Iul. 4384. V. C. 424. ante Vulgarem Aeram 330. ſive anno primo *Periodi Callippi*; a quo ſupputatus annus 636. non in annum Chriſti 325. ſed in annum 306. impingere invenietur. Computentur autem anni Alexandri ab anno, quo apud Babylonem fato, quod Chaldaei vates praenuntiaverant, miſerrime interiit. Mortuus eſt Alexander ann. 1. Olymp. 114. P. Iul. 4390. V. C. 430. ante Aeram Dionyſianam 324. poſtquam regnaverat a morte Philippi (qui inter Ludos Macedonicos occiſus eſt a Pauſania anno 1. Olymp. CXI. ante Aeram noſtram 336.) ex Diodoro, Arriano, Plutarcho, Curtio, Euſebio, aliisque, annos 12. ac menſes ſeptem. Ab anno vero obitus Alexandri II. *Oppoſitiones*.

dri

dri 324. ante Christum, anni 636. computati, in anno Christiano 312. invenientur completi. Quare undecumque anni Alexandri Macedonis supputentur, nequit annus 636. ipsius Alexandri concurrere cum anno Aerae Christianae 325.

III. *Explicatur Epocha Seleucidarum.*

III. Pendet harum oppositionum solutio ab explicatione Aerae Seleucidarum, quam pro Aera Alexandri, sive pro Aera Graecorum, tum Auctores sacrae Machabaeorum Historiae, tum Scriptores, quos externo die laudavimus, ceterique fere omnes adhibuerunt. Pro cuius Aerae Seleucidarum intelligentia, memoria repetendum est, nullum ab Alexandro moriente designatum fuisse imperii sui successorem, etsi annulum Perdiccae dederit, apud quem summa aliquandiu viguit potestas. Macedonibus itaque in varias partes distractis, anno 12. post mortem Alexandri P. Iulianae 4402. V. C. 442. ante Aeram Christ. 312. Seleucus Babylonem invasit, atque inde Antigoni Duce Nicanore expulso, in ditionem suam Mediam, Susianam, ceterasque regiones, redegit. Hinc ergo supputanda est Aera Seleucidarum, quam aliqui *Dhilkarnaim* appellarunt, aliqui autem notiori vocabulo *Aeram contractuum*. Dicta est vero Aera *Dhilkarnaim*, quoniam Alexander Iovis Hammonis filius haberi voluit, & duobus cornibus arietis (quo symbolo Hammon colebatur) eius, & successorum eius exprimebatur imago. Atque ita Aera Alexandri, Aera Seleuci, Aera Dhilkarnaim, coepit pro una eademque obtinere.

IV. *Initium eiusdem Epochae demonstratur.*

IV. Profecto Aeram Seleucidarum inchoandam anno 442. V. C. & 312. ante Aeram Christianam, demonstratur 1. auctoritate Eusebii, qui in Chronico ad annum 1. Olymp. 117. ait, *Hoc anno regnum Syriae, Babylonis, & superiorum locorum, nascitur*: atque lib. VIII. Demonstrat. Evang. cap. 11. *Cum Seleucus Babylonem cepisset, Asiae sibi diadema circumdedit, anno post Alexandri mortem* 12. Accedit Flavius Iosephus, qui in 1. contra Apionem, sermonem instituens de Hecataeo Abderita, qui cum Alexandro enutritus fuit, inquit: *Meminit praelii, quo circa Gazam Ptolemaeus conflixit cum Demetrio, quod utique contigit duodecimo anno post mortem Alexandri, Olympiade vero septima & decima atque centesima, sicut refert Castor.* Occasione autem belli, quod Ptolemaeus Lagi filius Demetrium apud Gazam superavit, Seleucus eiusdem Ptolemaei auxiliariis copiis adiutus Babylonem invasit. Ex his autem ita Aera Seleucidarum statuitur: Haec Epocha figenda est anno 1. Olymp. 117. P. Iul. 4402. duodecim post obitum Alexandri. At annus 1. Olymp. 117. &c. est annus 312. ante Aeram Christianam: Igitur ann. 312. ante Aer. Christianam, &c. Deinde stabilitur Aera Seleuci iis, quae de anno Synodi Nicaenae praemisimus. Enimvero celebratam ostendimus Coss. Paulino & Iuliano, anno Christi 325. Graecorum vero, ut Act. II. inquiunt PP. Chalcedonenses, 636. Ab anno ergo Graecorum, sive Seleucidarum 636. abscindantur anni Christianae Aerae 325.

ac

ac residuus erit annus 311. aut 312. quo temporis intervallo Epocha Seleucidarum vulgarem ac Dionysianam praecessit. Demum hoc Aerae Graecorum initium confirmatur eruditissimorum Chronologorum consensu: nam Cl. Petavius lib. XIII. de Doct. Temp. ad ann. 312. ante Christum inquit: *Aera Seleucidarum, sive Dhilkarnaim, ab hoc anno incipit. Hanc liber 1. Machab. a Nisan huius anni, posterior a Tisri incipit.* Card. Norisius Diss. 2. de Epochis Syromacedonum: *Epocha Seleucidarum ab initio principatus Seleuci Nicatoris apud Babylonum eruditos Chronologos colligitur ab Autumno, anno P. Iulianae* 4402. *a primo Olymp.* 117. *ab V. C.* 442. *ante Aeram Christi* 312. *Cyclo Lunae* 13. *Solis* 6. Similiter Iacobus Vsserius, Vallemontius, Langlet, & alii.

V. *Diversa annorum Seleucidarum initia.*

V. Etsi vero doctissimus Norisius ait, colligendam Epocham Seleucidarum ab Autumno, quod vir praestantissimus etiam demonstrat ex numis Imperatoris Hadriani, Antonini Caracallae, aliisque Cimelii Medicei; recte tamen Petavius animadvertit, Auctorem lib. 1. Mach. annos Graecorum enumerare a mense *Nisan*, & a verno tempore; Auctorem vero 2. libri ab Autumno, atque a mense *Tisri*, a quo cum & segetes omnes collectae, & peracta vindemia, novisque Colonis locanda sint praedia, fortassis haec Aera appellata est *Epocha contractuum*: ideoque & nos paullo supra diximus primum annum Aerae vulgaris esse 311. aut 312. Aerae Seleucidarum propter diversa eiusdem anni principia. Ad hunc modum nulla est contradictio, quod initium regni Demetrii in 1. libro Machab. cap. 7. statuitur *in anno centesimo quinquagesimo primo*; *in* 2. autem lib. cap. 14. *in anno centesimo quinquagesimo*, quoniam Demetrius anno V. C. 592. ut scribit Polybius Ecl. 107. clam dilapsus ab urbe, ad quam a patre pro Anthioco Epiphane obses missus fuerat, in Syriam veniens paternum regnum recuperavit. Est autem annus Vrbis 592. 162. ante Christum, & 150. Aerae Seleucidarum. Atque ex his corruunt momenta initio producta; siquidem dum PP. Chalcedonenses, & Historici dixerunt, Synodum Nicaenam celebratam fuisse anno Graecorum 636. non ab interitu Philippi Macedonis, non ab expeditione Alexandri, non ab huius morte, sed ab initio regni Seleuci, qui & Alexander, & Dhilkarnaim dictus est, annos enumerarunt, sive usi sunt Epocha Seleucidarum.

VI. *Solvitur alia obiectio.*

VI. At enim dicet aliquis: Ioannes Harduinus docet, Aeram Seleucidarum coepisse cum principatu Seleuci, non in Babylone, sed in Syria. Refellit aperte hanc opinionem praecitata dissert. 2. Norisius, demonstrans ex Diodoro Siculo lib. XX. eodem anno Syriam & Phoenicem obtinuisse Antigonum, quo anno Ptolemaeus devictus fuit a Demetrio, idest anno 2. Olympiadis 118. Seleucum vero superiorem Syriam occiso Antigono in ditionem suam redegisse anno 4. Olymp. 119. qui concurrit cum anno 301. ante Aeram Christianam. Itaque Se-

Seleucus ann. 1. Olymp. 117. ante Christum 312. Babylonem superavit, eodemque anno Demetrius Ptolemaei copias fudit. ac Ptolemaeo in Aegyptum regresso, Antigonus Syriam occupavit: atque hinc incipit Aera Seleucidarum. Anno autem 4. Olymp. 119. ante Aeram Christ. 301. Antigonus & Demetrius cum Seleuco, Lysimacho, & Cassandro pugnarunt; occiso autem Antigono, ac Demetrio in Graeciam fugiente, Seleucus Syriae potitus est, condiditque urbem Antiochiam. Constituto autem initio Aerae Seleuci in ann. 1. Olymp. 117. ante Christum 312 constat, annum Aerae Christianae 325. quo celebratum fuit Nicaenum primum Concilium, esse annum 636. Aerae Seleucidarum, seu Graecorum; quod erat demonstrandum.

Ostenditur, Nicaenam Synodum fuisse celebratam Anno XX. *Imp. Constantini.*

CAPUT III. I. Bene, sapienterque, PP. Synodi Chalcedonensis, Eusebium, Gelasium Cyzicenum, aliosque Historicos praestantissimos, consignasse Magni Nicaeni Concilii Epocham in anno 636. Graecorum, superior Exercitatio nostra demonstrat. Videndum modo, num recte a nobis constituta sit eadem Epocha ***anno Constantini Imperatoris vigesimo***: nam si verum est, quod in v. de Emendatione temporum affirmat Scaliger, initium Imperii eiusdem Constantini alligandum esse anno Ch. 307. VIII. Kal. Octobris, necessaria consecutione deducitur, vigesimum ipsius imperii annum in Aerae Vulg. 326. non vero 325. ut nos affirmavimus, incidisse: quod ut quisque vestrum diiudicet, de Aera Constantiniana me hodierna die differentem aequo lubentique animo patiatur.

II. *Sententia Josephi Scaligeri.*

II. Vt itaque recta procedamus methodo, oppositas sententias recitabimus: certam seligemus; refutabimus ceteras. Scaliger, ut dixi nuper, ab anno Christi 307. imperium Constantini auspicatur. Innititur autem hisce momentis. I. Inquit Constantius Chlorus pater Constantini, anno praedicto 307. idest, anno 2. Olymp. 271. vita functus est, atque ex eo tempore nonnullis quoque mensibus interiectis, idest, ab octavo Kal. Octobris Constantinus iniit imperium. Male itaque eiusdem imperii initia in superiorem annum 306. aut 305. referuntur. II. Eusebius iuxta Pontacii editionem Constantini initia statuit anno Abrahami 2322. ac 3. Olymp. 371. At Annus 3. Olymp. 371. est annus Aerae Christianae 307. igitur anno Aer. Chr. 307. exordia imperii Constantiniani figenda sunt. III. Idem Eusebius inquit, Constantinum imperium cepisse anno quarto persecutionis Diocletiani; annus autem 4. persecutionis Diocletianeae est annus Christi 308. qui annus est primus Constantini, sive cum primo Constantini

con-

concurrit ab VIII. Kal. Octobris anni 307. quoniam anni Eusebiani ab Autumno inchoantur. Haec sunt argumenta Scaligeri.

III. At Dionysius Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. cap. 37. ait, Constantium Chlorum obiisse an. Christi 305. quarto mense, ac sexto mense eiusdem anni Constantinum imperium coepisse. I. Quoniam Aurelius Victor inquit, *Constantio Chloro annuum duntaxat fuisse Imperium*, posteaquam Diocletianus & Maximianus imperare cessarunt. At Imperatores Diocletianus & Maximianus, unus Nicomediae, alter Mediolani, purpuram deposuere, privatamque vitam agere coeperunt anno Christi 304. Kalendis Aprilis. Anno igitur proximo 305. Constantius Chlorus ex hac vita migravit; alioqui non unius anni, sed biennii, fuisset Constantii regnum post purpuram a Diocletiano & Maximiano depositam. II. Persecutio Diocletiani, inquit Petavius, coepta est anno 302. circa festum Paschatis, ideoque annus 4. eiusdem persecutionis, quo anno Constantius interiit, iniit a mense Paschali anni 305. III. Socrates eiusdem Constantii obitum consignat anno 1. Olymp. 271. qui annus necessario cadit in annum Christi 305. IV. Eusebius de Vita Constantini lib. IV. cap. 53. enumerat imperii eius *annos duos & triginta*, paucis exceptis mensibus. Igitur quo anno decessit, (decessit autem die 22. Maii anno Christi 337.) inchoandus erat imperii illius annus 33. ideoque primus annus ab anno 205. procedit. III. *Momenta Dionysii Petavii.*

IV. Etsi haec plausibilia videantur, asserendum est tamen, Constantium Chlorum obiisse *anno 2. Olymp. 271. Aerae Christianae* 306. VIII. *Kalendas Augusti*, ut docent Cardinalis Norisius in Dissertatione de numismate Licinii, Antonius Pagius ad praedictum an. num. 7. Henricus Valesius in Adnotat. ad Eusebium & ad Socratem, Tillemontius not. 9. in Constantinum, aliique recentiores Chronologi; imo & Baronius, quique huius presserunt vestigia, ad ipsum annum 306. ac tertium Marcelli. Atque id probatur 1. ex Fastis Idacianis, in quibus Constantius Chlorus dicitur vita functus *Galerio Maximiano Aug.* VI. *& Constantio Aug.* VII. *Coss.* VIII. *Kal. Augusti*. Nam huiusmodi Consulatum incidere in annum Christi 306. nemo unus in dubium revocat. Deinde demonstratur ex lapide Patavino, & Parmensi, atque ex Inscriptione Gruteriana, in quibus Constantinus dicitur, TRIBVN. POT. XXIIII. IMP. XXII. COS. VII. Atqui Constantinus gerebat Tribun. Potest. 23. & Consul. 7. anno Christi 328. siquidem anno 329. dictus est *Consul. VIII.* Igitur in annum 306. (cui anno si 22. imperii addantur, resultat ann. 328.) initia imperii Constantiniani sunt retrahenda. Praeterea Nazarius in 2. Crispi & Constantini Consulatu, idest, anno Christi 321. habuit Panegyricam Orationem in eorumdem Caesarum Quinquennalibus. Agebat itaque Constantinus anno 321. *quintumdecimum annum imperii sui*, ideoque istud ab anno 306. inierat. Eodem anno 321. Por- IV. *Vera sententia definitur.*

phyrius Optatianus iisdem Votis quindecennalibus celebratis, de Constantini Magni Vicennalibus, & Crispi, & Constantini iunioris Decennalibus ait,

Sancte pater, rector superum, vicennia laeta
Augusto, & decies crescant solemnia natis:

quibus item perspicuum est, anno Christi 321. Constantinum iniisse annum imperii sui 15. Praeterea omnium consensu obiit Constantinus Titiano & Feliciano Coss. anno Christi 337. die 22. Maii, in solemni festo Pentecostes. Mortuus est autem anno imperii sui 31. sive cum regnasset annos 30. ac menses decem, ut inquit Eusebius in Chronico. At ut anni 30. ac menses decem incidant in annum Christi 337. & in mensem Maii, necessum est ut inchoentur ab anno 306. & a mense Iulio: Igitur anno Ch. 306. mense Iulio, quo mortuum diximus Constantium Chlorum, arripuit Constantinus imperium.

V. *Resp. argumentis Scaligeri.*

V. Reliquum est, ut respondeamus argumentis oppositis, Scaligeri primum, tum Petavii. Ad primum ergo Scaligerianum, negamus, Constantium obiisse anno Christi 307. quum ex Fastis Idatii compertum sit, migrasse illud ex hac *vita Coss. Maximiano & Constantio VI.* idest, anno 306. die 25. mensis Iulii. Ad alterum respondemus, Eusebium in Chronico consignare obitum Constantii anno Abrahami 2322. & iuxta editionem Scaligerianam ann. 2. Olymp. 271. iuxta editionem autem Pontacii, anno 3. eiusdem Olymp. quoniam Eusebiano more annus 1. Olymp. 271. incipit ab Autumno anni 304. iuxta communiorem computum a solstitio anni 305. ideoque annus proximus 306. est annus 2. Olymp. 271. quo anno decessit Constantius Chlorus. Ad 3. reponimus, persecutionem Diocletiani coepisse anno Chr. 33. non autem praecedenti, idque constare ex Lactantio de mortibus Persecutorum, qui persecutionis initia refert ad *Consulatum VIII. Diocletiani Augusti & VII. Maximiani.* Quare illustris Pagius ad annum 302. num 3. inquit: „ Non tantum Baronius, sed & Petavius in libris de doctrina temporum, aliique plures viri docti, persecutionis Diocletianeae initium in hunc annum contulere. Verum liber Lactantii de mortibus Persecutorum controversiam tandem diremit, & Valesii sententiam certam esse ostendit. Is in notis ad lib. VIII. Eusebii eam anno tantum sequenti coeptam adeo solide demonstravit, ut mirum mihi acciderit, post eius Notas in lucem emissas, inventos fuisse, qui contrarium senserint. „ Haec Pagius. Collocato autem initio Persecutionis in anno 303. sequitur, mortem Constantii, ac primum annum principatus Constantini concurrentem cum anno 4. eiusdem persecutionis, incidere in annum Christi 306. ideoque Scaligerianis argutiis sententia nostra non evertitur, sed fulcitur ac roboratur.

VI. Idem

VI. Idem prorſus argumentis Petavii conficitur. Quorum primum ſupponit, Diocletianum, & Maximianum Herculium, cum ferre non poſſent libertatem populi Romani, abdicato principatu, vitam privatam anno Chriſti 304. fuiſſe amplexos. Sed licet haec fuerit Cl. Virorum ſententia; conſtat tamen ex Faſtis emendatiſſimis anno Chriſti 305. ac Perſecutionis 3. Galerium Maximianum quinto Conſulem prodiiſſe, adeoque hoc anno ineunte nondum purpuram dignitatemque conſularem ab eo poſitam: quod cum eodem decurrente anno contigerit, recte Aurelius Victor imperium Conſtantii proximo anno 306. demortui coarctavit ad annum. Quod ſequitur de anno Perſecutionis quarto ſolutum eſt paullo ſupra; ſiquidem non anno Chriſti 302. ſed an. 303. coepiſſe perſecutionem Diocletianeam vix modo ab eruditorum quopiam negatur. Id, vero quod doctiſſimus Petavius addit de Socrate, quamfacillime eliditur, ſi animadvertamus, eumdem Socratem iuxta multorum Orientalium conſuetudinem a menſe Septembri auſpicari annum 2. Olymp. 271. & idcirco VIII. Kal. Auguſti anni Chriſti 306. nondum fuiſſe exactum iuxta Socratis Chronologiam eiusdem Olympiadis annum primum. Ad poſtremum denique petitum ex lib. IV. Euſebii de Vita Conſtantini, obvia & expedita reſponſio eſt, hunc locum ex ipſomet Euſebio in Chronicis eſſe emendandum; cumque Conſtantinus imperaverit annos 30. ac menſes 10. ex eodem Euſebio, Rufino, Socrate, aliisque; conſequens eſt in cap. 53. ubi legitur, *Duos igitur & triginta annos (extra paucos menſes & dies) cum imperio fuit*, emendandum eſſe, *unum & triginta*, niſi ſimul comprehendi dicas annum illum, quo Conſtantius Chlorus cum Galerio Maximiano regnavit. Atque ita ſolvuntur argumenta Petavii, qui tamen communem, noſtramque ſententiam aperte non reiicit: enimvero lib. XI. de Doctrina Temp. cap. 38. ait: *Praeter unum Scaligerum, omnes ferme anno 306. mortuum eſſe Conſtantium, & Conſtantinum imperare coepiſſe, ſentiunt. Quod etſi nequaquam improbamus, cauſas tamen nonnullas habemus, quae dubitationem ſaltem iniicere poſſunt.* Sunt autem hae cauſae momenta, quae diſcuſſimus, ac refutavimus. Atque lib. XIII. ad ſextum Conſulatum Conſtantii & Maximiani Armentarii, ſive ad annum Chriſti 306. haec idem Petavius: *His Coſs. diem functus eſt Conſtantius, ait Idatius, & poſtea levatus eſt Conſtantinus, ac vulgo idem annus a pleriſque ſtatuitur, a quo diſſentire nolumus.* Conſequitur autem ex dictis, primum annum Conſtantini conſignandum eſſe anno Chr. 306. 2. Olymp. 271. ideoque annum 325. quo celebrata fuit Magna Nicaena Synodus, fuiſſe annum imperii Conſtantini vigeſimum: quod erat demonſtrandum.

VI. *Reſp. argumentis Petavii.*

De

De Synodi tempore, & loco.

CAPUT IV. I. MAGNI NICAENI CONVENTUS, quantum ad annum attinet, Epocha definita, de die, qua incepit, & absolutus est, necnon de loco, in quem Patres convenere, instituenda est oratio; bonisque, ut aiunt, avibus diem illam investigare statim adgredimur.

II. *Quando incepta Synodus.* II. Difficile est autem, sive ex historicis monumentis, sive ex Conciliorum Actis, primum sacri Senatus in unum coacti diem definire; siquidem Historici invicem discrepant, Acta vero Nicaena magno Christianae Reipublicae detrimento perierunt. Ergo inchoatam Synodum, ait Metaphrastes, die undecima Maii: Graecorum permulti inceptam putant die eiusdem mensis 29. proptereaquod in Menologiis eadem die scriptum sit, ***Commemoratio SS. Patrum, qui in urbe Nicaea primam Synodum adversus Arium celebrarunt***. Cresconius die 14. Iunii, alii vero complures 19. eiusdem mensis habitum priorem Synodi congressum asseruerunt. Huic vero sententiae pollice utroque subscribimus. Enimvero PP. Concilii Chalcedonensis Actione II. priorem Synodalem congressum celebratum aiunt ***mensis secundum Graecos Desii die nono decimo***: quod recte in Collectione Conciliorum vertitur, VIII. *Kalendarum Iuliarum*, quum mensis Syromacedonicus, sive in annis Graecorum Alexandreis, Desius nuncupatus, sit idem ac Iunius. In Collectione item Cresconiana legimus eadem die XIII. *Kal. Iul.* Synodum fuisse inchoatam: idemque tradiderunt Dionysius Exiguus in Epigraphe Canonum Nicaenorum, Ven. Beda in Opusc. de sex mundi aetatibus, atque maioribus praetermissis, Cardinalis Baronius, & Antonius Pagius, ad ann. 325. illustris Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. cap. 43. Christianus Lupus Dissert. de Nicaena Synodo cap. 4. aliique propemodum innumeri; quorum multitudo & celebritas hanc nobis ratiocinationem suppeditant. Aliqua in re Historicis discrepantibus, ea opinio seligenda est, quae ampliori fulcitur auctoritate; sed opinio asserentium, primum in Nicaea Urbe Synodalem Conventum habitum XIII. Kal. Iulias sive 19. die mensis Iunii, ampliori ac robustiori auctoritate fulcitur: Igitur &c.

III. *Quando absoluta?* III. Diximus de Synodi principio; nunc de eius duratione pertractabimus: Qua in re allucinatum existimamus illustrem Photium, qui ex ignoti cuiusdam scriptoris, Alexandri nomine, schedis in Bibliotheca Cod. 256. ait finitam Synodum post triennium, quod & Graeculis aliis in mentem venerat, ut liquet ex Actis Metrophanis a Card. Baronio laudatis. Atque eumdem errorem amplexus est Scaliger scribens dimissam Synodum anno Christ. 327. quando Vicennalia

nalia Constantini celebrata fuerunt. At facile exploditur hoc de triennali Concilio commentum. Primo ex nota unius Consulatus, idest, Paulini & Iuliani, huius Synodi epocha designatur, ideoque eodem anno dimissa est, quo primum convenit. Deinde in Collectione Cresconiana legitur „ Factum est Concilium apud Nicaeam Bithyniae Metropolim a die XIII. Kal. Iulias, quod tenuit usque ad VIII. Kal. Septembres.„ Praeterea Eusebius lib. III. de Vita Constant. Socrates lib. IV. H. E. cap. 45. & Sozomenus lib. I. cap. 24. dimissam Synodum aiunt in Vicennalibus eiusdem Constantini, quae Nicomediae anno 325. die 25. Augusti celebrata fuisse, ex Fastis Idatianis, Onuphrius Panvinius, Baronius, Petavius, & Norisius demonstraverunt. Scaligeri autem allucinationem superiori capite refutavimus. Quare de tempore Synodi, anno, mense, ac die definitis, nihil est quod addamus.

IV. De loco itaque dicendum modo, quem fuisse Nicaeam Bithyniae Metropolim omnes affirmant: sed plura sunt tamen, quae de eodem loco possunt inquiri. Ac primum occurrit nomen urbis, quod victoriam significat: unde Eusebius de Vit. Constant. lib IV. cap. 47. ait: *Civitas Bithyniae, quae Nicaea dicitur ἀπὸ τῆς νικῆς idest victoria, Concilio celebrando admodum idonea designata fuit.* Sunt autem Nicaeae nomine urbes permultae, nimirum in India, quam aedificavit Alexander Macedo, de qua Diodorus; in Insula Corsicae, quae a Nicio Etruriae rege traxit cognomen, ut Strabo Ptolemaeus, ac Plinius tradiderunt; in Italia apud Varum a Massiliensibus constructa, ut litteris tradit Paulus Diaconus lib. III. de Gestis Langobardorum; in Thracia, atque in Europae finibus, cuius meminit S. Hilarius in Fragmentis, in Illyrico prope Dyrrachium, in Galliis item, & alibi apud Geographos; Nicaea demum, de qua in praesentiarum, olim a parente suo Antigono Philippi filio Antigonia, deinde vero a Lysimacho in uxoris suae gratiam Nicaea nuncupata, Bithyniae in Asia provinciae caput, Thraciae & Constantinopoli opposita, ad lacum Ascanium, in quadro posita, sexdecim stadiorum, duo etiam sc. milliaria, plus minus, habens extensionis, aeris salubris, sed aliquantulum crassioris. Haec adnotamus propter eamdem causam, ob quam Anastasius de octava Synodo disserens inquit: *Proprium nomen huius rite quaerimus Synodi: nam si hydrae & hyppocentaurorum, qui non sunt, utique nomina dicuntur; quanto congruentius huius Synodi nomen sciri debet, ne videlicet nomine carens comparetur rebus in maris profundo positis, quae quidem sunt, sed quia ad notitiam hominum non pervenerunt, hactenus nomine carent.* Vt ad Nicaeam urbem revertatur dissertatio, sunt qui putant immerito illam appellari *Bithyniae Metropolim*, quoniam Act. XIII. Synodi Chalcedonensis definitum est, iura Metropolitani Episcopi spectare ad Eunomium Nicomediensem, non autem ad Anastasium Nicaenum

IV. *Quo in loco Synodus coacta.*

caenum

taenum; sed sciendum est, Nicaeam fuisse veram Bithyniae Metropolim, Nicomedem vero Bithyniae regem Astacum urbem exornasse, suo ex nomine Nicomediam dixisse, regiaque dignitate in illam collata, Nicaeam ex priori conditione excidisse: neque enim novum est & civitates, & regna, & familias, ex principatu redigi in servitutem.

V.
An in sacra aede, vel regia in aula?

V. At enim, qua in parte urbis celebrata fuit magna Synodus? Eruditissimus Lupus praecitato cap. 4. inquit, *Actiones Synodales non in Ecclesia, sed in amplissima Palatii aula factas, testantur Eusebius, Theodoretus, & Sozomenus*. Et revera Eusebius lib. III. de Vita Constantini cap. 10. ait: „ *Singuli parati erant in ipsa media regalis Palatii aula, quae amplitudine ceteris facile praestabat, illud celebraturi: ac compluribus sedibus in utroque aulae latere ordine dispositis, qui erant accersiti intus praesto fuerunt, & sedem, quae quemque decebat, capiebat quisque.* „ Similia Theodor. lib I. cap. 7. & Sozomenus lib. I. cap. 18. At S. Stephanus Martyr, qui sub Constantino Copronymo passus est, quemadmodum legitur in eius Vita latine reddita a Iacobo Billio, sacra in aede habitam Synodum testatur his verbis: „ *Quid? an non sex omnia Concilia in sacrosanctis Templis coacta sunt? Primum nimirum in Nicaeae Metropoli, atque in amplissimo urbis illius Templo?* „

VI.
Sententia nostra proponitur.

VI. In hac opinionum discrepantia placet mihi mediam quamdam inire viam, & in regia aula discussiones & colloquia, in templo autem definitiones & canones promulgatos asserere. Et quod ad colloquia & praehabitas dissertationes attinet, id primo affirmandum censeo propter praedictorum Historicorum, maxime Eusebii, qui praesens adstitit, haud contemnendam auctoritatem. Deinde cum disputationes permultae Catholicos inter & Arianos, aliosque schismate & haeresi ab Ecclesia segregatos, habendae forent, iisdemque interesse vellet Imperator Augustus nondum Sacramento baptismatis initiatus, nec particeps mysteriorum; opportunum minime erat in templo, domo scilicet communionis & orationis, fieri huiusmodi concertationes. Insuper id manifestum est ex verbis Sanctissimi Antistitis Serapionis ad Philosophum Arrianum, quem mirabili eventu refutaverat „ *Si credis haec esse vera, surge, & eamus ad Dominicum, & fidei signaculum suscipe* „ : quae utique extra *Dominicum*, sacramque aedem dicta fuerunt. Ceterum in templo canones, definitiones, & decreta solemni ritu palam edita affirmo tum ob Stephani martyris apertissimam assertionem, tum ob ingens illud miraculum, quo Nicaea urbe ingenti terraemotu concussa, omnibus aedificiis penitus dirutis, Metropolitanum templum nullam passus est iniuriam; id, quod ob propugnatam eo loci aeterni Verbi divinitatem, factum tradunt Maenologia Graecorum die 26. Octobris, & praestantissimi Historici ad annum Christi 740. Videtur de-

nique

nique sententia haec nostra conformis Eusebio eodem lib. III scribenti: *Templum etiam Nicaeae, velut Dei nutu amplificatum, intra parietes suas Syros pariter, & Cilices, Phoenices, Arabes, & Palaestinos, Aegyptios porro, Thebanos, Afros, aliosque ex Mesopotamia profectos recepit, &c.* Atque haec de tempore & loco Synodi dicta sint.

Caussae celebrandi Nicaeni Concilii.

I. Bene habet: Magnam Nicaenam Synodum indictam celebratamque fuisse anno Constantini Augusti 20. Silvestri Romani Pontificis 12. Aerae Diocletianeae 42. Consulibus Paulino, & Iuliano, ostendimus superioribus praelectionibus. Nunc definito tempore, causa, ob quam praedicta Synodus coacta fuit, sese offert examinanda. Fuit autem haec causa triplex, videlicet, vetus de celebrandi Paschatis die controversia, nefarium Meletii schisma, atque pestilentissima haeresis Arianorum: de quarum prima paucis agendum est modo, alias duas in sequentibus prosequemur. CAPVT V.

II. Nonnullas Orientales Ecclesias, Ephesinam praesertim, eique conterminas, Azymorum solemnitatem, & dominicam resurrectionem die, quae lunam 14. mensis Nisan consequitur, celebrandam esse, sub Hygino & sub Victore Papa ex maiorum traditione contentiosis animis existimasse, demonstrat secundi Ecclesiastici Saeculi Historia. Ad Victorem usque cum Asiaticis Romana Ecclesia, quae ab Apostolorum aetate in proximum diem Dominicum praedictam solemnitatem transferre consueverat, hortante gloriosissimo Smirnensium Episcopo, & Ioannis discipulo, Polycarpo, qui sub Aniceto Romam venerat, pacem, & communionem servavit: Victor coacta Romana Synodo Anno Christ. 198. ubique terrarum, non ad lunam primi mensis decimam quartam, sed ad consequentem Dominicam die Paschale festum indixit; atque Polycrati Ephesiorum Antistiti, ceterisque minoris Asiae Praesulibus cum eo sentientibus, intentavit anathema. Agente tamen officiosissimis litteris S. Irenaeo Lugdunensi Episcopo ac Martyre, memoratus Pastor Romanae & universalis Ecclesiae excommunicationem, quam vel inflixerat, vel comminatus tantum fuerat (de hac enim re, ut vidimus alibi, Historici eruditique viri nequaquam consentiunt) rescidit, revocavitque; unde variis in varias partes abeuntibus, usque ad Nicaenae Synodi aetatem perseveravit dissidium. Forte aliquis nunc inquiret, cur Asiae Episcopi adeo pugnaciter haererent Iudaicae consuetudini, ut nec intentatum anathema formidarent: cur illorum morem Romana Ecclesia improbaret; cur demum in tanta oppositione doctrinae pax, unitas, & communio servarentur. II. *Causae recensentur.*

III. *Asianorum traditio.*

III. Itaque Asiani traditionem Apostolicam in suae opinionis patrocinium obtendebant. De qua traditione in Synodo Ephesina, cui praefuit Polycrates, apud Eusebium lib. v. H. E. cap. 23. haec leguntur: „ *Nos diem Paschatis integre & incorrupte recolimus, neque addendo quicquam, nec detrahendo. Etenim hic in Asia obdormierunt praeclara illa Ecclesiae lumina, quae quidem in die adventus Domini, quando cum gloria & maiestate e coelis venturus est, omnes Sanctos excitaturus, denuo resurgent. Philippum dico, unum e septem Diaconis, qui Hierapoli exiit e vita, & duas eius filias, quae virgines ad summam senectutem manserunt, & alteram illius filiam, quae Spiritus Sancti adflatu inspirata vitam pie traduxit, & Ephesi obiit in Domino. His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit, qui sacerdos fuit, qui laminam auream gestavit, qui Martyr, & doctor exstitit, qui tandem Ephesi morte sopitus occubuit. Quid Polycarpum commemorem, qui Smyrnae Episcopus & Martyr fuit?* „ Deinde vero eadem in Epistola Synodica laudantur Thraseas Episcopus Eumeniae, Melito Sardicensis scriptor eximius, Sagaris Martyr & Laodicensis Antistes, quem Romanum Martyrologium die 6. Octobris adpellat discipulum Pauli Apostoli, & Papyrius, cuius sedes ignoratur; atque haec verba subiiciuntur: „ *Isti omnes diem Paschatis decimo quarto die Lunae ex Evangelii praescripto observarunt, nihil ab eo instituto ac more plane digressi; sed secundum regulam & normam fidei illum assidue tenuerunt.* „ Mitto quae ex hoc Asiaticae Synodi fragmento colligi possunt de sacrarum virginum continentia, quam heterodoxi temere irrident, exemplo filiarum Philippi comprobata: de insigni Episcopalis verticis ornamento, quod innuit aurea Ioannis Lamina, atque de eiusdem beatissimi Evangelistae in urbe Epheso morte, quam nonnulli sacrorum Evangeliorum interpretes revocarunt in dubium: haec, inquam, praetermitto; atque pro Asiatico more ratiocinationem istam conficio: Ea in Paschate celebrando praeferenda ac tenenda est consuetudo, quam pervetusta institutio, Evangelicum institutum, & Apostolicorum virorum commendat exemplum; Atqui ut Pascha luna 14. celebretur, &c. Ergo consuetudo, quae in Asia viguit, & quam Polycrates in Ephesina Synodo confirmavit, praescribens Paschatis celebrationem luna 14. mensis primi, tenenda est, & oppositae consuetudini praeferenda.

IV. *De Traditione Ecclesiae Romanae.*

IV. Sed pro Romanae Ecclesiae more, atque consuetudine, militant longe validiora momenta. Quorum primum est, quod ritus Iudaici, qui typus erant futurorum, cuius generis fuit Agnus luna 14. immolandus, ab Ecclesia Catholica arcendi sunt; & quemadmodum ceremonias reliquas, maxime si iis aliqui ad inducendum errorem abutantur, ita lunae 14. observationem debemus eliminare aut abiicere, ne videamur adsentiri vel Iudaeis, vel Ebionitis, vel utro-

rumque

rumque fermento corruptis Valentinianis; quibus sedente Victore Papa adhaerentes Florinus & Bastus presbyteri, teste Theodorito lib. 1. H. E. cap. 23. in ipsa urbe Roma, praefocatas haereses praetextu celebrationis Paschatis excitare atque instaurare tentarunt. Deinde Ecclesiae Romanae, quam nulla unquam haeresis labefactavit, nunquam antiquus serpens pestifero halitu contaminavit, Ecclesiarum ceterarum consuetudinibus traditionem praestare, demonstrat S. Irenaei in 3. adv. haereses libro, Tertulliani de Praescript. atque Vincentii Lirinensis in celebri Commonitorio, Canon notissimus ac probatissimus. Praeterea vetustae illius Traditionis fulcimentum est maximum, quod ubi S. Pontifex Anicetus agnovit morem in Asiaticis Ecclesiis vigentem, insistere coepit, ut secum in eamdem sententiam conspirantes illum exsuerent & antiquarent, etsi Romam adveniente Polycarpo, ut scribit de Viris Illustribus S. Hieronymus, nil definitum fuerit servata Ecclesiarum concordia. Ab eodem tamen Aniceto coactam Romanam Synodum, in eaque veterem & Apostolicam traditionem discussam, colligitur ex Libello Synodico vulgato per Henricum Iustellum, cui tamen emunctarum narium subactique ingenii Critici fidem derogant. Ad haec Theophilus Alexandrinus, imperante Severo, Synodum coegit, memoratam ab Eusebio lib. v. H. E. cap. 25. in qua annuentibus Episcopis Tyri, Ptolemaidis, & quotquot erant in Palaestina, statuerunt semper Pascha celebrandum esse Dominico die, *ex Apostolorum successione gradatim ad eos deducta*. Victor Romanus Pontifex idem, ut supra diximus, in Episcopali Conventu sancivit; S. item Irenaeus cum aliis tredecim Galliarum Episcopis illud idem constituit; Concilium aliud Episcoporum 18. in regione Abiadenorum collectum a Palma, seu Plasma; atque aliud celebratum a Bacchylide Sanctissimo Corinthiorum Antistite idem decrevit. Quid ergo? Romana Ecclesia omnium aliarum magistra, Alexandrina a Marco Evangelista fundata, Corinthiaca edocta a Paulo, Palaestina ex Iudaeis ad Christum conversis veterem Hebraeorum morem abiecerant, idque ut legem abrogatam ostenderent, ut adytum praecluderent Ebionaeis, ut recolerent Domini resurrectionem. Non ergo debebant Asiatici rationabiliori & universaliori consuetudini pugnaci animo obsistere.

V. Iure tamen meritoque pax & unitas custodita. I. Quoniam haec quaestio spectabat ad disciplinam, haud secus ac controversiae de ieiunio Sabbati, de Azymo ac Fermentato, de Ritibus sacramentorum, de Liturgiis, sacrisque indumentis, ob quorum diversitatem nequit caritas violari, nequit unitas scindi. II. Quoniam ex praelaudata Ecclesiarum Asiae traditione constat, Apostolos alia aliis Ecclesiis instituta dedisse, pro ut locorum ac temporum postulabat conditio, facta Pastoribus ea immutandi facultate, dummodo regula dogmatum una, inconcussa, & inviolata, permaneat. III. Quia Ro-

V. *Cur in diversitate sententiarum custodita communio?*

C 2 mani

mani Pontifices numquam Asiaticis denegaverant communionem; unde cum Victor vellet in ipsos anathemate animadvertere, compescuit eius animum S. Irenaeus his verbis :„ *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiae, cui tu iam praees, praeficiebantur, Anicetum dico, Picma, Hyginum, Telesphorum, Xyxtum, licet neque ipsi hoc festum eo die, quo Episcopi Asiae observarent, neque aliis post se ita observare permitterent; nihilominus tamen cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in quibus ita observabatur, ad se accedentibus pacem inter se & concordiam perpetuo retinuerunt, ac numquam propter istum varium illius Festi observandi modum fuerunt ulli aliquando ab Ecclesia eiecti. Sed presbyteri illi, qui te anteiverunt aetate, tametsi minime illud ita observabant, iis tamen Episcopis, qui in aliis Ecclesiis idem sic observabant, Eucharistiam miserunt. Atque cum beatus Polycarpus, Aniceto Episcopatum administrante, Romam adventaret, cumque ille & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata &c.* Sed de priori caussa dictum satis superque.

De Schismatis Meletiani origine.

CAPUT VI. I. PRiori caussa convocandae Nicaenae Synodi exposita in superiori ac postrema velitatione, altera spectans ad Schisma Meletii praesentem praelectionem expostulat; in qua me rectam methodum servaturum confido, si eiusdem Schismatis auctorem, caussam, & initia proponam.

II. *De Meletio.* II. Schismatis igitur Meletiani auctor, ut vel ipsum nomen commonstrat, fuit Meletius Lycopolitanus Episcopus, atque Metropolita Thebaidos, appellatus ab Epiphanio hom. 68. *ceteris Aegypti Episcopis antecellens,* quae de tempore consecrationis, non de iure Patriarchatus, accipi debent, cum Epiphanius ibidem Meletio secundum a Petro Alexandrino locum adtribuat. De eodem Meletio scribit Theodoretus lib. 1. H. E. cap. 8. *Meletius non multo ante, quam Arii furor erumperet, fuerat Episcopus ordinatus.* Et quidem Arius Meletianis partibus adhaesit, eamdemque ob caussam a Petro excommunicari promeruit, quod ante annum Christi 310. quo Petrus gloriosum martyrium subiit, necessum est contigisse.

III. *Opinio S. M. Epiphanii refertur.* III. Exorti schismatis caussam memoratus Epiphanius hanc fuisse tradit, quod in Diocletiani & Maximiani persecutione, quae exorta est Diocletiano Aug. VIII. & Maximiano Aug. VII. Coss. nempe anno Christ. Aerae 303. Diocletianeae 20. cum Petrus & Meletius, una cum ingenti Confessorum ac Martyrum multitudine Alexandriae iussu Praesidum carceribus detinerentur, plures autem Christiani sup-

supplicia invicto constantique animo subirent, nonnulli formidine mortis ac terrore perculsi a fide deficerent; Meletius zelo inflammatus, rigidusque veteris disciplinae custos, negabat lapsos ad poenitentiam & ad communionem esse recipiendos: contra Alexandrinus Antistes maxima praeditus humanitate, singularique clementia veniam illis ultro libenterque inpendendam esse adfirmabat; adeo ut (verba sunt Epiphanii) *Petri quidem oratio ad pietatem & clementiam spectaret, Meletii vero, & fautorum eius, susciperet veritatis, ac divini ardoris patrocinium*. Quae utique si vera forent, laudandus potius videretur Meletius; neque ipsi, sed Petro, esset origo schismatis adscribenda. Verum ab Epiphanio recedendum est, conflatique schismatis caussa alia afferenda, quam dicimus hanc fuisse, quod Meletius idolis sacrificans, & Maximino Caesari persecutionis praebens incitamenta, meruit a Sanctissimo Alexandrino Episcopo eiici, & communione privari; unde Meletius Petrum probris ac maledictis incessere, res novas moliri, Ecclesiam commovere, sibimet adhaerentes non Christianos, sed Meletianos appellare, & altare contra altare erigere, temere audacterque ausus est. Testis S. Athanasius, qui Apologia 2. inquit „ *Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Aegypti nominatum, multis convictum criminibus, & in primis quod idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit: Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit, adeo ut illius sectatores etiam nunc pro Christianis Meletiani vocentur*. „ Testis Socrates, cuius lib. 1. E. H. haec sunt verba: „ *Meletius Civitatis cuiusdam in Aegypto Episcopus, a Petro Alexandriae Episcopo, qui regnante Diocletiano mortem obierat martyrio, cum multis aliis de causis, tum maxime, quod tempore persecutionis fidem inficiatus idolis immolaverat, Episcopatus munere abdicatus est. Qui cum esset abdicatus, compluresque haberet, qui ipsius dicto essent audientes, illis, qui ab illo usque tempore ad hodiernum diem Meletiani vocantur, ducem haeresis se praebuit, & cum nullam iustam excusationem aut causam adferre posset, cur se ab Ecclesia separasset, verbo tantummodo adfirmavit factam sibi esse iniuriam, Petrumque maledictis figere, & conviciis lacerare coepit*. „ Testis Theodoretus, qui lib. 1. H. E. cap. 8. haec litteris tradidit: „ *Meletius a S. Petro Episcopo Alexandrino, cui corona fuit donata martyrii, ob quasdam nefarias opiniones refutatus est, & Episcopatu abdicatus. Abdicationis non acquievit sententiae, sed Thebaidem, & ei finitimam Aegyptum tumultu, & contentionum procellis, complevit, & tyrannidem contra Primatum Alexandrinum exercuit*. „

IV. Haec quum ita sint, ad S. Epiphanii narrationem respondendum est, aliquo Meletianorum scripto fuisse deceptum: quod non

IV. *Respondetur Epiphanio.*

non solum productis testimoniis evincitur, verum etiam aperta ac manifesta ratione suadetur. Enimvero S. Petrus in Alexandrina Synodo, de qua postmodum, severiorem erga lapsos constituerat disciplinam, ut incredibile prorsus sit molliori indulgentia nondum poenitentia functos recipiendo, in Meletium iniquam pronuntiasse sententiam; cumque esset morum probitate, ac veritatis studio notissimus, fieri non potuit, ut palam mentiretur, dum ad fideles Mesopotamiae epistolam illam conscripsit, in qua haec exstant verba: „ *Dolor magnus, & solicitudo angebat me pro populi mei salute, ne forte aliquis subverteretur a praedicatoribus falsis: amplius enim, quam sexcenti sexaginta viri de clericis vel laicis anathematizantes ritum Gentilium, in carcerem detrusi diversa sustinuerunt supplicia, & coronam Martyrum meruerunt: quorum ego victoriam audiens, laetus adoravi Dominum Deum meum, qui eos confirmavit, & in numero martyrum suorum elegit. Mihi vero quanta ostensa sint in Lycaonia ab haereticis, credo, quia nec vos latet: quomodo Meletius Christianorum gregem ab Ecclesia separavit, pro quo Dei Filius animam suam posuit, & effudit Sanguinem pretiosum: adversus quem Meletius impie repugnans, sanctos Episcopos, ac religiosos viros in carcerem claudebat, cogens illos praevaricari. Comperi autem, quod idem Meletius contra me multa mala testificetur, ut amplius Tyranni Maximini furor excitetur, & me interficiat.* „

V. *Inquiritur Schismatis initium.*

V. Postrema vero S. Episcopi ac Martyris verba Meletiani schismatis exordia commonstrant, eaque ad initia imperii Maximini esse referenda declarant. Maximini autem Epocha est huiusmodi. Posteaquam Diocletianus & Maximianus sese abdicarunt principatu, & Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armentarius renunciati fuerunt Imperatores (quod Cap. III. factum diximus anno Christi 305.) Constantius Gallias & Britannias, Maximianus autem Orientem, Italiam, & Africam suscepit administrandam; creavitque iste Caesares duos, Severum, & Galerium Maximinum, sororis suae filium, Dazam antea vocatum, quem Orienti praefecit, Severo Italia commissa. Atrocissimam statim in Christianos movit Maximinus persecutionem, anno scilicet 306. quo Constantius Chlorus Eboraci decessit, atque ad imperii fastigium evectus est Constantinus. Praedicto igitur anno, Maximino iubente, Petrus ac Meletius ab Alexandriae & Aegypti Praefectis, Hierocle & Culciano, in carcerem coniecti fuerunt; ac Meletius idolis turificans a Petro privatus est Ecclesiastica communione. Hinc exortum conflatumque Meletii schisma: cuius initia recte ad eumdem annum 306. referri demonstratur ex 1. Oratione S. Athanasii adversus Arianos, in qua haec prope finem leguntur: „ *Erat iampridem malitia, & calumnia Meletianorum omnibus nota, nec impietas Arianorum, Deoque infesta haeresis usquam obscura fuit: neque enim parum temporis intercessit; nam*

illi

illi ab hinc ante quinquagesimum quintum annum schismatici facti sunt; isti vero ante trigesimum sextum declarati sunt haeretici & ab Ecclesia semoti, idque iudicio Synodi universalis. „ Scribebat haec Athanasius anno 361. tunc enim fluxerant a Synodo Nicaena, & damnatione haeresis Arianae 36. anni: ab hoc autem termino, sive ab anno 361. subtractis annis 55. occurret nobis annus 306. in quo idcirco erupit, conflatumque est Schisma Meletianum. Quare adposite Cl. Petavius lib XIII. de Doctr. Temp. ad annum P. Iul. 5019. Aerae Diocletianeae 23. Christianae 306. Constantini 1. descripto Africano schismate Donatistarum, qui Maiorinum adversus Caecilianum Carthaginiensem Episcopum intrudere moliti sunt, inquit: *Sub idem tempus alterum schisma in Aegypto conflatum est a Meletio Lycopolitano Episcopo; qui a Petro Alexandrino propter crimina depositus ab eo descivit*: Atque haec de schismatis Meletiani Auctore, origine, ac tempore.

De Actis S. Petri Episcopi Alexandrini.

Caput VII.

I. Commemoravimus iam, dum a nobis Meletiani Schismatis describeretur origo, S. Petri Alexandrini Episcopi, ac Martyris Acta, quibus Meletium damnavit, eiecitque, & segregavit a fidelium communione. Atque id quidem propter beatissimi Athanasii testimonium, communemque Historicorum omnium adsertionem revocari nequit in dubium. Sed alia iisdem in Actis leguntur, ac praesertim visio quaedam de Ario paullo post enarranda, quorum causa spuria & adulterina eadem Acta ab aevi huius Criticis praestantissimis existimantur. Quare in id incumbam modo, ut primum referam Actorum illorum synopsim, deinde producam momenta quibus discutiuntur, ac tandem propugnem vindicemque ipsorum auctoritatem.

II. *Actorum Synopsis.*

II. Continetur hisce in Actis, Petrum post Theonam virum sanctissimum Alexandrinam Ecclesiam rexisse, ac Meletium ob idololatriam, aliaque crimina communione privasse, simulque Arium Meletianis foedere coniunctum interdixisse ab Ecclesia, quem postea resipiscentem rursus excepit, ordinavitque diaconum. At cum rursus Arius ad Meletianos defecisset, tametsi Catholicam communionem dolose fraudulenterque affectaret, noluit cum illo Petrus humaniter agere, & paullo ante martyrium Achillam, Alexandrum, omnemque Alexandrinum Clerum obtestatus est, ut eumdem Arium perpetuo a se abiicerent ac segregarent. Ait, latentem esse hominis dolum, omnemque impietatem excedere: visum sibi nuper, dum preces ad Deum funderet, venustum, sed moerentem iuvenem, qui linostimo indu-

indutus erat colobio, a collo ad talos usque discisso, tenebatque gemina manu colobii scissuras, easque ad pectus suum adplicabat, quasi propriam tegeret nuditatem. Exclamanti autem Petro, & sciscitanti, quisnam indumentum illud scidisset, responsum a iuvene, *Arius mihi scidit: cave omnino ne illum in communionem recipias*. Postera autem die promulgato de nece Pastoris huius Alexandriae impiissimi Galerii Maximini rescripto, quamquam immensus fidelium numerus, indigne ferens quicquam in ipsum adtentari, ciere tumultus, atque in arma ruere paratus esset; ille tamen clanculo egressus sese militibus dedit, ductusque ad locum, qui Bucula ab incolis dicebatur, ubi & Marcus fertur consummasse martyrium, carnifici cervicem praebuit VI. Kal. Decembris, quum sacra quaedam virgo divino afflata numine praenuntiaverat dicens, *Petrus initium Apostolorum, Petrus finis Episcoporum martyrum Alexandriae*. Amputato S. Martyri capite, Christiani accurrentes, irarum obliti, officii memores, sacro pignori circumfusi, prehensare caput ipsum abscissum, exosculari, colligere guttas sanguinis, corpori ipsum caput aptare, induere gloriosum Antistitem sacerdotalibus indumentis, colobio, & homophorio, in sede beati Marci, quam numquam prae humilitate conscenderat, collocare, indeque sublatum humeris gestantes, triumphali pompa, manibus victrices palmas, ardentesque ceros habentes, ac thuribula odoribus incensis fumantia, concinentes sacros victoriae hymnos, unguentis ex more delibutum honorificentissime sepulturae mandarunt. Sedit vero S. Praesul annis 12. tres in pace, novem vero persecutionis postea excitatae temporibus. Haec Actorum summa: unde colligimus, Petrum ab anno 299. usque ad annum 310. Alexandrini Episcopatus curam gessisse.

III. *Eorumdem Actorum veritas.*

III. In iisdem Actis, quae Critici quidam cum Alexandro Natali, Viro alioqui doctissimo, ad supposititia, & ad spuria amandant, nescio quid naevi insit, quid labis: Numquid a veritate aberrant eius post Theonam Episcopatus, eiusque martyrium, & chronologica supputatio? Nil istic, quod veritati adversetur. Ait enim Eusebius in Chronico: *Alexandrinae Ecclesiae sextus decimus post Theonam Episcopus ordinatur Petrus, qui postea nono persecutionis anno martyrium perpetravit: atque in Martyrologio* Adonis Viennensis, aliisque, haec leguntur: *Sanctus Petrus duodecim annos in Alexandrinae Urbis Episcopatu exegit, quorum tres ante persecutionem, reliquos vero novem sub diversis tentationum generibus duxit: cumque semper in omni agone persecutionum positus, se arctioribus vinculis continentiae distringeret, satisque vigilanter extra omnem sacerdotii curam diebus sudaret & noctibus, nono persecutionis anno, Episcopatus vero sui duodecimo, martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit*. Neque visio Petri de Ario Christi vestem scindente incredibilis est, cum illam Romana etiam Ecclesia die 26. Novembris commemoret, futuramque

que Arianae perfidiae tragoediam biennio antequam exoriretur istiusmodi ostentis Antonium quoque Monachorum parentem fratribus praemonstrasse, auctor est in eius Vita beatissimus Athanasius. In funere autem Martyris quidnam, obsecro, praestitit officii, pietatis, ac religionis populus Alexandrinus, quod tanti Praesulis merita, Ecclesiae Catholicae ritus, debitusque martyribus honor minime postularent? Perperam itaque Acta, de quibus instituitur oratio, inter spuria & adulterina amandantur.

IV. Verum non uno, neque infirmo prorsus ariete praedicta Acta impetuntur; & adversus illa multiplici genere argumentorum certatur. Principio, inquiunt, si quae narrantur de S. Petri visione, certa essent atque explorata, ea utique Ario S. Alexander, & S. Athanasius exprobrassent, ac tanti momenti vaticinium Haeresiarchae sceleſtissimo impudentissimoque obiecissent: quod cum laudati Praesules non fecerint, apparet, memoratam visionem falsitatis & suppositionis esse suspectam. II. Quod habetur iisdem in Actis, S. Petrum interpellasse Achillam & Alexandrum, ne Arium ad communionem admitterent, a vero distat quammaxime; neque enim Achillas, cuius sanctitatem doctrinamque commendat Orat. I. contra Arianos Athanasius, spreto Petri consilio, & mirabili ea visione posthabita, Arium praesbyteri honore ac munere decorasset. III. Testantur eadem Acta, Petrum in Persecutione Diocletiani subiisse martyrium, cum ab anno 305. Diocletianus & Maximianus se principatu imperioque abdicaverint, Petrus autem Martyrium perpessus sit anno 310. IV. Evincitur eorumdem Actorum suppositio ex eo quod testentur, a Petro excommunicatum fuisse Arium propter haeresim adversus Verbi divinam substantiam; cum tamen haec haeresis primum eruperit sub Alexandro, Ario iam presbytero, ut constat ex Ecclesiasticis monumentis, atque excommunicationis fulmen Ario fuerit inflictum propter Schisma Meletianum; ut diximus sup. cap. Tandem afferunt Acta, fideles voluisse condere Corpus S. Petri post martyrium *εἰς τὰ Θεώνα*, idest *in Ecclesia Sancto Theonae sacra*; quod illinc falsum deprehenditur, quod Memoriam Ecclesiamque Theonae aedificari curaverit S. Alexander Achillae successor. Non una igitur nota suppositionis in laudatis Actis deprehenditur. **IV. *Oppositiones.***

V. Haec tamen facili negocio eliduntur. Alia sunt enim S. Petri Alexandrini Acta, quae leguntur apud Surium die 26. Novembris, & Graece ac Latine in Auctario Combefisii, & quae iudicio Leonis Allatii, Henrici Valesii, aliorumque doctissimorum virorum, studio Simonis Metaphrastis elucubrata fuerunt: in quibus fatemur quaedam a veritate aberrantia irrepsisse: cuiusmodi est collocatio Heraclae Episcopi Alexandrini post Dionysium, & Maximum; & alia sunt Acta ab iis diversa, quae ex Graeco exemplari latinitate donavit Anastasius Bibliothecarius, laudata a Cardinali Baronio ad an- **V. *Responsio.***

num 310. pro quorum auctoritate certamus. Qua adnotatione praemissa, ad priorem oppositionem respondemus, argumentum esse negans, roborisque nullius, praesertim cum Alexander & Athanasius Ario exprobrasse non legantur Visiones Antonii Abbatis, & cum haeresiarcha Scripturarum sanctarum auctoritate, & Apostolica traditione pugnarent; immo nec opportunum esset ea commemorare, quae Arius infensissimo sibi hosti, eiusque irato animo, ac malevolentiae tribuenda esse dixisset: quamquam nec omnia servata sunt scripto, quae Fidei propugnatores in conventu haereticorum egerunt. Ad oppositionem alteram ita respondet Eminentissimus Annalium Pater: „ *Verum in Achilla nimia animi facilitas ab aliquibus reprehenditur; utpote qui contestationum praedecessoris sui Petri martyris oblitus, Arium poenitentiam simulantem, & callida arte sese in eius amicitiam insinuantem, non reiecit, ut commonitus erat, sed accepit, fovit, atque honoribus auxit, ut inter alios Sozomenus testatur his verbis: Ubi vero Petrus martyrio occubuerat, Arius, venia ab Achilla petita, non solum permissus est fungi diaconatu, verum etiam ad presbyterii gradum elatus est.* „ Quae apud Sozomenum leguntur lib. 1. H. E. cap. 14. Tertium uno verbo exsufflatur; nam in genuinis Actis traditur, damnatum fuisse Petrum *Rescripto Maximini*: tametsi non repugnat, ut dicamus S. Martyrem passum in Persecutione Diocletiani, quatenus persecutio ab eodem Diocletiano anno 302. fuit excitata: nam omnes Historici cum Eusebio lib. VIII. & Severo Sulpitio lib. II. affirmant, desiisse persecutionem Diocletiani anno decimo, nempe anno Christi 312. quamvis ex eodem Eusebio in Chronico Diocletianus & Maximianus purpuram deposuerint anno persecutionis secundo. Ad quartum dicimus, in Actis quidem adulteratis & spuriis, & non in genuinis; legi Arium a Petro excommunicatum propter haeresim, & revera a Petro propter schisma Meletii, ab Alexandro autem *nova intercedente haeresis caussa* fuisse eiectum & communione privatum, ut Orat. 1. contra Arianos ait Athanasius: aut fortassis S. Petrus primo propter schisma anno 306. ac rursus propter haeresim paullo ante martyrium excommunicavit Arium, ut in sequentibus demonstrabitur. Ad postremum dicimus, in Actis latine redditis ab Anastasio haberi sepultum S. Martyrem in Coemeterio a se constructo, quo & S. Theonae corpus translatum fuerat, idque significari illis verbis εἰς τὰ Θεόνα, quae tamen non exstant in illis Actis, quae hactenus propugnavi.

De

De genere, moribus, scriptisque Arii.

I. QVae diximus in praecedenti Capite de Actis gloriosissimi Alexandrini Episcopi ac Martyris Petri, eiusque in Arium anathemate, ac mirabili discissae Christi vestis seu colobii visione, ea ad agendum de ipso per universum orbem famosissimo Haeresiarcha viam sternunt, aditumque adaperiunt. Verum cum nequeant quae de illo promenda sunt, unica exercitatione expediri, subiit animus primum ad examen vocare: Quisnam fuerit idem Arius, qua praeditus indole, & quae ediderit scripta, reliquis ad eum spectantibus ad proximas praelectiones reiectis. CAPVT VIII.

II. Arius itaque, cuius nomine furorem, bellique gerendi effrenem cupidinem significari animadvertit Orat. 20. S. Gregorius Nazianzenus, necnon Alexander Episcopus Alexandrinus, in quadam ad Constantinopolitanum Antistitem Epistola scribens, fuisse illi inanem gloriam cum furore coniunctam, quod vel ipsum nomen praesefert; Arius, inquam, videtur compluribus ignoti fuisse generis; quoniam Epiphanius h. 69. e Lybia illius originem repetit, Photius Alexandrinum, & Ammonii filium fuisse testatur, quod & laudatus Nazianzenus affirmat in priori Orat. in qua ait, *Lybicus Sabellius, & Alexandrinus Arius*. At facile haec conciliantur ex Historia Nicaenae Synodi a Gelasio Cyziceno conscripta, in qua praemittitur, Arium in Lybia natum, atque adolescentulum missum Alexandriam Theologicis studiis imbuendum in celeberrima Academia, quam Pantaenus, Clemens, Origenes, Dionysius, Martyr Ippolytus, aliique viri clarissimi excoluerunt, quamquam Arius etiam audisse fertur Lucianum Antiochenum presbyterum, de quo singillatim agendum postea: cumque ab Achilla S. Petri successore inter Alexandrinos presbyteros fuerit cooptatus, Alexandrinus & ipse nuncupatus est: idque si recte perpendatur, tradit quoque Epiphanius, cuius haec verba sunt, *Ferunt Arium ex Lybia oriundum Alexandriae presbyterum esse factum, & Baucalensis cuiusdam Ecclesiae praefecturam gessisse*. Dicitur itaque Arius origine Lybicus, & Ecclesiastico munere Alexandrinus, quemadmodum commemoratus Lucianus cum fuerit patria Samosatensis, a nonnullis ob scholam Edessenus vocatur, & vulgo a presbyteratu appellatur Antiochenus. Ex quibus obiter praenotandum, habuisse Arium communem patriam cum Sabellio impiissimo individuae Trinitatis oppugnatore, utpote qui Patris dumtaxat propriam esse *ὀυσίαν*, solidamque substantiam asseveravit, alias vero Personas energias quasdam, Verbumque prolatitium ac transiens commentus est: id, quod S. Basilius epistola quarta ac sexagesima merum Iudaismum, Hilarius vero in 2. de Trinit. Ebionis surculum II. *Arii genus.*

appellavit, atque dogma est Ariano dogmati, ut anguis cauda anguis caudae, implicitum & coniunctum. . .

III. *Corporis animique habitudo.* III. Cuius Arius fuerit accepistis, nunc qualis fuerit, attendite; corporisque primum formam, deinde ingenium, animumque spectate. Τὸν τύπον σωματικὸν, corporisque eius habitudinem, Epiphanius, qui saepe in Aegypto versatus ignorare illam non potuit, ita h. 69. describit. „ *Fuit statura valde longus, subtristi specie, velut dolosus serpens, qui decipere posset omne cor innocens versutia sua: dimidium enim pallium hic semper indutus & stolam, dulcis erat in colloquio, persuadens semper animas, & blandiens.* Nil mirum si incautos decepit, virosque prudentissimos doctissimosque fefellit homo acutus, blandiloquus, eruditus, atque, ut initio E. H. inquit Rufinus, *moribus ad fallendum compositis, specie, & forma magis, quam virtute religiosus.* Qua autem oratione Arii vitia persequar? Impuros ipsius mores insectatur S. Athanasius in 1. adv. Arianos disputatione, in Expositione Nicaenorum decretorum, atque in libro de Synodo Ariminensi, & Seleuciensi, ubi plura de eius Thalaea, quam paullo infra exagitabimus aliquantisper. De Arii ambitione atque invidentia testem habemus locupletissimum Theodoretum, qui lib. 1. cap. 3. affirmat, Arium ad vexandam Ecclesiam animum nervosque omnes intendisse, cum videret ad Episcopatum Alexandrinum, quem ipse magnopere concupierat, designatum Alexandrum. In illius avaritiam invehitur in oratione de S. Thoma Apostolo eloquentissimus Ioannes Chrysostomus, ubi ait, Arium sacra Ecclesiarum vasa fuisse furatum, conflasse calices, Apostolorum imagines exspoliasse, spoliaque excepisse a barbaris a templis ablata. Quid plura? Pingit nobis Arii exteriorem, & interiorem formam in Epistola increpatoria Constantinus Augustus. „ *Videte* (inquit) *ut Arius lamentabiles praetendat voces, viperae morsu laesus. Videte, ut venae eius, ut carnes veneno occupatae acerbos moveant cruciatus, ut corpus eius tabe defluxerit. Ut attenuatum, & squallore ac sordibus obsitum, lamentatione, pallore, horrore, infinitisque modis conficiatur, misereque strigosum sit: ut deficiens eluvie ac sordibus capillus. Videte seminecem, obtutu languidum, vultu exanimi, maesto, tabido. Cernite ut ad eum propter mali diuturnitatem confluxerint furor, insania, vanitas, eumque immanem ac ferum reddiderint.* „ Spectastis itaque Arium hominem proceriori statura, tristi oris specie, verbis disertum, moribus improbis, ingenio fallaci praeditum, invidum, iracundum, superbum, atque, ut Nazianzeni utar verbis, *quasi malorum spirituum legionem.*

IV. *De Arii scriptis.* IV. Perspicaci tamen Arius mente pollebat, nam, ut in Caput I. Oseae ait S. Hieronymus, *Nullus potest haeresim struere, nisi qui ardentis ingenii est.* Conscripsit Arius, teste Philostorgio lib. II. cap. 2. plura varii generis Cantica, nautica, molendinaria, & viatoria, certis ac dulcisonis aptata modulationibus, quibus sensim can-

tus

tus suavitate imperitorum animos alliciens, in suam pertraxit iniquitatem. Decantatur prae ceteris Arii Opus, cui titulum fecit *Thaliam*, in quo levissimis numeris disseruit de occultis Fidei mysteriis, imitatus Sotadem, poetam Cretensem, qui carmine Iambico, turpissima cecinit. Scripsit etiam Arius epistolam ad Alexandrum Alexandrinum Antistitem, & alteram ad Eusebium Nicomediensem, quae extant apud Athanasium lib. de Synodis Arim. & Seleuc. Epiphanium haeresi 69. & Theodoretum lib. 1. H. E. cap. 5. Dedit & litteras inofficiosissimas ad Constantinum, quarum citato loco meminit Epiphanius. Quantum ad Arii *Thaliam* pertinet, de hoc opere inquit Orat. 2. contra Arianos S. Athanasius: „ *Quomodo de numero Ecclesiae Catholicae habeantur, qui Apostolicam fidem excusserunt, & novarum pestium inventores se praebent? Qui relictis Christi eloquiis, Θαλείας, Arii, hoc est, Crapulas, titulo novae sapientiae cohonestant, ac bono iure eum titulum usurpant; novam enim haeresim annunciant. Quapropter non sine admiratione est, nusquam in multis multorum operibus, & sermonibus, tum in novum, tum in vetus Testamentum conscriptis, inter titulos librorum, Θαλείας, hoc est, Crapularum nomen reperiri, immo nec apud Ethnicos frugi & temperantes, sed apud istos dumtaxat, qui istiusmodi res inter pocula ad risum captandum per plausum, iocum, lasciviamque decantant. At eximius ille Arius, cum nihil aut sanctum, aut grave imitandum desumeret, securus, negligensque, istiusmodi probitatis, depeculatis aliorum haeresibus, aemulum se in ridiculis uni Sotadae praebuit. Ita fucatus & Sotadicus Arius simulat se quidem de Deo loqui, cum interponat verba sacrarum litterarum; deprehenditur tamen undecumque Atheus, dum Filium negat, & illum rebus conditis adnumerat.* „ Haec Athanasius. Huius furfuris quum esset Arii Thalia, ad imitationem edita illius impurissimi Vatis, qui Cinaedos lingua Ionica cecinit, & de quo poeta alter, solutus licet, obscenusque, idest Martialis, ad Classicum ait „ *Nec retro lego Sotadem cinedum*: „ illam legi vetuit Nicaena Synodus, quemadmodum lib. 1. cap. 20. affirmat Sozomenus: & piissimus & invictissimus Imperator Constantinus hanc de eodem libro legem tulit „ *Illud etiam mandamus, ut si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum combusserit, morte mulctetur; nam mox ut comprehensus fuerit, plectatur capite*: huiusque Imperatoriae Sanctionis meminit Theodosius Iunior in suo adversus Nestorianos Edicto: quod exstat in Theodosiano Codice Leg. ultima de Haeret.

V. *Corollarium*. V. Ex his vero, quae de genere, moribus, scriptisque Arii praenarravimus, constat, Christianorum neminem ante scelestissimum impurissimumque haeresiarcam Carmina obscena ad imitationem Ethnicorum poetarum edidisse: perantiquum in Ecclesia esse morem ea proscribendi, lectionemque eorum statutis poenis interdicere; ac eo dete-

deteriora habenda esse, quo sacra cum profanis permiscent. Nulla itaque honestatis laude commendandi sunt qui cum praelaudato Martiali esse sibi iactitant lascivam pagellam, vitamque probam. Nos arbitramur, hoc tantum nomine culpandos esse, qualemcumque servent vitae consuetudinem: idque ob ingenii abusus, ob morum corruptelam, ob aliorum perniciem; quod Canonum auctoritate, Patrum documentis, & historiarum exemplis facillime demonstrarem, nisi satis ostenderet haeresis Ariana, tanquam praesentissimum venenum, canticorum modulamine propinata.

De Fide S. Martyris Luciani.

CAPUT IX.

I. IMpurissimum, ac scelestissimum omnium, quotquot extiterunt, haeresiarcharum Arium auditorem fuisse Luciani Martyris, diximus, Viri ornatissimi, Exercitatione postrema. Lucianum vero, cum dico, illum dico, qui lib. IX. cap. 6. appellatur ab Eusebio. *ἀνὴρ τὰ πάντα ἄριστος, βίῳ τε ἐγκρατὴς, καὶ τοῖς ἱεροῖς μαθήμασι συγκεκροτημένος*, *Vir omnino optimus, cum vitae continentia, tum sacrarum litterarum scientia conspicuus*: dico Macarii Edesseni discipulum praestantissimum, Ascetam rigidissimum, gloriosissimum Martyrem; sed nimium in discipulis suis infortunatum: siquidem ex eius schola commemoratus Arius, Eusebius Nicomediensis, Maris Chalcedonensis, Theognis Nicaenus, Asterius Cappadox, aliique Arianae Sectae postmodum fautores, prodiere. Quod cum ipsum Lucianum in suspicionem haereseos abduxerit; tria praestare constitui: Merita commemorabo, vindicabo fidem, conviciatores refellam.

II. *S. Luciani res gestae.*

II. Lucianus parentibus nobilitate clarissimis, patria Samosata percelebri Syriae urbe in lucem editus, litteris egregie excultus, sacrarum Scripturarum versione a se exornata, atque ab eius nomine appellata *Lucianea*, Oratione Apologetica coram Aurelio Maximiano, seu potius Maximino, quem cum Maximiano plures confundunt, recitata, pluribus fidei libellis a PP. Synodi Antiochenae ann. 341. laudatis, epistola elegantissima e carcere ad Antiochenos, quorum Ecclesiae presbyteris addictus fuerat, conscripta, aliisque operibus celeberrimus, a Pancratio presbytero Sabellianae haereseos fautore proditus, & in Cappadociam primum, deinde Nicomediam perductus, tanta vultus maiestate, tantoque fulgore peroravit pro Christiana religione, ut trans velum, ne eius obrueretur obtutu, illum audiret Maximianus: tanta fulgebat pietate, ut distentus in cippum, oblongum tormenti genus, substratis testarum aculeis, revinctisque coxendicibus, ara mensaque carens supra pectus suum incruentum perfecerit sacrificium: tanta demum constantia consummavit martyrium.

rium, ut accedentibus satellitibus inspecturis num adhuc viveret, cum se quantum poterat extendisset, & ter ingenti voce exclamasset, *Christianus sum*, beatissimam efflaverit animam: eius demum corpore in mare iussu praetoris proiecto, Delphini illud obsequio exceperunt, humerisque in litus exposuerunt, anno ad Petri Alexandrini martyrium proximo, & decimo persecutionis Diocletianeae, Christianae Aerae 311. Imp. Constantini 6. ac postremo Eusebii Pontificis. Haec Simon Metaphrastes, Laurentius Surius, Usuardi, & Adonis Martyrologia, Anthologium Graecorum, Ioannes Bollandus, C. Baronius, aliique Historici, fusiori stilo describunt.

III. *Vindicatur Luciani fides.*

III. Talem tantumque virum orthodoxum ac vere martyrem fuisse proximis momentis adversus Basnagium & Caveum evincimus. Ac primum quid expressius proferri potest testimonio S. Athanasii, qui in Synopsi divinarum Scripturarum sermonem instituens, de illarum versionibus inquit: „ *Septima & postrema S. Luciani, Magni, religiosi, & Martyris est, &c.* Quid luculentius testimonio Chrysostomi, qui in die natali huius Martyris apud Antiochiam die septima Ianuarii solemni cultu celebrato, habuit eloquentissimam orationem, quae incipit „ *Hesterno die Dominus noster aqua baptizatus est, hodie vero servus sanguine baptizatur.* „ Quid illustrius verbis hisce Eusebii lib. v Eccl. Hist. cap. 13. „ *Ex Antiochenis Martyribus Lucianus eiusdem Ecclesiae presbyter, vir in omni vita sanctissimus, qui coeleste Christi regnum primum verbis, & oratione Apologetica Nicomediae praesente ipso Imperatore, postea vero etiam rebus ipsis asseruit.* Addo Martyrologia non praelaudata duntaxat Usuardi, & Adonis, verum etiam Romanum, in quo die 26. Octobris legitur „ *Nicomediae SS. Martyrum Luciani, Florii, & Sociorum.* „ & Ianuarii 7. „ *Beatus Lucianus Antiochenae Ecclesiae presbyter satis clarus doctrina, & eloquentia, qui passus est Nicomediae ob Christi confessionem, sepultusque est Helenopoli in Bithynia, cuius laudes S. Ioannes Chrysostomus celebravit.* „ Addo laudum praeconia, quibus eum cohonestat in Catalogo illustrium virorum, & in epistolis ad Damasum, atque ad Sunniam, & Fratelam, beatus Hieronymus. Addo Constantinum Magnum, ut legitur in Chronico Eusebiano, Drepanum Bithyniae civitatem in honorem S. Martyris Luciani ibidem conditi instaurasse, & ex vocabulo matris suae appellasse Helenopolim. Addo denique praeclara de sanctitate & fide Luciani testimonia Rufini, Philostorgii, Suidae; quae ipsemet Basnagius produxit ad annum 312. num. 24. & sequenti.

IV. *Difficilis obiectio.*

IV. At contra Fidem Luciani militat perdifficilis obiectio. S. enim Alexander Episcopus Alexandrinus in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, mentione facta Ebionis, Artemae, & Pauli Samosatensis „ *Cuius perversae doctrinae*, inquit, *Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est tantisper, dum tres Epi-*

Episcopi alius post alium Ecclesiam illam rexerunt, exclusus ab Ecclesia mansit. „ His perspicuum est, haeresim ab Ebione ad Artemam, ab Artema ad Paulum Samosatensem, a Paulo ad Lucianum, a Luciano ad Arium derivasse, eumdemque Lucianum, sedentibus in cathedra Antiochena tribus Patriarchis, Tyranno nempe, Cyrillo, ac Timaeo; fuisse fidelium communione privatum. Quid! Annon e Luciani schola prodierunt, ut supra diximus, affirmatque lib. VIII. H. E. cap. 31. Nicephorus Callistus, Eusebius, Theognis, Leontius, Asterius, Arianae haeresis propugnatores, horumque princeps & antesignanus Arius? Annon Ariani *Lucianistae* palam appellabantur, & de fide interrogati respondebant „ *Nos credimus, ut beatus Lucianus* „ subscribentes fidei formulae a Luciano conscriptae, eamque eiusdem martyris manu firmatam, tamquam tesseram proferentes, ut praecitatus Nicephorus 9. libro, atque Hermias Sozomenus lib. III. litteris tradidere? Quomodo ergo vindicari potest fides Luciani haereticorum patris ac praeceptoris, a tribus Antiochenis Patriarchis damnati, & Arianae perfidiae architecti? Ad te Epiphanium scribentem h. 4. „ *Lucianus aetate nostra sub Constantino vixit, quem Ariani inter martyres adscribunt, fuit enim Arianorum erroribus infectus* „ & h. 76. *Ariani a Luciano & Origene erroris occasionem nacti sunt.* „ atque in Ancorato: „ *Veram fuisse in Christo carnem Lucianistae, sive Ariani fatentur.* „ Vt ergo ratiocinatur Basnagius, si Baronii, & Schelestratis, qui in Baronii sententiam concessit, aliorumque Lucianum vindicantium, valeat o.inio; de fide historiae omnino actum est, notaque gravissima temeritatis & iniustitiae Alexandro Alexandriae Praesuli, qui Luciano coetanus fuit, necnon Epiphanio erit inurenda: quae quantum absurda sint, nemo mortalium non videt.

V.
Responsio.

V. Ingenue fatendum est, haud levia esse allata hactenus munimenta, & revera Lucianum trium Episcoporum iudicio societate fidelium Antiochenorum fuisse privatum, suspectam eius fidem fuisse S. Alexandro, eadem suspicione apud Epiphanium laborasse, nefarios quosdam auctores fuisse illius auditores, atque sub eius nomine libellos fidei in medium produxisse Arianos. Verum si huius libelli expendantur, origo simul sinistrae illius suspicionis, & recta Luciani fides patebunt. In iis (si tamen ab Arianis producti genuini erant, nec fraude aliqua Arianorum vitiati) asseritur, *Filium essentiae, consilii, potentiae, & gloriae patris conformem imaginem esse, & primogenitum omnis creaturae*: quod etsi inculpate dici potest, & phrasi etiam sacrarum litterarum pronuntiatur, haeretici tamen ad consubstantialitatem oppugnandam, adstruendamque solam Filii cum Patre similitudinem avidius usurpabant, Luciani patrocinium captantes. Quae Arianorum iactantia insidiis Sabellianorum Luciano infensis coniuncta fecit, ut apud aliquos sanctorum Praesulum male audiret, innocensque

censque ipsorum censuris subiiceretur, eique contigit quod & Marcello Ancyrano, & S. Dionysio Alexandrino, quorum post laceratam a pluribus illorum famam, primum absolvit Synodus Sardicensis, alterum beatus Athanasius eruditissima Apologia ab haeresi vindicavit. Lucianus autem purgavit seipsum, & si quid adversus Sabellianos scripserat, lineas fervore disputationis aliquando transgressus, quo Ariani abuterentur in patrocinium erroris, luculenter explicavit, emendavitque, edititque Fidei professionem, quam certum est adprobasse Synodum Antiochenam. Haec ex Sozomeni lib. III. facile possunt intelligi. Vbi autem S. Lucianus purgavit seipsum, a Tyranno Episcopo Antiocheno in gradum & communionem fuit restitutus; re penitius discussa, S. Alexander ab accusationibus temperavit; si quid incaute viro doctissimo exciderat, si quid etiam humani admissum fuerat, falce martyrii purgatum est: eiusque sanctitatem Dominus gloria miraculorum, Constantinus & Helena maximo prosecuti sunt cultu, Ecclesia adscripsit Martyrum Fastis, eique exuviis suis Carolo Magno transmissis, Turpinus Remensium Archiepiscopus ornatissimas aras erexit, Arelatensis Ecclesia festivitatem annuam indixit, Martyrologia complura, & Ecclesiasticae Tabulae eiusdem memoria fuerunt inscripta: quae sunt iis, quae adversus Lucianum proferebantur, longe splendidiora.

De tempore, quo Haeresis Ariana primum erupit.

Caput X.

I. Vindicatis superiori Capite S. Luciani Fide ac Martyrio, ad Arium, Actaque adversus illum Sancti Praesulis Alexandri revocanda est Dissertatio. Quoniam vero diximus, iniquissimum Haeresiarcham ab Achilla in communionem fuisse receptum, & ex Diacono factum Presbyterum, ab Alexandro autem, qui Achillae in Episcopatu Alexandrino successit anno Domini 312. magno in honore habitum, adeo ut ei Ecclesiastica munia, qualia hodie sunt, paroeciae, & docendi munus committeretur; explorandum nunc est quando haeresis execranda eruperit, & qua ratione adversus illam Alexandrinus Antistes se gesserit.

II. *Sententiarum varietas.*

II. Arianam itaque haeresim palam erupisse, & coaluisse in sectam iis diebus, quibus Crispus & Constantinus iunior creati sunt Caesares, tradit Paulus Orosius lib. VII. Historiarum cap. 28. Crispus autem & Constantinus ex Fastis Idatii levati sunt *Gallicano & Basso Coss.* idest, anno Christi 317. quo, ut narrant Zosimus, & Aurelius Victor, Constantinus Magnus ad pacem firmandam, Sardicam ve-

veniens, una cum Licinio absente constituit, ut Crispus, quem Constantinus ex Minervina susceperat, & Constantinus paucis ante diebus natus Arelate, necnon Licinianus Licinii filius, Caesares crearentur; quod *Kal. Martiis* evenit. Quare Ariana haeresis iuxta Orosium erupit praedicto anno 317. quo etiam Solis eclypsim bellorum & calamitatum praenuntiam contigisse observarunt Astronomi. Nonnulli tamen cum C. Cardinali Baronio anno 315. Arianam haeresim natam fuisse contendunt, quoniam & eius meminit Lactantius in lib. IV. Institutionum cap. ultimo, quod opus hoc anno ad Constantinum transmisit: ait enim Lactantius: ,, *Cum Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitae, aut Arthropiani, aut Ariani, seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt*.,, Quo in loco, etsi verba illa *aut Ariani* expunxerit Lactantii restitutor Michael Thomasius, & Clariss. quoque Petavius lib. I. de Trinit. cap. 7. mutilo fortasse codice permotus neget, Lactantium *Arianos* inter alios haereticos adnumerasse: leguntur tamen eae particulae in Vaticanis & Vallicellanis Codicibus, quos Baronius sollerter excussit & pervolutavit, in Editione Aldina, ceterisque exemplaribus emendatissimis. Sed ante exortam Persecutionem Licinii, qui anno 316. mortuo Diocletiano leges praescribere, Catecheses ab Episcopis ablegare, & feminis tradere iussit, & Basileum, Parthenium, Theotimum, Blasium Sebastenae civitatis Episcopum, quadraginta Cappadoces milites, aliosque plurimos affecit martyrio; praedictus Basileus Episcopus Amasenus, dum Nicomediae detineretur in carcere, docuit Ioannem Nicomediensem presbyterum, non esse veram & Catholicam assertionem, quae cum Ario affirmat, *Dei filium productum ex non exstantibus, & procreatum in tempore*: quae omnia anno 315. exortam Arianam perfidiam evincunt.

III. *Resolvitur Quaestio.*

III. Nos nefariae haeresi altiora principia damus, variasque opiniones Historicorum ita ad concordiam revocamus, ut anno 317. fuerit iam proscripta, anno 315. omnibus nota, Alexandriae vero palam eruperit ann. 312. semina vero iam sparsa fuerint ab ann. 310. Ac priorem, & alteram partem ea, quae praemissa sunt, satis probant. Arium vero blasphemiarum suarum evomuisse venenum statim ac Alexander renunciatus fuit Episcopus Alexandrinus, quod contigit anno 312. testatur his verbis Theodoretus lib. II. E. H. „ *Per idem tempus Arius, qui in numerum presbyterorum adscriptus erat, cuique sacrarum litterarum interpretatio concredita, cum videret Alexandrum ad Episcopatus gubernacula designatum, invidiae flammam, qua incendebatur, minime reprimere, sed ea vehementius inflammatus materiam contentionis, & discordiae, in dies aucupari laboravit: ac tametsi in praestabilem virum, eximiamque Alexandri vivendi rationem, aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationem contra*

tra

tra eum confingendam potuit omnino reperire ; tamen aestus invidiae eum quiescere non sivit. Itaque ut Alexander sacrarum litterarum disciplinae obsequutus, Filium Patri honorem parem, eamdemque habere cum Genitore substantiam docuit ; sic Arius palam contra veritatem pugnans, eum creatum & factum affirmavit ; quin etiam adiecit tempus aliquando fuisse cum non erat, & alia nonnulla, quae ex eius libris multo apertius intelligi possunt. Atqui ista non in Ecclesia solum, verum etiam extra in circulis, in hominum congressionibus disserere coepit ; per aedes quoque circumcirca grassari, ut quos posset, in istorum errorum laqueos induceret. „ Haec Theodoretus: cui similia tradunt S. Gregorius Caesariensis Ecclesiae in Cappadocia presbyter in Orat. de Laudibus PP. Nicaenorum, Gelasius Cyzicenus in libro de Nicaena Synodo, necnon S. Alexander in Epistola ad Cognominem Episcopum Constantinopolitanum, in qua tum Arii haeresim, tum schisma Colluthi, ex Episcopalis dignitatis ambitione natum affirmat. De Colluthо autem Arianis necessitudine coniuncto dicturus loco opportuniori, ex dictis assertionem confirmo nostram: Siquidem Arianam erupisse haeresim, cum primum S. Alexander consequutus est Alexandrinum Episcopatum, evincunt testimonia omni exceptione maiora. Cum ergo Alexander designatus fuerit Alexandrinus Antistes post Achillam, cuius Patriarchatus ex Chronico Eusebiano biennium non excessit, anno nempe 312. quis non videt, ad haec ipsa tempora referenda esse Arianae Haereseos primordia?

IV. *An Ariana haeresis sub Petro inceperit?*

IV. Ceterum illam perniciosissimam ac pestilentissimam haeresim etiam S. Petro Alexandrino, quem Capite VI. diximus coronatum martyrio anno 310. innotuisse, ab eoque tempore Arium blasphemias de Verbo Dei Filio enuntiasse, quamquam id negant plurimi, probabilius tamen existimo. Nam primum id legitur in Actis S. Petri, quae tametsi interpolata a nonnullis censentur, vindicata fuerunt supra: idemque confirmat prodigiosa eiusdem Petri ante obitum visio Christi scissam ab Ario vestem gestantis, de qua item visione pluribus disseruimus. Deinde Nicetas Choniates lib. v. Thesauri cap. 1. scripsit Arium, antequam damnaretur ab Alexandro, eiectum fuisse a Petro, quod assereret Filium Dei productum a Patre ex non exstantibus. Tertio Anastasius Sinaita Scriptor perantiquus & eruditus, qui floruit circa annum 560. per Iacobum Gretserum in lucem editus, & latinitate donatus cap. 5. de Decretis Nicaenae Synodi inquit: „ *Arium & S. Petrus Martyr & Episcopus iam ante execratus erat, dicens: Arius & in hoc saeculo, & in futuro, a Dei filio Iesu Christo, eiusque gloria separatus sit, & segregatus. Praedicabat enim Arius, Dei Filium ac Verbum creaturam esse, neque genitum ex Patre ante saecula.* „ Non itaque affirmamus absque ulla prorsus auctoritate, Arium etiam sub postremis

Episcopatus S. Petri temporibus in Filii divinitatem ore sacrilego blasphemasse.

V. *Obiectio proponitur, ac diluitur.*

V. Obiiciuntur adversus hanc assertionem, quae Orat. I. contra Arianos ait S. Athanasius „ *Arium a Petro ob schisma ab Ecclesia segregatum, postea subdole se Petri successori insinuantem, ab eo incaute receptum, ordinatumque presbyterum, inde vero ab Alexandro Achillae successore, nova intercedente haeresis causa, fuisse ab Ecclesia Dei, & fidelium communione reiectum.* „ Quae animadvertens Cl. Baronius ad annum 310. mentiri ait acta adulterata, quae aiunt, Arium a Petro haeresis causa ab Ecclesia fuisse proscriptum, cum nefas sit Athanasio non acquiescere, Alexandro primas ea in re tribuenti. Verum respondere possumus, Athanasium commemorasse illam Arii proscriptionem factam a Petro *synodali congressu* anno 306. quo utique Arius tanquam Meletianus eiectus fuit una cum Meletio, qui cum esset Metropolita Thebaidis, non poterat degradari Patriarchali Synodo non coacta: atque post eam proscriptionem laudare Athanasium alteram factam ab Alexandro, qui item in Synodo Arium proscripsit tanquam haereticum. Sed inter utramque damnationem ratam, solemnem, & Patriarchalis Synodi iudicio firmatam, non intercessisse aliam privatam, & extra Synodum, qua S. Petrus cum Meletianis Arianos iam emergentes proscripserit, Orat. illa prima S. Athanasius non affirmat, neque negat: in 2. vero Apologia commemorasse videtur, ubi ait: „ *Meletiani una cum Arianis a Petro fuerunt eiecti.* „ Vbi cum duas sectas recenseat, Meletianorum, atque Arianorum, haud obscure colligitur, etiam sub Petro Arianos in aciem adversus Catholicam Ecclesiam prodiisse. Ceterum quocumque anno Ariana pestis grassari coeperit, negari non potest, adversus illam S. Alexandrum gloriosa exercuisse certamina: quod praecitato in loco scribit Theodoretus ad hunc plane modum: „ *Alexander igitur Apostolicae Doctrinae patronus, primum exhortatione & consilio Arium a sententia deducere tentat: at ubi Corybantum more insanire vidit, & impiam doctrinam palam praedicare, de dignitate sacerdotali dimovet, Evangelii praecepto obsecutus: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* „ De Alexandri autem Actis adversus Arium nunc nobis disserendum remanet.

Quid adversus Arianos egerit S. Alexander Episcopus Alexandrinus.

I. Sedente in Episcopali Sede Alexandrina, quam Marcus Evangelista, Theonas, Dionysius, Petrus, aliique Sanctissimi Antistites tenuere, Viro probatae & incorruptae fidei Alexandro, exortam, damnatamque fuisse haeresim Arianam, superius ostendimus. In praesentia autem de Synodo, in qua Arius proscriptus fuit, agere constituimus, eiusdemque Synodi Acta; posteaquam perierunt, ex antiquis scriptoribus sunt eruenda, idque ut recta praestemus methodo, primo illius Synodi tempus, tum exitus atque eventus, denique promulgatio & notitia revocabitur ad examen. Caput XI.

II. Baronius coactam eamdem Synodum censet anno Ch. 315. Orosius post biennium, ideft anno 317. Pagius & permulti incerto, & nondum comperto tempore. Nos arbitramur, non statim ac erupit Ariana haeresis, in illam Alexandrum Synodum indixisse, & anathema pronuntiasse; nec unum, sed plures habuisse Episcoporum conventus; primum vero magna probabilitate, non vero certis indiciis celebratum anno 317. non 315. Atque Alexandrum non statim Arianam perfidiam synodali congressu damnasse, demonstramus ex Gelasio Cyziceno cap. 2. scribente: „ *Verum dum Alexander ingenitae suae naturae benignitate Arium in melius mutare vellet decentibus admonitionibus, nec dum statueret sententia uti; interea contigit ob hoc, ut pestilenti haeresis calamitate multi absumerentur, & tanquam ex parva scintilla magnus ignis accenderetur. Malum incipiens ab Alexandrinorum Ecclesia plures alias civitates ac provincias percurrebat. Postremo cum videret Alexander malum in peius progredi, Synodum subiectorum sibi Episcoporum convocans, & Arium sacerdotio deiiciens, suis Collegis rationem reddit.* „ Ipsemet Alexander in Epistola, quam eiecto Ario scripsit ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, ait: „ *At nos quidem cum ea, quae vitae ipsorum, & nefariis conatibus competunt, serius propter ipsorum latebras deprehendissemus, communi omnium suffragio ex coetu Ecclesiae, quae Christi divinitatem adorat, eos eiecimus.* „ Ex quibus perspicuum est, non statim suis in incunabulis haeresim pestilentissimam studuisse Alexandrum extinguere, ac praefocare. Quod vero non unam, sed plures Synodos, Alexander adversus Arium coegerit, primum affirmat lib. 1. H. E. Hermias Sozomenus, deinde probatur ex Athanasio, qui Orat. I. contra Arianos, in 2. Apologia, necnon in libris de Synodo Arim. & Seleuc. tradit, Georgium Alexandrinum presbyterum, & postea Episcopum Laodicensem, fuisse in Synodo a B. Alexandro ex ordine Sacerdotii deiectum, quod ausus II. Pars I.

fue-

fuerit pro Ario iam damnato conscribere Epistolam Apologeticam, in qua ausus est scribere: „ *Conquereris de Ario, cum dicit*, Erat quando non erat Filius. *Certe Esaias filius fuit Amos, & Amos prius fuit, priusquam gigneretur Esaias* „ exemplum generationis humanae ad divinam blasphema comparatione traducens. Quare praeter Synodum, qua Arius proscriptus fuit, & segregatus a coetu fidelium, aliam Alexander contra Arianos coegit, qua Arii defensorem Georgium damnavit. Addunt quidam tertiam, qua deposuit Colluthum, sed cum Colluthiani fuerint Arianis coniuncti, num peculiari Synodo fuerint eiecti, penitus ignoramus. Non unam itaque Synodum, sed plures S. Alexander contra Arianos celebravit; quae erat assertionis nostrae pars altera. Tertiam demonstramus ex Orosio, qui ad annum 317. scribit „ *Arium a veritate Fidei Catholicae deviantem, exitiale plurimis dogma constituisse.* „ quae tamen verba cum expresse Arii damnationem non innuant, nequaquam exhibent, ut praemonui, momentum prorsus invictum. Pagius utique ad Ann. 315. num. 6. inquit: „ *Legi Hermannum Contractum, qui damnationem Arii consignat anno* 321. Sed cum Hermannus annos Christi supputet non a primo Aerae Dionysianae, & Communis, sed ab anno Augusti 42. qui biennio initium eiusdem Aerae antevertit; ex Hermanno sententiae Pagii nullum praesidium adcedit. Sed partem dissertationis priorem expedivimus.

III. *Synodorum praedictorum Acta.*

III. Nunc investigandum quid in praelaudatis Alexandrinis Synodis gestum sit. Primum Arius gradu deiectus, & Ecclesiastica communione privatus est, ut narrant idem Alexander, & Gelasius Cyzicenus praelaudati, necnon S. Epiphanius H. 68. cap. 4. hisce verbis: „ *Deprehenso igitur Ario, Alexander indicto Episcoporum Concilio, de Fide diligenter inquisivit, & ab Ario pravae & perniciosae illius, quam animo conceperat, opinionis rationem exegit. Hic Arius nihil tergiversari, aut dissimulare, sed perfricta fronte, uti se res habebat, respondit. Quam ob rem Alexander eum ex Ecclesia deturbavit.* „ Et Acta Nicaena ex regio Codice pervetusto edita a Combefisio haec habent: „ *Postquam Alexander, qua monendo, qua obsecrando, spem omnem emendationis Arii despondisset, depositionis gladio eum ab Ecclesia excindit.* „ Deinde una cum Ario fautores eius expresso nomine fuerunt proscripti. Quorum numerum ita recenset Theodoretus lib. 1. cap. 4. „ *Ex presbyteris* (damnati fuerunt) *Arius, ex Diaconis vero Achillas, Euzoius, Aithalas, Lucius, Sarmatus, Iulius, Menas Arius, Alter, & Helladius.* „ Animadvertit Basnagius ad Ann. 321. num. 9. S. Epiphanium multiplicare numerum, tradens, cum Ario presbyteros septem, & duodecim Diaconos fuisse expulsos. At nulla istic Antilogia, quippe advertimus paullo supra, non unam fuisse contra Arianos sub Alexandro Synodalem sententiam. Ex Encyclica autem eiusdem Alexandri, necnon ex Epi-

stola

stola, quam ad ipsum scripsere omnes anathematizati, quam Epistolam producunt Epiphanius citat. loco, & Athanasius lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. fuisse proscriptos Presbyteros quinque, sex Diaconos, ac tres Episcopos, secundum Pentapolitanum, Theonam Africanum, & Pistum ab ipsis Arianis Alexandriae collocatum. Praeterea iisdem in Synodis coacervatim, neque nomine singillatim expresso, damnati fuerunt plurimi utriusque sexus Laici, quos Arius seduxerat, inter quos in sola urbe Alexandrina adinventae sunt Virgines septingentae, de quibus H 68. cap. 4. Epiph. *Arius erat blandus in primis, atque omnium animos adulationis illecebris devinctos tenebat: quare brevi septingentas Deo consecratas Virgines ab Ecclesia abstractas in unum coegit*: „ Ex quibus intelligimus, quod etiam comprobatur experientia, uti ad castimoniam atque pietatem, ita ad vitae turpitudinem impietatemque feminas illecebris facillime adduci. Demum etiam Colluthum S. Alexander eiecit, ut ipsemet scripsit ad Constantinopolitanum Episcopum. Atque haec sunt, quae adversus Arianos egit praelaudatus Antistes: quae cum Acta Synodorum eius fato perierint, multiplici Scriptorum lectione colligere, atque instaurare necessum fuit.

IV. *Quid egerit postmodum Alexander?*

IV. Id cum oppido praestiterim, inquiram quosnam S. Alexander rerum a se gestarum fecerit certiores, atque Arianorum damnationem Ecclesiis significaverit. Ac primo indubitatum est, rem omnem significasse beatissimo Romanae Ecclesiae Silvestro: Enimvero inter Hilarii Pictavensis fragmenta exstat etiamnum Epistola Liberii Papae ad Imperatorem Constantium, in qua haec habentur: „ *Manent litterae Alexandri Episcopi ad Silvestrum sanctae memoriae destinatae, quibus significavit, ante ordinationem Athanasii undecim tam Presbyteros, quam etiam Diaconos, quod Arii haeresim sequerentur, se Ecclesia eiecisse*: „ Ex quibus litteris confirmatur quod scribebat ad Victricium Rothomagensem Episcopum S. Innocentius Romanus Pontifex, fuisse in Ecclesia antiquam consuetudinem, Synodi Nicaenae, ac Sardicensis definitione firmatam, maiores causas ad Sedem Apostolicam referendi. Deinde S. Alexander a se damnatum Arium Encyclicis litteris significavit omnibus per Catholicum Orbem Episcopis: quas litteras post condemnationem & fugam Arii fuisse conscriptas, immerito negat vir, alioquin doctissimus, Philippus Labbeus Vol. I. Concil. pag. 1492. Siquidem id affirmat praelaudato in loco S. Epiphanius; & apertissime eruitur ex verbis earumdem litterarum apud Theodoretum lib. I. cap. 4. „ *Hos igitur ab universis fratribus anathematizatos nemo vestrum suscipiat, nec ea, quae, ab illis aut dicuntur, aut scribuntur, admittat*. „ Atque hinc recte mos perantiquus Ecclesiarum comprobatur, ut nullus Episcopus aliis Ecclesiis denunciet pravorum dogmatum Auctores, nisi illorum causa discussa, & contumacia, decem saltem post condemnationem diebus;

com-

comperta. Postremo S. Alexandrinus Antistes etiam ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum litteras dedit, credo, ne idem Alexander, magni nominis Praesul, atque ut illum appellat Theodoritus lib. 1. cap. 3. vir donis Apostolicis exornatus, exciperet damnatum Arium: qui cum per diuturnum tempus Alexandriae moram egisset, eiectus tandem in Palaestinam se recepit. Illarum litterarum Titulus „ Epistola Alexandri, Alexandriae Episcopi, ad Alexandrum Constantinopolitanum,„ haud inerti argumento suppositus videtur Baronio ad annum 318. num. 69. propterea quod Byzantium ante annum 325. appellari non potuerit Constantinopolis, quod nomen illi inditum postea fuit a Constantino: sed vel a Theodorito, qui Epistolam illam recensuit lib. 1. cap. 4. vel ab aliquo, potuit facile Episcopi Byzantini nomen in Constantinopolitanum, quod prius immutatum foret, converti. Praeter has duas epistolas, quarum unam Theodoritus eo loci, alteram Socrates recitat, laudatamque superius ad Silvestrum, scripsisse Alexandrum Epistolas alias 68. adversus Arium, & praesertim ad Eusebium Episcopum Caesareae, ad Macarium Ierosolimitanum, ad Longinum Ascalonitam, ad Asclepium Episcopum Gazae, ad Marinum Iamniae, aliosque permultos, testatur H. 69. Epiphanius; ex quibus, ne legentes longiori oratione detineam, quid Alexander egerit contra Arianos, potest unusquisque eorum deprehendere.

De Colluthо, eiusque Schismate.

CAPUT XII. I. QVAE adversus Arium in Synodis Alexandrinis egerit *Vir magnificus, liberalis, facundus, pauperum studiosus, Dei, hominumque amator* (tali quippe oencomio commendatur a Gelasio Cyziceno) Alexander Alexandrinae Ecclesiae Praesul clarissimus, superiori Exercitatione commemorans, dixi una cum Arianis proscriptum eiectumque fuisse Colluthum, schismatis, dissidiique auctorem. At quisnam fuit Colluthus iste? Quae doctrina, quodnam schisma ipsius? Quid illi necessitudinis cum Ario? Quandiu viguerunt conflata ab ipso dissidia? Vobis, Lectores humanissimi, haec intelligendi cupidis, si faciles praebueritis aures, singula exponere hac una Exercitatione curabo.

II. *De Colluthi persona.* II. Tametsi primis Ecclesiae Saeculis, in omnibus fere urbibus unus esset Sacerdos & Episcopus, qui Christiani populi curam gereret; in amplioribus tamen civitatibus, ubi non poterat unicus Antistes singulis doctrinae pabulum, & sacra distribuere mysteria, plures sunt constituti, qui munera Episcoporum supplerent, omniaque *praeter ordinationem* perficerent, quos sequior aetas Parochos nuncupavit.

Ita

Ita Romae ab Evaristo *Titulos* distributos presbyteris, a quibus S. R. E. Cardinalium originem quidam arcessunt, Ecclesiastica monumenta testantur: atque ad eumdem plane modum in Vrbe amplissima Alexandria, aetate illa Tituli multi, seu Paroeciae extiterunt: ***quarum unam*** (verba sunt S. Epiphanii H. 69. cap. 2.) ***administrabat Collutbus, aliam Carponas, aliam Sarmatas, aliam Arius.*** Erant ergo Alexandriae Colluthus & Arius (quod venia Purpuratorum Patrum dictum volo) iidem prorsus, ac in priori institutione in urbe Roma presbyteri Cardinales: quorum postea dignitas & auctoritas plurimum adaucta fuit: & recte in Differt. proemiali ad Synodum Nicaenam cap. 10. aiebat Eximius Lupus: „ ***Collutbus itaque fuit alicuius apud Alexandriam Basilicae Rector, & presbyter Cardinalis.*** „ Eo in munere Colluthus inflatus singulari ambitione, se Episcopum esse iactabat, sive quod falso haereret dogmati, quod postea Aerius invexit, rursusque Presbyteriani revocarunt ab Orco, Presbyteros inter & Episcopos nullum esse discrimen, quam praelationis, cuiusmodi est in coetu Diaconorum officium Archidiaconi, atque in exercitu munus militum Imperatoris: sive contenderet vigere adhuc, & abrogari non potuisse ab Heracla Alexandrinae Ecclesiae consuetudinem, iuxta quam omnes eiusdem Ecclesiae presbyteri Episcopali consecratione decorabantur, ut ex iis unus, suffragio Collegii, in locum defuncti Partriarchae substitueretur, nec aliunde Alexandrinus Antistes adsciseeretur; utut sit, Colluthum non fuisse verum Episcopum invictissime demonstratur ex eo quod cum Ischyras in Synodo Tyria accusasset S. Athanasium, quod Mareoticam Ecclesiam visitans sacrum fregisset calicem, & calumniator se Colluthi presbyterum adseveranter assereret, eadem Synodus in Mareotem quinque Episcopos misit, ut diligenter veritatem inquirerent; qui retulerunt, Ischyram esse impudentissimum, mendacissimumque impostorem, neque sacerdotali praeditum charactere, utpote qui ordinatus diceretur a Collutho, Episcopo imaginario ac fictitio: idque non tantum constat testimonio presbyterorum Mareoticorum, de quo legendus in Apologia 2. Athanasius, verum etiam definitione Synodi Alexandrinae sub eodem Athanasio celebratae, in cuius epistola Encyclica haec habentur: „ ***Quo igitur pacto presbyter Ischyras, aut quo tandem Auctore constitutus? Numquid scilicet a Collutho? Id enim restat. Atqui Colluthum in gradu presbyterii mortuum, omnemque eius manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos, esse in Laicorum ordinem redactos, & sub laicorum nomine ad synaxim admissos, adeo constat apud omnes, ut nemo ea de re dubitandum putet.*** „ Ex quibus non solum evidens est, neque Ischyram presbyterum, neque Colluthum Episcopum extitisse; verum etiam operam ludere Presbyterianos, dum ex vetusta Alexandrinae Ecclesiae consuetudine, & ex iis, quae de illa suis in Epistolis tradit Hieronymus, eosdem

esse Episcopos ac presbyteros, demonstrare perperam adnituntur: ac de Colluthi persona dictum hactenus.

III. *Errores Colluthi.*

III. Nunc de eiusdem Colluthi doctrina & erroribus agendum est. Epiphanius H. 69. haec tantum generatim asseruit: „ *Colluthus falsa quaedam, ac depravata docuit*: „ Sed SS. Philastrius & Augustinus errorem Colluthianorum expressius memorant; ille enim de Haeres. cap. 31. inquit „ *Colluthiani a Colluthо quodam ita dicti sunt in Aegypto, qui dicunt Dominum malorum non esse factorem. Contra autem alter quidem opponebat, dicens, Dominum malorum esse factorem, qui & ipse est haereticus pariter.* Augustinus vero in lib. de Haer. ad Quodvultdeum „ *Colluthiani a quodam Colluthо, qui dicebant Deum non facere mala, contra illud, quod scriptum est „ Ego Dominus creans mala „. Floriani a Florino, qui e contrario dicebant, Deum creasse mala, contra id quod scriptum est „ Fecit Deus omnia, & ecce bona valde.* „ Refutansque egregius Doctor utramque haeresim, breviter, & nervose subiicit: „ *Quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, poenas iustissimas irrogando, quod Colluthus non videbat; non autem malas creando naturas, atque substantias, in quo sunt naturae atque substantiae, ubi Florinus errabat.* „ Colluthi itaque, atque Florini errores, quamquam invicem oppositi, erant haeresis Marcionitae surculi. At Colluthus ulterius perantiqua, & quae utinam in eo fuisset extincta, laborabat contagione, Simoniana scilicet pravitate, sacra temporali pretio distribuens: quod innuit S. Alexander in Epistola ad Gentilem suum Episcopum Byzantinum, scribens: „ *Arius & Achillas nuper coniuratione facta, Colluthi ambitionem aemulantes, longe peiores illo extiterunt. Nam Colluthus quidem, qui hos ipsos reprehendit, mali propositi sui praetextum nactus est. Isti vero impiam illius ex Christo nundinationem cernentes, non amplius Ecclesiae subiacere voluerunt.* „ Percipimus ex dictis, Colluthi schisma paullo ante haeresim Arianam fuisse subortum, eique occasionem tribuisse antiquae consuetudinis, qua ante Heraclam omnes Alexandrinae Ecclesiae presbyteri in Episcopos consacrabantur, praetextum, ambitionem Episcopatus, & quam Apostolus malorum omnium radicem appellitat, sordidam scilicet avaritiam.

IV. *Colluthianorum cum Arianis unio.*

IV. Praemissa S. Alexandri verba nos ad tertiam quaestionem traxerunt, fuerit ne Colluthus Arianis haereseos societate coniunctus. Negat S. Praesul Alexandrinus illis verbis, *Colluthus quidem hos ipsos* (nempe Arium & Achillam) *reprehendit*: negatque Gelasius Cyzicenus lib. II. cap. 3 haec Colluthi verba producens: „ *Ego Colluthus presbyter consentio praedictis, & damnationi Arii, & eorum, qui cum ipso impie sentiunt.* „ Nihilominus Arianorum & Colluthianorum consuetudinem atque conspirationem demonstrat Alexander Thessalonicensis Episcopus in epistola ad Dionysium Comitem, ubi ait:

Ne-

Nosti, Collutbianos una cum Arianis ac Meletianis esse hostes Ecclesiae. „ confirmant Presbyteri Mareotis in Epistola ad Synodum Tyriam aientes „ *Ecce Arianos, Meletianos, & Colluthianos, hostes Catholicae Ecclesiae, ideo potissimum emittere studuerunt, ut per praesentiam hostium nostrorum, sutelas, quas vellent, adversum nos facerent.* „ affirmat Arius, qui in epistolis interdum congerrones suos *Collutbianos* appellat. Verum haec conciliantur facillime, si dicamus Colluthianos, Arianosque, non communione dogmatum, sed unione Ecclesiae, seu potius Synagogae, adversus Catholicam una cum Meletianis conspiravisse; & licet initio inter se scissi erant, atque, ut verbis utar Epiphanii Haeresi 69. *Alexandrini alii protenderent in Arium, alii in Collutbum, alii in Carponem, alii in Sarmatam*, eosque inter vigeret aemulatio, ut S. Alexander aiebat; aeque tamen ab Ecclesia proscripti convenere, quemadmodum ad Christum perdendum Herodes atque Pilatus conspirarunt deposita simultate. Qua comparatione adposite eleganterque utitur in prima adversus Arianos Oratione magnus horum profligator Athanasius.

V. Colluthus tamen in ordinem redactus ab Alexandro in 2. Alexandrina Synodo, quam Baronius coactam ait anno Christi 319. alii putant incerti esse temporis, resipuit, & Arianos proscripsit; quod constat ex praemissa illius damnatione apud Gelasium Cyzicenum: in qua idem Colluthus, ambitione reiecta, semetipsum presbyterum, non Episcopum nominavit; ideoque Schisma Colluthianum haud diuturni fuit temporis, ut innuit etiam H. 69. num. 2. S. Epiphanius: *Collutbus falsa quaedam, ac depravata docuit; sed eius secta diuturna non fuit, statimque dissipata est.* „ Iam vero quae de Collutho, eiusque Schismate dicenda erant, finem habent.

V. Collutbiani Schismatis exitus.

De progressu Haeresis Arianae.

CAPUT XIII.

I. COLLUTHIANIS, Arianisque in Synodo Alexandrina proscriptis, ut supra narrabamus, quis vestrum propositam spem non haberet, Viri optimi atque ornatissimi, Arium profugum, extorrem, rubore & verecundia suffusum, petiturum veniam, cantaturum palinodiam, suos damnaturum errores, & ad S. M. E. gremium supplicem rediturum? At secus, quam sperandum erat, contigit, & quae semel radices fixerat, Haeresis Ariana, tanto ad instar pestiferae contagionis malo excrevit, & proximas remotasque Ecclesias pervasit, ut insanabile vulnus infligeret, magni nominis viros contaminaret, exhibita a Constantino remedia irrita viderentur: quae tria ex hac narratione unusquisque vestrum percipiet.

II. *Arianorum pervicacia.* II. Adhibuisse omnem curam Arium post inflictum sibi ab Alexandrino Praesule anathema, ut opera Eusebianorum huius gratiam rursus iniret, his verbis tradidit in 2. Apologia S. Athanasius: „ *Cum Arius, unde Anomanitarum haeresis conflata est, ab Ecclesia per B. Episcopum Alexandrum eiectus esset, Eusebiani discipuli pariter, & Socii impietatis, semetipsos eiectos esse urbitrantes, multis adhortationibus Alexandro scripserunt, ne Arium extra Ecclesiam relinqueret.* „ Videtis, ut opinor, pertinaciam erroris, neque enim humiliter veniam petunt, sed quasi iudici minas intentant, eumque ad pacem hortantur; nec arma deponunt, sed ut ipse deponat, actaque synodalia rescindat, audaci temeritate contendunt. Immo sectae antesignanus Arius, simulque anathemate perculsi Clerici Alexandrini, eiusque adiuncti quidam ex Aegypto & Lybia Episcopi atque presbyteri, datis ad Alexandrum litteris, palam mentiuntur se a recta fide deflectere, palam damnatum errorem propugnant, atque ipsimet Alexandro audent regulam credendi proponere: „ *Novimus* (inquiunt apud Epiphanium, qui nobis H. 69. num. 7. litteras illas servavit) *unum solum Deum ingenitum, solum sempiternum, solum sine principio, solum bonum, solum immortalitatem habentem, solum sapientem, solum summum, solum dominum, solum iudicem omnium, gubernatorem, oeconomum, immutabilem, iustum & bonum, Legis, Prophetarum ac Novi Testamenti. Hunc Deum genuisse Filium unigenitum ante tempora aeterna, per quem & saecula, & reliqua fecit; genuisse autem non in apparentia, sed veritate, ac subsistuisse propria voluntate immutabilem, creaturam Dei perfectam, sed non velut unum ex creaturis; foeturum, sed non velut unam ex foeturis, seu genituris: nec quemadmodum Valentinus adseverabat, emissionem quamdam esse illum foetum Patris; neque sicut Manichaeus, partem eiusdem Patris coessentialem; neque sicut Sabellius, qui unitatem dividens Filium patrem dixit; neque velut Hierax lucernam ex lucerna, facemque, vel lampadem in duas partes divisam, neque prius existentem, & postea genitum, & creatum in filium, quemadmodum etiam tu, beate Papa, in media Ecclesia & consessu, eos, qui talia introduxerunt, refutasti: sed, ut diximus, voluntate Dei ante tempora, & ante saecula creatum esse, & vivere, & esse a Patre accepisse.* „ Atqui non propriam tantum hypostasim, aut praeexistentiam, completamque substantiam, Filio adtribuendam docet Catholica Fides, sed generationem quoque, natura, non voluntate, eamdemque individuam Patris essentiam, non aliam ab ipso ante creaturas reliquas creatam atque productam: quod cum pertinaciter Ariani propugnarent, eos in communionem recipere Alexander nec poterat, nec debebat, erigensque Catholicae confessionis vexillum, aciem adversus hostes instruxit, intorta iacula impietatis excepit, contrivit, ad mortem usque pro Christi divinitate

pu-

pugnavit, eiusque opera Arius solum vertere, fugam arripere, atque in Palaestinam se recipere coactus est.

III. Audistis Arianorum pertinaciam, nunc attendite progressionem. Hanc Nicephorus lib. VIII. cap. 11. ita litteris consignavit: „ *Ut vero nihilo magis coeptum eorum ex sententia processit, quod Alexander in eis, quae semel decrevisset, constanter perseveraret, desperata ea re, Arius Internuncios ad Paulinum, & Eusebium Pamphili, & Patrophilum Scythopolitanum, & ad illorum collegium misit, petens, ut sibi, sectatoribusque suis potestas fieret populi sui in Ecclesia cogendi, sicut fecerat ante, quippe qui longo iam tempore ordinem locumque suum inter privatos haberet. Illi legationem hominis suscipiunt, & cum aliis in Palaestina convenientes, decretum inscriptum referunt, Arium quidem, ut antea, conventus cogere posse.* „ En hominem in Aegypto damnatum, in Palaestina docendi facultate praeditum, atque post patronum suum principem Eusebium Nicomediensem, a quo Ariani appellati etiam sunt Eusebiani, nactum familiaritatem ac patrocinium Eusebii Pamphili Caesareensis Episcopi, viri litterarum gloria undequaque clarissimi. Contigit per id temporis quod H. 69. n. 4. narrat Epiphanius: „ *Alexandria fugiens Arius in Palaestinam, ibi singulos Episcopos adire, ac prensare, adularique coepit, qua sibi plures suffragatores adiungeret.* „ Adhaeserunt itaque illi praelaudatus Eusebius Episcopus Caesareae, Theodosius Laodiceae, Paulinus Tyri, Athanasius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aetius Diospolis; eidem Ario adversantibus Philogonio Episcopo Antiochiae, Hellanico Tripolis, & Macario Ierosolymorum; Idque affirmat Theodoretus lib. 1. E. H. cap. 4. necnon Arius ipse scribens ad Eusebium Nicomediensem „ *Quoniam Eusebius frater tuus Caesareae, & Theodosius, & Paulinus, & Athanasius, & Gregorius, & Aetius, & omnes Orientales asserunt, Deum sine ullo principio ante Filium existere, anathemate damnantur, excepto Philogonio, Hellanico, Macario haereticis, ac rudimentorum fidei ignaris hominibus, qui Filium partim Eructationem, partim ingenitam Productionem appellant.* „ Impingit autem Arius tribus Orthodoxis Episcopis haereseos notam, ut animadvertit citato in loco Theodoretus „ *Quoniam Filium aeternum & ante saecula, Patrique honore parem, & consubstantialem dicebant.* „ Ad hunc ergo modum, frustra in contrarium adnitente Alexandro, perniciosissima haeresis grassari coepit, ac tam superbo dominatu potiri, ut utrinque certarent Episcopi, horumque dissidia, ad aures Constantini, qui post cladem Licinianam anno 324. Aegypto quoque imperabat, delata pertingerent, atque piissimus Imperator excitatas procellas componere, & extinguere quamprimum curaret, quo eventu, quo exitu, ad finem properante oratione enarrabo.

III. Progressus Arianorum.

IV. Constantini pro Ecclesiae pace studium & cura.

IV. Tam ad Alexandrum, quam ad Arium, litteras dedit Imperator felix, invictus, quas lib. II. Vitae ipsius Constantini inseruit Eu-

Eusebius. Eas Baronius refert ad annum 318. sed cum scriptae sint, superato Licinio, atque ex regia Nicomediensi, ex qua Imperator Aedificationi Vrbis Constantinopolitanae intendebat, datas arbitramur praedicto anno 324. quod innuit etiam subscriptio earumdem „ *XI. Kal. Decembris, Licinio quintum, & Crispo Caes. Coss.* „ Misit quoque Imperator Alexandriam Osium Cordubensem Episcopum, ut cum Ario Alexandrum conciliaret, animorumque iracundiam sopiret. Quid vero Osius egerit, ostendet proxima Exercitatio. Nunc de Imperatoriis litteris perpauca delibando, iis Constantinus videtur in Alexandrum priorem culpam reicere; inquit enim: „ *Inde igitur praesentis controversiae fundamentum intelligo iactum esse, quod tu, Alexander, a presbyteris de loco quodam in sacris litteris quaerebas: immo vero de inani quadam quaestionis particula sciscitabaris, quid quisque illorum sentiret.* „ Haec verba addita, vel corrupta ab Eusebio Arianis partibus addictissimo, censet ad Alexandrum a calumnia purgandum Caesar Baronius. At quidquid sit de Eusebii fide (de qua saltim post Nicaenam Synodum gravis inter Eruditos agitur controversia) nunquam in animum inducam meum, ab Eusebio Principis litteras temeratas, nec dubito, quin Eusebius alter Nicomediensis Antistes, Arianorum Coriphaeus, Constantinum subdola narratione deceperit. Sane quantum Imperator Augustus desiderio pacis flagraret, easque dissensiones aegre ferret, haec ipsius verba declarant. „ *Date igitur mihi dies tranquillos, & noctes curae ac molestiarum expertes, ut voluptas, quae tum ex sincera concordiae luce, tum ex vita quieta capi solet, mihi integra in posterum conservetur. Quod quidem si minus contingat, necesse est ingemiscere, lacrimis & moerore omnino confici; nec fieri potest, ut vitae cursum de reliquo tranquille & sedate transigam. Nam quamdiu Dei populus, (eum dico, qui communi mecum erga Deum obsequio fungitur) tam iniqua perniciosaque contentione ab se mutuo dissidet; quomodo fieri potest, ut ipse animo tranquillo consistam?* „ O singularem, eximiam, regiam, & Constantino dignissimam, pacis Exhortationem! Validiora tamen necessaria erant remedia, quae in posterum narrabuntur, nam quaenam esset Arianorum pervicacia, quales eis patrocinarentur Antistites, quam humaniter Constantinus se gesserit, id, quod in praesenti Capite narrandum erat, probe intellexistis.

De

De Osio, eius Legatione, & celebrata ab eo Synodo Alexandrina.

I. NEQVE Alexandrini Praesulis exhortationibus, neque minis, neque Synodi proscriptione, neque demum piissimi Imperatoris Constantini litteris, humanitatis officiorumque plenissimis, revocatum fuisse ad frugem haeresiarcham Arium, vobis in eum, nescio num admiratione, num indignatione commotis, postrema Exercitatio nostra enarrabat. Videndum nunc quid effecerit Osii studium, atque solicitudo; illi enim cum praelaudatis Imperatoriis Epistolis Alexandriam proficiscenti provincia fuit demandata evellendi scandala, errores eliminandi, componendique dissidia: quod priusquam dicatur, quisnam fuerit Osius iste, & a quo legatus, praemittere necessum est: siquidem non parvi momenti est quaestio, a qua pendent quae de convocatione, & praesidentia Nicaenae Synodi magna contentione agitantur. CAPUT XIV.

II. Osius Hispanus genere, & Cordubensis Episcopus, iam ab anno 314. quo adversus Donatistas celebrata fuit Synodus Arelatensis, egregiam pro Catholica Ecclesia navabat operam, nomenque eius celebrabatur in Epistolis Constantini ad Caecilianum Carthaginensem Episcopum. De illo, quoniam adversus Maiorini, & Donatistarum partes stetisset, & Imperatori, ut Schisma Donatianum severioribus compesceret legibus, auctor fuisset, quaerebatur Donatista Parmenianus, scribens apud Augustinum lib. 1. cap. 5. „ *Per Osium Hispanum adiutorium praestitum est Caeciliano, ut ad eorum communionem, sanctorum & illibatorum numerus cogeretur.* „ & cap. 8. „ *Constantinus* (Donatistas) *ad campum, idest ad supplicium duci iussit. Et hoc tanquam immaniter iussit, Hispano Osio suggerente.* „ Tanti viri praesentia & auctoritate, Alexandrinam, de qua proxime dicturus sum, Nicaenam, Sardicensem, & quam nuper commemoravi, Arelatensem, Synodos perfectas, & ad gloriosum finem fuisse perductas, arbitror ignorare neminem, qui legerit Orationem primam Athanasii contra Arianos, eaque praesertim verba „ *De magno illo, & gravissimae aetatis viro, eodemque Confessore Osio, qui vere Osius est, idest Sanctus, superfluum existimo mentionem facere; non enim quidquam latere potest in viro tantae claritudinis. In qua enim Synodo ille non dux, & antesignanus fuit? Quem non ille recta tuendo in sententiam suam pertraxit? Quis illum moestus adiit, ut non laetus abierit? Quis indigens ab eo postulavit, quin postulata obtinuerit?* „ Idem Athanasius in epistola ad Solitarios Magnum Osium Confessorem appellat, necnon Principem Sacerdotum, & Abrahamicum Senem. II. *Quanti meriti Osius?*

Illum

Illum Phoebadius, & Gallicana Ecclesia vocat Antiquissimum Sacerdotem, & promptae semper fidei Osium: illum Gregorius Nazianzenus Abrahamicum Patrem: illum Liberius Papa, Hilarius, Isidorus, Augustinus, aliique plurimi amplissimis laudibus prosequuntur; neque nos res ab Osio praeclare gestas praeteribimus silentio futuris Lucubrationibus.

III. *Osius legatus a Constantino.*

III. Hunc itaque Osium Alexandriam ad Arianorum haeresim extirpandam missum a Romano Pontifice beato Silvestro, ad an. 318. affirmat Baronius: Legatum ab Imperatore Constantino contendunt non tantum Novatores universi, sed etiam Petrus de Marca in libro de Concordia Sacerdotii & Imp. cap. 31. & Alexander Natalis dissert. 10. in Hist. Eccl. 4. Saeculi. Nos a Constantino simul, & a Silvestro missum putamus, accepta ab Imperatore facultate agendi quae ad conciliandos animos conducebant, a Romano etiam Episcopo facta sibi potestate Synodos congregandi. Atque legatum Osium a Constantino, ut cum Ario Alexandrum conciliaret, luce meridiana magis perspicuum videtur. Quid enim Eusebius? „ *Imperator* (inquit Vit. Constant. lib. II. cap. 63.) *gravissimo dolore perculsus, confestim ex Dei cultoribus, quos circa se habebat, quemdam, quem ob modestiam fidei spectatum, & ob religionis confessionem superiori tempore prae ceteris nobilitatum esse cognoverat, Alexandriam dirigit, ut inter eos, qui illic dissidebant, pacem componeret.* „ Quid Socrates? „ *Osius Cordubae in Hispania Episcopus* (ait lib. III. H. E. cap. 7.) *ab Imperatore Constantino ad hoc missus fuit, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret.* Quid Theodoretus? „ *Imperator* (inquit lib. I. cap. 7.) *primum ipsum malorum fontem obstruere laborat, & ob eam causam mittit Alexandriam quemdam hominem ingenio praestantem cum litteris, atque eo pacto tum contentionis incendium extinguere nititur, tum spem animo capit posse fratres seditione aextuantes ad concordiam reduci.* „ Leguntur similia apud Sozomenum lib. I. cap. 16. atque in Actis Metrophanis & Alexandri apud Photium Cod. 256. proferuntque haec testimonia, iisque mirum in modum sibi plaudunt ii Auctores, qui negant in Osii legatione partem aliquam habuisse Silvestrum. Neque satagam ego istiusmodi loca discutiendo: probo singula, addoque testimonium Anastasii Bibliothecarii in Hist. Eccl. ita scribentis: „ *Constantinus comperta Arii commotione valde turbatus, scripsit Alexandro & Ario communem Epistolam, consilium dans nequaquam communionem solvendi, & ad pacem mutuam redeundi: misit autem & Osium Cordubae Episcopum Alexandriam contra Arium.* „ Quamobrem legatum Osium a Constantino ego quidem non ibo inficias, fateor ultro lubensque, & quod adversarii tradunt, uberiori auctoritate confirmo.

IV. At Constantinum Osio dedisse facultatem congregandi Synodum, non autem id egisse Cordubensem Episcopum annuente Silvestro,

vestro, nulla mihi ratiocinatione suadent. Ac primum legant, perlegant, pervolutent producta Historicorum testimonia, nil ex iis haurient, nisi commissum a Constantino, ut discordes animos conciliaret. Missum Osium, ut inter eos, qui diffidebant, pacem componeret, ait Eusebius: ut excitatum tumultum extingueret, inquit Socrates: ut seditione aestuantes ad concordiam reduceret, scribit Theodoretus. De cogenda, congregandaque Alexandrina Synodo, nec my, nec gry. Deinde ostendimus Cap. II. Alexandrum suborta Arianorum haeresi statim certiorem reddidisse Silvestrum; hunc vero studium curamque omnem ad haeresim illam eradicandam adhibuisse. Quid ergo congruum magis, & rationi consentaneum, quam si dicamus Romanum Pontificem, cum perspectam haberet Osii doctrinam, prudentiam, sagacitatem, ei apud Constantinum commoranti commisisse Apostolici Legati munus, atque ita eius opera ad tollendum dissidium usum fuisse Augustissimum Imperatorem, ut Osius profectus Alexandriam ad concordiam diffidentes exhortaretur, quod Constantinus mandaverat; sin minus hortamenta, officia, & Imperatoriae Sacrae proficerent, Synodum cogeret, & contumaces proscriberet, quod iura Legati Apostolici postulabant? Neque id futili innititur coniecturae, sed comprobatur eventu; siquidem Osius, ubi Alexandriam pervenit, nec potuit Constantinianis litteris sedare tumultus, revera Synodum centum Episcoporum indixit, & anathema rursus in Arianos, & Culluthianos intorsit; quod Episcopus Hispanus quomodo, iure Patriarchae Alexandrini non violato, intentasset? Quomodo ad eius nutum Episcopi convenissent, nisi Osius praeditus foret superiori facultate, sibi ab Apostolica Sede collata? Ad haec Osius revera praefuit magnae Nicaenae Synodo, ut suo ostendam loco, eique ante ceteros Episcopos, etiam Patriarchas, subscripsit; quod nullo iure, nisi Legati Apostolici, poterat ipsi competere. Sed audiamus Eminentissimum Baronium: „ *A quonam dicendum est, Legatum esse Osium Episcopum Cordubensem, confessione, & eruditione clarissimum, ad Constantinum Imperatorem in Orientem? Rursum vero a quonam affirmandum, missum esse Legatum eumdem Osium Alexandriam ad Alexandrum, tantaque auctoritate, ut Synodum habuerit generalem? Eo namque nomine eam dictam esse suo loco demonstrabimus; nisi quod eo ipse profectus fuerit Apostolicae Sedis Legatus?.... Insuper quid est (nam ex rebus postea gestis, quae antea facta sunt, possumus certius intueri) quid, inquam, est, quod in Nicaeno Concilio Osius primo loco, & ante illos, qui tunc ad ipsum conventum Legati Apostolici convenerunt, chirographum subscriptionis opposuit, nisi quod ipse eodem munere Legationis Apostolicae fungeretur, & longe ante ipsos eam functionem primitus accepisset?* „

V. *Diluitur obiectio.* V. Ut argumentationem istam Baronii infringant, reponere solent adversarii, necessarium non esse, Osium Romani Pontificis fuisse

se Legatum, ut Synodum congregaret: & verisimilius esse, Alexandrinae Synodo praefuisse, ipsomet Alexandro, ceterisque Aegypti Episcopis primas ei deferentibus, tanquam Imperatoris Legato, qualem fuisse affirmant Eusebius, Theodoretus, & Socrates. Verum etsi quilibet Episcopus valeat Synodum convocare, non tamen plenariam in alieno Patriarchatu; & licet Alexander, ceterique Episcopi Aegypti missum a Constantino, ut par erat, exciperent, non tamen adeo impense, ut iura sua, quae defendere tenebantur, violarent: nec ea Osius humilis aeque ac prudens, insolenti evasisset exemplo, fretus patrocinio Principis, qui illum tanquam pacis sequestrum, non tanquam Synodorum praefectum legaverat. Sed qua facultate, quo iure Osius Alexandrinam Synodum congregaverit, in ea, quae ad istam consequitur, Exercitatione disquiram.

Sequitur de Alexandrina Synodo dissertatio.

CAPUT XV. I. OSIUS, re ac nomine sanctus, egregius Fidei Confessor, ab Imperatore Constantino, ut superiori Capite enarrabam, ad componenda dissidia, quae Arii impietas excitavit, auxitque arrogantia, missus Alexandriam, prope causa, & origine inspecta, ad Alexandri partes accessit, ac munere, quo fungebatur, Legati Apostolici, plenaria Episcoporum totius Aegypti Synodo congregata, Arium, eiusque gregarios, anathematis poena multavit. De hac Synodo aliquantulum differere deliberavi, quoniam & tempus, quo fuit coacta, & Praesul, qui eam indixit, & ius, quo adunata fuit, haud accurate videntur exposita, cuius rei causa in iis quoque, quae ad Nicaenam attinent, scriptores plurimi allucinantur, & hanc inscio Silvestro celebratam fuisse contendunt.

II. *De tempore Synodi Alexandrinae.* II. Alexandrinam Osii Synodum C. Baronius celebratam ait anno 319. Constantini 14. Anastasius Bibliothecarius anno Christi 322. Constantini 17. Dionysius Petavius, Basnagius, Pagius, & recentiores Chronologi anno Christ. 324. Constantini 19. His omnino adhaerendum, propteraquod certum sit, Licinium hoc tantum anno debellatum, & purpura exutum, quod Baronii, Spondani, Labbei, aliorumque iis adhaerentium, evertit Chronologiam: eatenus quippe Epocham Alexandrini Concilii antea constituunt; quatenus memorandam Licinii cladem anno 318. contigisse arbitrantur. Sed facile possunt erroris sui commoneri; primum ex Fastis Idatii, in quibus habetur: „ *Crispo III. & Constantino III. Coss. bellum Adrianopolitanum die V. Nonas Iulias, & bellum Chalcedonense XIV. Kal. Octobris.* „ Utrumque bellum attulit exitium Licinio; praedictus autem Consulatus tertius Crispi, & Constantini, certissimus est anni

anni 324. character. II. Ex Aurelio Victore, qui in libro de Caesaribus inquit: „ *Licinio variis praeliis pulso, cum eum prorsus opprimere arduum videretur, simul affinitatis gratia, recepti consortio, adscitique Imperio Caesarum communes liberi, Crispus Constantinusque Flavio geniti, Licinianus Licinio. Quod quidem vix diuturnum, neque his, qui assumebantur, felix, defectu Solis, foedato iisdem mensibus die, patefactum. Itaque sexennio post, rupta pace, apud Thracas Licinius pulsus, Chalcedona concessit.* „ Profecto Crispus & Constantinus ac Licinius anno 317. *Coss. Gallicano & Basso*, *Caesares creati fuerunt*, ut diximus Capite X. ab hinc autem computatum sexennium anno 323. collineat, quo anno, violata rursus pace, copias Licinius & Constantinus collegerunt, & se ad bellum peractum consummatum anno proximo 324. compararunt. III. Sententia firmatur nostra ex Lege 1. *De infirmandis iis, quae sub Tyrannis*, quae ita sonat „ Remotis Licinii Tyranni Constitutionibus & legibus, omnes sciant, veteris Iuris, & statutorum nostrorum observari debere sanctionem: „ cui legi subscriptio haec subest: „ *PP. XIII. Kal. Iunias, Crisp. III. & Const. III. Caes. Coss.* ideoque his Coss. annoque 324. Licinius in ordinem redactus fuit. Cum itaque Constantinus mittere non potuerit Osium Alexandriam, antequam Licinius Orientis, & singillatim Aegypti expoliaretur imperio; evidens est, anno duntaxat 324. Legationem illam fuisse peractam, celebratamque Synodum, de qua in praesentia agitur, scilicet Alexandrinam.

III. Suppono autem in hac Synodo damnatum rursus Arium; quamvis enim in Epistolis Cleri Mareotis, quas laudavimus Capite XII. agentes de Schismate Colluthiano, habeatur duntaxat, eadem in Synodo Colluthum redactum ad gradum presbyterii, & ad laicam communionem, propterea quod idem Clerus duntaxat a Synodo Tyria interrogatus fuerat, an Ischyras verus esset presbyter, & Colluthus Episcopus; nihilotamen minus incredibile prorsus est, Osium neglexisse quod ei principaliter iniunctum fuerat, causae scilicet Alexandri, & Arii discussionem. Eamdem Synodum Clerus Mareotidos in praelaudatis Epistolis, & S. Athanasius in 2. Apolog. appellant *Generale Concilium*, non quod esset plenarium totius Orbis, sed quoniam erat plenarium Aegypti, finitimarumque provinciarum; neque obscure innuunt, Osium in ea Synodo locum principem tenuisse: aiunt enim Ischyram „ *ordinatum a Coluthо quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in Generali Concilio ab Osio, & a ceteris Episcopis, qui una aderant, iussum fuit, ut se pro presbytero, qualis antea fuerat, haberet.* „ Cumque Osius ex quo provinciam hanc subiit, ceteris quoque Synodis praefuit; recte de illo inquit Orat. I. praelaudatus Athanasius: „ *In qua enim Synodo ille dux & antesignanus non fuit?* „ & in Apolog.

III. *Huic Synodo Osius praefuit.*

de Fuga sua. „ *Quae Ecclesia illius praesidentiae non pulcherrima monumenta retinet?* „. Negari itaque non potest, Osium Alexandrinae huic Synodo praefuisse: ac frustra Samuel Basnagius ad annum 324. num. 16. opposuit verba Socratis lib. 1. cap. 6. „ *Alexander collecto multorum Episcoporum Concilio, Arium, & reliquos, qui sententiam eius amplectebantur, gradu movit.* „ Haec enim a Socrate scripta sunt de Synodo Alexandri, de qua egimus Cap. 11. non de hac plenaria, in qua Colluthus redactus fuit ad classem presbyterorum; & in qua proscriptum rursus Arium, probabili quidem coniectura, affirmamus; sed non possumus Actorum monimenta, quae penitus exciderunt, proferre.

IV. *Quo iure Osius Synodo praefuerit?*

IV. *Cum igitur ex dictis manifeste appareat*, (verba sunt Baronii ad annum 319.) *Osium habuisse in Aegypto Synodum tam celebrem, & in ea quoque cognovisse controversias Meletianorum, & Collutbianorum, Schismaticorum; satis significatum videtur, functum esse ipsum Osium Legatione ab Apostolica Sede: nam cum in Constantini litteris nonnisi de componendis dissidiis inter Arium & Alexandrum mentio habeatur, quorum tantum causa litteras illas ab eo accepisse diximus: ut ipse praeterea Schismaticorum causas cognosceret, ab alio, quam a Constantino, id ei oportuit imperatum. Porro non ab alio id potest dici vel fingi, quam ab ipso Romano Pontifice, qui Alexandri litteris, ut de ceteris, de his fuerat interpellatus: & qui ad hoc potissimum delegit Osium, virum cum eruditione, tum confessione clarissimum, Constantino praesertim in causa Donatistarum notissimum, ac pariter acceptissimum.* „ Subscribit Eminentissimi Cardinalis sententiae eruditissimus Lupus, qui de Actis huius Synodi disserens, producit aureum monumentum; quo, me quidem iudice, lis omnis dirimitur, Epistolam scilicet 220. S. Basilii ad Romanum Pontificem, qua petens Apostolicae Sedis Legatos, qui visitent, ac reparent Orientalem Ecclesiam ab Ario devastatam, ait, se nihil petere intempestivum: *In more semper fuisse Romanis Episcopis mittere de suis, qui fratres e captivitate liberarent: id notum esse partim beneficio memoriae rerum a Patribus deductarum, partim per litteras etiamnum custoditas S. Dionysii, celeberrimi Romani Antistitis, qui per litteras, legatosque suos curavit Ecclesiam Caesareensem.* „ Haec quae ipsius Basilii verbis narravimus, quamquam nullam Osii mentionem faciant, commonstrant tamen vetustissimam Apostolicae Sedis consuetudinem, & quae vigebat in primordiis haeresis Arianae, mittendi in Orientem Legatos, ubi id necessitas postulasset. Obiicienti autem Illustrissimo Petro de Marca cap. 31. Concord. verba Africani Concilii ad Caelestinum Rom. Pontif. „ *Extraordinarium in Politia Ecclesiastica est, mitti in provincias Legatum, qui Conciliis provinciarum intersit* „ respondet ipsemet Lupus, oppositum evinci ex hac Synodo Alexandrina, atque ex Epistola praelaudata Basilii; Concilium vero

Afri-

Africanum non quasvis Sedis Apostolicae Legationes oppugnare, sed quae fierent ad judicandas Clericorum appellationes. Itaque, posteaquam in scholam Christianum Lupum induximus, illius verbis Dissertationi coronidem imponemus: „ *Hanc proinde praesentem Synodum ex Apostolicae Sedis auctoritate fecit Osius, ac ipsi praesedit. Etenim non ad Magnum solummodo Constantinum, sed & ad S. Pontificem Silvestrum, S. Alexander omnia retulit: atque ita ex utriusque auctoritate Osius haec egit in Aegypto. Huius rei licet alia documenta interierint, aut lateant, facta ad Apostolicam Sedem Relatio est abunde sufficiens testimonium.* „

Describitur Haeresis Ariana.

I. POSTEAQUAM Beatissimi Osii Cordubensis Episcopi Synodum Alexandrinam superiori Exercitatione descripsimus; operae pretium ducimus exponere quaenam fuerit primigenia Arianorum impietas, fallaxque doctrina, ut de aequitate inflicti eis anathematis nulla oriri possit suspicio. Agite ergo, animisque adeste, & mihi qualis fuerit princeps Ariomanitarum blasphemia, an omnium primus illam Arius pronuntiaverit, & quaenam fluant ex ea consectaria, nunc exponenti aures, qua consueti estis humanitate, atque attentione praebete. CAPUT XVI.

II. Mera itaque, ac primigenia Arianorum haeresis in hoc sita est, quod solus Deus Pater divinam habeat substantiam, Filius autem naturam habeat, a Patre disjunctam, ac separatam, atque alterius omnino generis, eo quod eadem essentia, illorum sensu, compati plures hypostases nequeat, ideoque Verbum non sit ipsi Patri consubstantiale, sed factum ex non exstantibus, & libero divinae voluntatis decreto procreatum ex nihilo, ante creaturas tamen reliquas, quarum illud Opifex fuit, & divinae Omnipotentiae instrumentum, neque natura, seu nativitatis origine, sed praedestinatione, operumque suorum praescientia, a ceteris conditis, creatisque substantiis secretum, elevatumque ad paternae gloriae consortium. Recte his delineari praecipuum dogma Arianum, constat ex supplici Arii, & fautorum ejus libello ad Alexandrum, a nobis praecitato Cap. XIII. in quo vaferrimi haeretici profitentur, Patrem esse Ἕνα Θεὸν, μόνον ἀγέννητον, μόνον ἀΐδιον, μόνον ἄναρχον, μόνον ἀληθινὸν, μόνον ἀθανασίαν ἔχοντα, μόνον σόφον, μόνον ἀγαθὸν, μόνον δυνάστην, πάντων κριτὴν, οἰκονόμον, ἀτρέπτον, καὶ ἀναλλοίωτον; Verbum autem esse, κτίσμα, καὶ ποίημα, *Creaturam, & opus*: Sophiam quidem, ac Sapientiam, sed productam extra Parentis substantiam, per Rationem, & Sophiam alteram interiorem a Patre indistinctam, quemadmodum

Praecipuus Arianorum error. II.

modum archetypum opus, a mente, ratione, ideaque artificis ab refectum. Idem constat ex Ario in Thalia, ex qua S. Athanasius in lib. de Syn. Arimin. & Seleuc. hanc profert eiusdem haeresiarchae blasphemiam, ξένος 'Ιοῦ υἱοῦ καl' ὀυσίαν ὁ παlὴρ, ὅτι ἄναρχος ὑπάρχει. „ *Alienus, quantum ad substantiam attinet, Pater a filio, quippe qui caret principio.* „ Idem demum constat ex aliis eiusdem Arii verbis apud praelaudatum Athanasium Orat. 2. Οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ υἱὸς, ὀυ γὰρ ἦν πρὶν ἐγεννηθῇ, ἀλλ' ἐξ ὀυκ ὄντων ὑπέςη, καὶ ὀυκ ἐσlὶν, ἐκτοῦ πατρὸς οὐσίας. κlίσμα γαρ ἐςιν, καὶ ποίημα, καὶ ὀυκ ἐστὶν ἀλιθηνὸς Θεὸς ὁ Χριςὸς „ *Non semper erat Filius, neque enim erat priusquam fieret, sed ex non exstantibus emersit: neque est ex patris substantia; creatura enim, & factura est; ideoque nec verus Deus est Christus.* „ Ex ipsis itaque Arii verbis, quo in dogmate cognominata ab illo haeresis potissimum sita est, perspicue, ut opinor, intellexistis.

III. Vnde haeresim Arius hauserit?

III. Haec a nemine ante Arium pronuntiata fuisse, affirmat lib. 1. H. E. cap. 15. Sozomenus: „ *Quae, ait, a nullo hactenus usurpata fuerant, Arius docuit, videlicet, Filium Dei ex non exstantibus esse factum, ac fuisse quondam cum nondum esset: Item libero suo arbitrio nequitiae ac virtutis esse capacem, & creaturam, atque opificium.* „ Sozomenum vero ita interpretatur lib. 1. de Trinitate cap. 8. Cl. Dionysius Petavius, quoniam etsi plures ante Arium idem senserint, ut Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Origenes, & Dionysius Alexandrinus; primi tamen tres aiunt, Filium profluxisse ex Patris substantia; Origenes vero, ac Dionysius nunquam expresse asseruerunt, eumdem Filium esse *ex non exstantibus*, ut effutiit Arius. Verum Petavii de Antenicaenis Patribus opinationem Cordati omnes Theologi reiecerunt, eamque nos ipsi pro nostra imbecillitate oppugnavimus. Eusebius Caesariensis, ut se apud Nicaenam Synodum purgaret, quemadmodum in libro de Actis eiusdem Synodi refert S. Athanasius, ait scriptum ab Ario, *Filium non fuisse, antequam gigneretur*, ut inde ratiocinando concluderet, non extitisse ante carnis nativitatem; quae si vera essent, praelusissent Arianis Ebionitae, Paulus Samosatensis, Photinus, aliique autumantes, Christum non fuisse, priusque nasceretur ex Virgine; quod nequaquam consonat cum decretis Arii, qui Christum ante alias creaturas extitisse, productumque a Deo, ut illarum esset efficiens, & instrumentalis causa, dogmatizabat; neque omnibus Eusebii Pamphili valde de Arianismo suspecti, probatur narratio. Plures itaque fuerunt Arii praecursores, nam haeresis in una, eademque divina substantia unicam adstruens personam, & Filio denegans consubstantialitatem, ipsumque praedicans creaturam, licet aliis praestantiorem, videtur cum superioribus haeresibus fere omnibus convenire, Nam cum Sabellianis divinarum Personarum Trinitatem, cum Artema, Ebione,

Ce-

Cerintho, Iudaeisque, negat Christi humani Generis Reparatoris divinitatem; atque hanc errorum permixtionem fertur Arius ex scriptis Origenis hausisse. Certe S. Hieronymus in Epistola ad Avitum testatur, Origenem in 1. περὶ ἀρχ. libro, asserere, ***Filium Dei non natum esse, sed factum: Deum Patrem per naturam invisibilem, a Filio non videri: eumdemque Filium Patri comparatum, non esse veritatem, aliaque plura***, quae Rufinus detruncavit, adeo ut arduum sit, ex libris, qui modo exstant, aequum ferre de Origenis fide iudicium: habetque ille defensores nonnullos, sed longe plures accusatores. At haec obiter; quale enim sit Arianum dogma, & unde illud Arius hauserit, dictum modo.

IV. Restat, ut videamus eiusdem dogmatis consectaria. Quorum primum est, haeresi Arianorum introduci, atque instaurari Iudaismum; illud enim crimen blasphemiae, quod Iudaei obiiciebant Christo, quoniam se cum Patre unum & verum Dei Filium annuntiabat; hoc ipsum afferentes Naturarum discrepantiam intentant, atque ut de Anomaeis aiebat Chrisostomus, ***in Dominum lapides licet non manu, cogitatione, animoque proiiciunt***. Praeterea Ariani secum trahunt cum Iudaismo Gentilitatem; nam si Ethnici venerantur idola, & idcirco increpantur ab Apostolo, quod serviant ***creaturae potius, quam Creatori***; quid, ut verbis utar Athanasii, ab Ethnicis differunt, qui cum Filium Dei esse creaturam pronuntient, illi tamen Religionis cultu, ceremoniisque obsequium tamquam Numini impendunt? Adhaec Ariani Dominicae Incarnationis Oeconomiam denegantes, tum quia verum Deum homini coniunctum inficiantur, tum quia carni assumptae a Verbo Verbum ipsum fuisse autumant rationem, mentem & animam; mysterium Mediatoris evertunt, atque passionis sensum, mortem, & resurrectionem ab Inferis, Divinitati audent inferre. Insuper, quod ex hoc consequitur capite, Ariana posteriorum haeresum Apollinaristarum, Agnoitarum, Macedonianorum, Nestorii, Euthichetis, Eunomii, Sergii, Pyrrhi, aliorumque Monothelitarum parens, & altrix fuit; siquidem Christi divinitate sublata, & Verbo rationalis animae munere & natura attributis; necessum est Dei Filio imperfectionem, & ignorantiam adscribere, missum ab ipso Spiritum creaturam asserere, Mariam denegare Theotocon, utriusque Christi naturae adstruere confusionem ac permixtionem, unius voluntatis dogma construere, verbo dicam, in omnem impietatem, errorumque abyssum miserando lapsu ruere. Quamobrem recte Ariani ob similitudinem impietatis cum Porphirio lege Constantini appellati fuerunt ***Porphyriani***: recte ab eodem Constantino, atque a S. Epiphanio, tamquam furentes & bacchantes vocantur ***Ariomanitae***: recte illorum haeresim Proclus Constantinopolitanus appellat ***Iudaica perfidia contumeliosiorem***: recte passim Athanasius illam nuncupat, Ἰουδαϊκὴν νέαν αἵρεσιν; siquidem, ut diximus paullo supra, nunc

IV.
Haeresis Arianae consectaria.

nunc verbis S. Cyrilli lib. XI. in Ioannem repetimus „ *Iudaei secundum carnem Christum affigunt cruci, Ariani autem in ipsam debacchantur ineffabilem Verbi naturam*. Habetis igitur Arianae haereseos nefarium dogma, fontem teterrimum, & perniciosissima consectaria; de quibus erat hac diatriba pertractandum.

De Nicaenae Synodi Convocatione.

CAP. XVII.

I. DESCRIPTA superiori Capite Arianae Haereseos impietate, discussoque praecipue dogmate, absoluta est enarratio trium illarum causarum, propter quas Capite V. affirmavimus, indictam, coactamque fuisse magnam Nicaenam Synodum. De ipsius modo Synodi convocatione verba facturus, extra omnem controversiam positum arbitror, contigisse posteaquam Osius Alexandria ad Constantinum, Nicomediae commorantem, reversus est, legatione sua ob Arianorum contentionem ac pervicaciam nullum afferente praesentissimae calamitati remedium: quibus praemissis, haud parvi momenti quaestionem dirimendam adgredior, a quo Synodus illa fuerit indicta, an ab Imperatore Constantino, an a Silvestro Romanae Vrbis Episcopo.

II. *Controversia proponitur.*

II. Plurimum hac in controversia Baronius, Bellarminus, Canus, & quotquot vel Historiam Ecclesiasticam, vel Polemicam Theologiam exornarunt, operis conferunt, ac desudant, ut suadeant congregatam eam Synodum annuente Silvestro, contra pugnantibus Novatoribus, atque una cum iis in Epistola ad Ludovicum Habertum Ioanne Launoio, & corvorum, cornicumque more, tentantibus cuique nostrum, oculos clamando, crocitando, innumera scriptorum testimonia producendo confodere, ut caecutientes fateamur, Pontifice Maximo prorsus inscio, rem omnem ab Augustissimo piissimoque Imperatore fuisse peractam. Inter quas extremas sententias ea nobis videtur vera, & ad oppositas argumentationes facillime refutandas percommoda, quae docet, Constantinum quidem indixisse illam Synodum, dicti Osii Apostolicae Sedis Legati suasione, praevioque consilio Silvestri: quod spero fore, ut vos item probetis, ubi haec tria demonstravero, Constantini convocationem, assensum Pontificis, utriusque opinionis concordiam.

III. *Synodum a Constantino congregatam fuisse demonstratur.*

III. Ergo Synodum a Principe indictam scriptores omnes affirmant. Affirmat Eusebius lib. III. de Vita Constantini, ubi ait: „ *Deinceps igitur Concilium Generale, tanquam quemdam Dei exercitum instruens, in unum locum coegit; & Episcopos undique per litteras honorifice scriptas, ut eo maturarent, accivit.* „ Affirmat Socrates lib. I. H. E. cap. 5. „ *Cum Imperator videret his duabus contentionis*

nis tempestatibus (Arianis nempe tumultibus & controversia de die Paschatis) *Ecclesiam vehementer concuti, universalem Synodum congregavit.* „ Affirmat Sozomenus lib. 1. cap. 16. „ *Verum ubi contra quam exspectabat, res successit, & contentio reconciliationem impedivit, Osiusque ad pacem faciendam missus re infecta reversus est, Constantinus indicit Concilium Nicaeae Vrbis Bithyniae, scribitque ad omnes Ecclesiarum Praesides, ut ad diem praestitutum adsint.* „ Affirmat Gelasius Cyzicenus lib. II. cap. 5. „ *Cum videret Imperator perturbatam Ecclesiam, Generale Concilium convocat, Episcopos undique, per litteras, ut Nicaeam Bithyniae occurrerent, exhortans.* „ Affirmat S. Epiphanius H. 69. num. 11.„ *Imperator Ecclesiae consulens, cum iam plerisque a se dissidentibus varia essent Schismata, Oecumenicam Synodum collegit* 318. *Episcoporum.* „ Affirmat Iustinianus Imperator Collat. 1. Concilii V. Oecumenici „ *Constantinus congregavit Nicaeae ex diversis dioecesibus trecentos octodecim Sanctos Patres.* „ Affirmant iidem Nicaeni PP. in epistola Synodica apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. „ *Quandoquidem Deo optimo maximo, eique carissimo Principe Constantino, nos ex diversis civitatibus ac provinciis congregante, sacra & magna Synodus Nicaeae celebrata est.* „ Quid ergo? Temere audacterque denegatur quod unanimi consensu praestantissimi Historici, & Patres tradidere: Atqui Nicaenam Synodum convocatam a Constantino, nobilissimi Historici, & PP. qui eidem Synodo interfuere, unanimiter tradiderunt: Id igitur temere audacterque denegaretur.

IV. At, ne Adversarii hac nostra consensione, & demonstratione nimium gestiant, addo, Constantinum Synodum coadunasse, accedente assensu & auctoritate Silvestri, vel datis ad illum Apostolicis litteris, vel Osio annuente, quem ostendimus fuisse Apostolicae Sedis Legatum. Id evincunt primo decantata verba Rufini lib. 1. H. E. cap. 1. „ *Constantinus ex sententia Sacerdotum apud urbem Nicaeam Episcopale Concilium convocat:* quibus verbis haud obscure Osii exhortatio consiliumque exprimuntur, siquidem testatur Sozomenus, cuius verba supra produximus, tunc Constantinum Sinodum convocasse, postquam re infecta ad ipsum reversus est Osius, cum quo Imperatorem rem non communicasse, nemo sanae mentis excogitabit; si communicavit autem, iam habemus Apostolicae Sedis Legati exhortationem, consilium, assensum. II. Gelasius Cyzicenus in Hist. Concilii Nicaeni lib. II. cap. 12. inquit: „ *Sancta & magna & generalis Synodus SS. Patrum Nicaeae congregatorum per beatum & S. Osium coacta est:* „ Quae verba dum Basnagius ad annum 325. num. 10. ita interpetratur, ut Osii, aliorumque Episcoporum, qui Constantino aderant, consiliis, monitisque adductus fuerit ad Synodum convocandam, in sententiam suam violenter, & obtorto collo detorquet; siquidem non tantum Osius, sed & Sacerdotes alii,

IV. *Sinodum non fuisse coadunatam absque auctoritate S. Silvestri.*

alii, ut scribit Eusebius lib. II. Vit. Const. cap. 4. invicto Principi, quid agendum foret, consulentes praesto erant, atque ex Epiphanio H. 68. n. 4. hortatu Alexandri Antistitis Alexandrini Synodus fuit convocata: ideoque si de consilio tantummodo agatur, nihil est, quod Osio adscribat Gelasius; quamquam aliud est hortari, & consulere, aliud vero, quod idem Gelasius expresse, perspicue, & cubitalibus, ut inquiunt, litteris scripsit, Synodum cogere, & convocare. III. In sexta Generali Synodo Act. 18. ita plaudentibus omnibus Praesulibus acclamatum est Constantino IV.,, *Arius divisor, & partitor Trinitatis insurgebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicaea Synodum congregabant.*,, Quae verba adeo perspicua sunt, ut litem dirimant, nec valeant tergiversatione aliqua eludi. Addo quae Diss. 15. de munere Legati Apostolici Osio commisso praemisi: addo quae Praelect. proxima ostendam, fas non esse Generalem Synodum congregare invito Romano Pontifice: Addo Constantini in reverentia sacris Praesulibus exhibenda, in illorum auctoritate servanda, in iure propugnando, & amplificando, pietatem maximam & singularem; quae omnia, tametsi momenta alia deessent, evincerent apertissime, nil Constantinum, quantum spectat ad Synodos, & ad Episcoporum conventus, decrevisse absque Apostolicae Sedis assensu.

V. *Respondetur adversariis.*

V. Disposita ad hunc modum Exercitatione, nil habent ponderis adversariorum momenta, cunctaque cum sententia hac nostra facillime conciliantur. Veniunt enim in aciem opponentes, quos iam audivimus, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Gelasium, Theodoretum, Iustinianum; qui affirmant Nicaenam Synodum convocatam a Constantino. At nos scriptoribus hisce omnibus assentimur, nam revera Constantinus indixit Synodum: ipse Bithyniae Metropolim pro illa habenda selegit: ipse Episcopis equos concessit ad iter celeriter conficiendum; ipse magnum iumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditavit; sed praeter haec regiae liberalitatis argumenta, nil de Synodo cogitavit nisi ex Sacerdotum sententia, ut inquit Rufinus: voluit ut Episcopi adunarentur iubente Osio, ut affirmat Gelasius, adeo ut eius liberalitati, & Silvestri Pontificis Max. auctoritati Sinodalis illa Congregatio sit adscribenda, ut fatentur Patres Sextae Synodi Generalis. Addunt adversarii, abuti nostrates testimonio Rufini scribentis coactam Synodum *ex sententia Sacerdotum*: Siquidem id exponendum est verbis Epiphanii ,, *Alexandri sanctissimi Alexandrini Episcopi studio & hortatu*:,, Verum, ut mittam responsionem Nat. Alexandri diss. XI. in Hist. E. 4. Saeculi, Rufini verba explicanda non esse ex Epiphanio qui in Historia Nicaenae Synodi ita a veritate aberravit, ut scribat Arium in ea damnatum post mortem, cum tamen Arius diu post Synodum ipsam fuerit superstes: ut, inquam, hanc responsionem prae-

praetermittam, dicimus cum Sozomeno. Constantinum de convocanda Synodo deliberasse post reditum Osii, ideoque non solius Alexandri hortatu atque studio; sed etiam ex sententia Apostolicae Sedis Legati, Synodum Imperator indixit. Nova denique cavillatione insurgit Samuel Basnagius dicens: si Constantinus misit Osium Alexandriam labente anno 324. si aliquandiu Osius ibidem commoratus est, & plenariam Synodum celebravit, si rediit Osius Nicomediam, si post huius reditum Imperator Synodum convocavit, si Synodus celebrata est XIII. Kal. Iulias anno 325. nequit tempus adinveniri, quo nuncii Romam mitterentur, & cum Silvestri consensu ad Constantinum ante Concilii convocationem redirent. Sed respondeat nobis vir litigiosus, qui de hac fertili ratiocinatione mirifice sibi plaudit: Si Romae nullum de congreganda Synodo nuncium pervenerat, quomodo ad illam Synodum missi sunt, eique praefuerunt cum Osio Vitus & Vincentius Romanae Ecclesiae presbyteri? Itaque vel interfuit revera tempus, quo nuncii Romam venirent; vel longe antea per litteras cum Silvestro egerat Imperator de Synodo cogenda; vel Osius dum Silvestri nomine, & tanquam Apostolicae Sedis Legatus annuit Imperatori, ut Concilium indiceret, certiorem simul reddidit per Epistolam Romanum Pontificem, qui misit duos alios Legatos Bithyniam. Ex his unum asserere necessum est: quidquid asseratur, constat dissertatione ad hunc modum disposita, oppositiones quaslibet evanescere.

De auctoritate Romani Pontificis in convocandis Synodis Oecumenicis.

I. ANNUENTE Silvestro Romanae Urbis Episcopo, & suadente Osio Apostolicae Sedis Legato, indictam coactamque Nicaenam Synodum, praeter historica munimenta, quae iam produximus, ea ulterius evincunt, quae ex ipso iure, atque ex auctoritate Pontificis Maximi, sibi a Dei Filio Ecclesiae Sponso, institutore, & servatore collata depromuntur; etsi ad eumdem Pontificem spectare munus convocandi ad Synodum Oecumenicam universi orbis Episcopos, negant immerito Novatores. Enimvero hanc esse eiusdem R. Pontificis in Ecclesia auctoritatem, ut ipse ceteros Antistites dirigat, & simul necessitate postulante ad plenarios congressus compellat, suadet multiplex ratio, quam nequeunt opposita obiectamenta infringere, labefactare, ac subvertere. CAP. XVIII.

II. Et quidem Romani Pontificis munus esse Generalia convocare Concilia, haud obscure ipsemet Christus significavit, Petro, eius- II. *Positionis nostrae momenta.*

eiusque Successoribus primatum Ecclesiae elargitus, eisque mandans *ut oves suas*, fideles nimirum, spiritali doctrinae pabulo pascant, pollicitus se in medio eorum ope, consilio, supernoque afflatu in posterum usque ad seculi consummationem adfuturum, si in ipsius nomine congregati simul fuerint; quod Polemicae Theologiae Tractatores demonstrant illis Evang. verbis „ *Tu es Petrus. Pasce oves meas. Ubi duo, vel tres.* „ Nam si solus Romanus Pontifex universalis Ecclesiae est rector & pastor, quis praeter ipsum, vel repugnante ipso, audacter praesumat subiectos illi Episcopos in partem ministerii selectos, convocare, eisque quid doceant Christianam plebem, quam in moribus, ritibusque teneant disciplinam, quos canones custodiant, praescribere? Aut quomodo edant, innovent, sacri Antistites in unum convenientes saeculari cogente potestate, dicerentur *in Christi nomine* convenisse? Deinde iisdem sacris litteris monentibus norunt omnes primos Sacerdotum congressus habitos Ierosolymis, dum ageretur de septem Diaconis eligendis, & de circumcisione abroganda, habitos iussione Petri, nulla vel Regis Iudaici, vel Caesaris; vel Praesidis, vel Optimatum consensione expetita: Nec arbitror aliquem futurum fore, qui optimum perfectissimumque neget Concilium illud, quod a priori Apostolico normam sumit, neque ab illo deflectit. Praeterea solis Romanis Pontificibus competere ius convocandi Synodum Oecumenicam demonstratur ex Canonum definitionibus: neque enim male in Capitulari Engirami Metensis Episcopi legitur, congregandarum Generalium Synodorum potestatem singulariter competere Sedi Apostolicae, ex iussione Domini, ex Petri meritis, ex Canonum praescriptionibus. Inter hos Canones, XVII. Concilii VIII. Oecumenici ita se habet: „ *Illud tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principis praesentia celebrari* (quod de praesentia, idem de auctoritate dicendum est) *cum nusquam sacri Canones convenire saeculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.* „ Idem docuerunt PP. inter quos Athanasius & Osius, qui Synodo Nicaenae interfuerunt: quorum ille in Epist. ad solitariam Vitam agentes. „ *Quando unquam*, ait, *iudicium Ecclesiae ab Imperatore auctoritatem habuit?* „ Et Osius eo loci ab Athanasio laudatus, in Epist. ad Constantium „ *Ne te misceas*, inquit, *Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe; sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit; & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita & tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens. magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, & quae sunt Dei Deo.* „ Quae licet de convocandis Synodis expresse non agant; quis tamen non percipit, quod si ius eas cogendi resideret in Principe,

cipe, is se rebus Ecclesiasticis immisceret, & super ea, quae Dei sunt, auctoritatem imperiumque exerceret, quod. Osius & Athanasius nefas esse dixerunt? Idem evincit Historia: primam siquidem Synodum Oecumenicam a Silvestro simul & Constantino congregatam praemonstravimus Exercitatione praeterita. Ephesinam primam a Caelestino Pontifice Theodosius, sextam Generalem ab Agathone Constantinus IV. septimam ab Hadriano I. Constantinus & Irene, octavam ab Hadriano II. Basilius Augustus impetrarunt. De Chalcedonensi, quam omiseram, habetur in litteris ad Leonem Augustum Synodi II. Maesiae „ *Convenisse per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere est caput Episcoporum* „. Ideoque mentitus non est Anastasius Bibliothecarius, dum Praefat. ad Synodum 8. ait: „ *Sedes Apostolica, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit*. „ De prima autem Constantinopolitana, & de quinta Synodo, quae primo convenerant inconsulto Romano Pontifice, quot, obsecro, contentiones, & iurgia, quanta circa auctoritatem illarum dissidia? Quisnam ipsas tanquam Oecumenicas veneratus est, antequam illam S. Damasus, hanc autem Vigilius Papa reciperent, & confirmarent? Quid, quod ipsimet Augustissimi Principes se iure Synodos universales congregandi frui potestate negarunt? Testem appello Valentinianum, qui Episcopis Helesponti & Bithyniae postulantibus, ut sibi ad doctrinam Fidei rite constituendam in unum conveniendi permitteret potestatem, ut narrat lib. VI. H. E. cap. 7. Sozomenus „ *Respondit ille, sibi, qui unus e Laicorum numero erat, non licere se huiusmodi negotiis interponere*; ac Valentinianum sexto ineunte saeculo imitatus est Rex Theodoricus, qui Schismaticis ipsum interpellantibus ut Synodum convocaret, ut ageretur causa Symmachi Pontificis quem gravissimorom criminum insimulabant, respondit, Dominum convocandorum Conciliorum auctoritatem Ecclesiae tantummodo tradidisse; non debere Romanae Sedis Antistitem minorum subiacere iudicio: posse Synodum convocari, quoniam sibi idem Symmachus de hac re voluntatem suam litteris significaverat: quae ex Actis III. Romanae Synodi in Causa Symmachi celebratae; ex libello Apologetico Ennodii Episcopi Tirinensis Vol. 4. Concil. Labbei, aut Vol. 2. Harduini, necnon ex cap. *Concilia*, dist. 17. obvia sunt, ac perspicua. Demum, ut aliquantulum ratione duce disseramus: Si ius convocandorum Conciliorum saecularibus Principibus collatum foret, Christus Ecclesiae suae regimini, doctrinae, necessitati minime providisset. Detur enim pertractandum esse ab Episcopis de lapsis, de libellaticis, de idololatris; Imperator autem sit Ethnicus, quales, missa quaestione de duobus Philippis, fuerunt omnes ante beatissimum Constantinum: quomodo ab Imperatore facultas agendae Synodi impetrabitur? Detur rursus, duos Imperatores administrare rempublicam, & unum assentiri, ut convocetur Synodus, alterum repugnare; quo

pacto

pacto Ecclesiae periclitanti subventum erit? Detur item, unum imperare principem, sed nolle fieri sacrorum Antistitum congressus, neque de Religione esse solicitum, quale tunc gliscenti malo remedium? Igitur dicta hactenus perstringamus. In gravissimis ac difficillimis controversiis illam sententiam amplectamur oportet, quae sacris litteris est conformior, quae Apostolico corroboratur exemplo, quae sacrorum Canonum auctoritate fulcitur, quae documentis Patrum cohaeret, quae Historicis monumentis firmatur, quae consentanea est piissimorum Principum factis, quae ratione ipsa facile suadetur. Sententia quae propugnat auctoritatem convocandi Generalia Concilia penes R. Pontificem residere, consonat sacris litteris, roboratur Actis Apostolorum, stabilitur praesidio Canonum, confirmatur Patrum doctrina, praeteritis congruit Historiis, arrisit gloriosissimis summisque Principibus. Aequum est igitur, ut hanc sententiam amplectamur, ac propugnemus. Quae autem adversus illam urgentur, quoniam non possunt ob temporis angustias hac Exercitatione expediri, proxima discutientur.

Oppositiones adversus Exercitationem praecedentem.

CAP. XIX. I. ID, quod plurimis invictisque monumentis adstruere conati fuimus paullo supra, nimirum ius generalium Synodorum convocandarum pertinere ad P. M. Episcopum Romanae Urbis; pari studio & conatu infringere & infirmare nituntur, qui ius idem supremis saecularibus Principibus, videlicet Imperatori, Regibusque convenire contendunt: quorum momenta, si surdis auribus praeteream, dicemur utique aut declinare certamen, aut Aulicorum Romanensium & Pontificiorum lateri, unde nunquam divellimur, occupati anticipatis praeiudiciis haerere. Excipiamus itaque, expendamus, excutiamus, idque sit huiusce praelectionis materies.

II. *Proponuntur opposita argumenta, ac solvuntur.*

II. Septem variis in locis dispersa offendimus argumenta, nobis hoc in dogmate adversantium, quae singula curabimus proponere, & refutare. Depromitur primum ex verbis, quae in Generalium Synodorum Actionibus frequentissime repetuntur: „ *Conveniente sancto & universali Concilio, quod per Imperialem sanctionem congregatum est.* „ Sed facile haec prior obiectio diluitur; ut enim inquit Hincmarus Remensis Ep. 33. ad Hincmarum Laudunensem, celebrantur generales Synodi „ *Apostolica iussione, & imperiali convocatione*; ac superius ostendimus ex PP. sextae Synodi, primam Nicaenam congregatam fuisse a Constantino & a Silvestro, atque ex Si-

Synodis aliis, & Historicis*, Chalcedonensem coactam S. Leonis iussione, quod de aliis Conciliis Oecumenicis Pontificum Romanorum assensu sententiaque adunatis, prolixa demonstravimus enarratione. Quid ergo? *Per imperialem Sanctionem* celebrata fuerunt universalia Concilia, Pontifice Romano annuente, id fateor. Inscio, repugnante, atque invito, nego ac pernego; atque ita refutata est prior cavillula.

III. Non est melioris notae quae sequitur: S. Leo, inquiunt, lacrimis precibusque a Theodosio impetrare tentavit Oecumenicam Synodum, ut Acta Ephesini Conciliabuli, quod *Latrocinium* appellitant, rescinderentur: quare Epist. 24. ita Theodosium exoravit: „ *Generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quae omnes offensiones ita repellat, aut mitiget, ne ultra aliquid sit in fide dubium, vel in charitate diversum.* „ Persuasum itaque Leoni erat, Theodosium plena facultate praeditum esse Concilia generalia indicendi. At enim, cur Leo ad Imperatorem Theodosium confugeret, intelligere possumus ex eiusdem litteris ad Leonem Augustum, ubi ait „ *Imperatori regiam potestatem non solum ad mundi regimen, sed etiam ad Ecclesiae praesidium esse collatam.* „ Cumque interdum Pontifices non valeant ausus nefarios comprimere, & inveniantur Schismatici & Haeretici, qui illorum parvi pendant auctoritatem: idcirco ad principes recurrunt, horumque subsidia flagitant, ut potestas regia tanquam auxiliatrix defendat sacerdotalem. Hac ergo de causa Magnus Leo Theodosii primum, deinde Marciani auctoritatem pro indicenda Synodo interpellavit: cumque convocata esset Chalcedonensis, scripsit ipsemet Leo Epist. 61. ad Iuvenalem Ierosolymitanum Episcopum, eam Synodum congregatam fuisse „ *Ex praecepto Christianorum Principum, & consensu Apostolicae Sedis.* „ Respondemus itaque more disputantium Scholasticorum: „ S. Leo studuit Generalem Synodum a Theodosio impetrare, regiae & imperialis auctoritatis praesidium postulans, esto: Sacerdotalem imperiali subiiciens, negamus: & explosa est altera cavillatio.

IV. Liberius Papa, postulans ab Imperatore Constantio Synodum pro discutienda causa Athanasii, Arianorumque dissidiis, illum hac verborum formula per Epistolam deprecabatur: „ *Ego, religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quae non sit verbis composita, interna dispositione fallaciae, sed praeceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata: non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerant, propter quae Concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus.* „ Verum quis ignorat Constantium addictissimum Arianis, fuisse tali obsequio a Pontifice undique lacessito devinciendum, quum eo adversante non posset ullus felix exitus expectari? Poterat ergo Liberius ea libertate Constantium alloqui, quam superiori praelectione in Osio & Athanasio mirati sumus, praecipiens ne se negociis immisceret Ecclesiasticis; poterat sane,

ne, sed ut precibus Arianum principem demulceret, non exacerbaret imperio, Athanasii exitium, fidei discrimen, & suamet pericula postulabant. Quamobrem servabimus in huius ratiunculae confutatione, uti in ceteris, scholasticam methodum: Liberius a Constantio Synodum deprecabatur, usus humilitate ac prudentia Pastoris prospicientis praesenti Ecclesiae periculo, concedo: plenissima Sedis Apostolicae potestate, suoque iure; id nego.

V. Socrates in Proemio lib. v. ait: „ *Imperatorum mentionem propterea fecimus, quoniam ex illo tempore, quo Christiani esse coeperunt, Ecclesiae negotia ab his pependerunt, atque adeo maxima Concilia de eorumdem sententia convocata fuerunt, & adbuc convocantur.* „ Rogasse autem Imperatores ante convocationis edictum Pontifices ut suum impertirentur assensum, nullibi Historicus iste significat. At primum Socrates haec quidem scribit, sed non demonstrat: neque enim cogimur in omnibus illi fidem praestare, quem scimus & Novatianis addictum, multaque commentum esse de Macedonio Haeresiarcha, de Eustachio Antiocheno, de Eusebio Caesareensi, de Meletio, de Ario, de Helena, de Athanasio, de ipsa Nicaena Synodo, quae a pluribus redarguuntur, & castigantur. Deinde ipse Socrates lib. II. cap. 17. profert Iulii Romani Pontificis ad Orientales Epistolam; in qua legitur praecipi „ *Ecclesiastico canone, non oportere absque sententia Romani Praesulis decreta Ecclesiis sancire.* „ Quae verba non tantum significant, ne Romani Pontificis sententia incomperta, eoque ad Synodum non vocato, regula aliqua constituatur; verum eadem demonstrant irrita esse acta omnia, quae praeter sententiam Romani Episcopi perficiuntur, ut inquit lib. III. cap. 9. Sozomenus, eamdem Iulii epistolam proferens: ideoque ipsa Generalium Conciliorum indictio & convocatio, si fiat praeter Pontificis sententiam, irrita erit, ac nulla. Insuper cum ad Synodum convocandam semper Romani Praesules petierint Imperatorum assensum, ac praesidium; Historici ob imperialis regiaeque maiestatis reverentiam, praesidium istud publicis litteris testatum, *praeceptum & iussionem* appellaverunt. Itaque ita Socratis testimonium pro scholarum consuetudine eludimus: Maxima Concilia de sententia Imperatorum convocantur, nempe Caesareo iure, regiaeque muneris potestatis, nego: praesidio, patrocinio, favore; id ultro, libenterque concedimus.

VI. In Synodo VIII. Act. 6. Elias presbyter, Syncellus & Legatus Theodosii Patriarchae Ierosolymitani, ait: „ *Scitis, quia in praeteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos; quorum more & Dei cultor Imperator noster universalem banc Synodum fecit.* „ Ceterum exstat Tom. 8. Conc. pag. 982. Collect. Lab. Epistola Hadriani 2. Rom. P. ad Basilium Imp. quae inserta est act. 1. eiusdem Concilii, in qua ait Hadrianus, „ *Volumus ergo per ve-*

strae

strae pietatis industriam illic (idest Constantinopoli) *numerosum celebrari Concilium*. „ Et Legati Apostolici, eiusdemque Concilii praesides Donatus Ostiensis, & Stephanus Nepesinus Episcopus, ita ibidem loquuntur: „ *Pissimus & Christianissimus Imperator, praedecessorum suorum secutus exempla, transmisit Legatos suos nobilissimos viros Romam, ut Synodum postularent.* „ Aliter ergo Elias, aliter Hadrianus, & Concilii praesides rem enarrant; ac nos ita propositionem diluimus: Elias Syncellus ait VIII. Synodum universalem convocatam ab Imperatore Basilio, ac silentio praeterit praeviam Hadriani iussionem, & ipsius principis legationem, ita est: omnia, quae litem hanc dirimunt, sincera narratione commemorat, falsum est penitus.

VII. Nemo, inquiunt, inficias ibit, S. Hieronymum sententiae fuisse eiusmodi, ut pro Imperatorum arbitrio universalia celebrentur Concilia: nam Rufinum, qui ut Origenem purgaret, dixerat librum Hilarii confessoris corruptum ab haereticis, & damnatum a Synodo, ita S. Doctor compellat: „ *Responde, quaeso, Synodus, a qua excommunicatus est, in qua urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula? Doce, qui eo anno Consules fuerint? Qui imperator hanc Synodum iusserit congregari?* „ Omisso Papa Hieronymus solius Imperatoris meminit, quoniam ab huius nutu & voluntate pendet convocatio Conciliorum. Verum enim vero Rufinus non dixerat librum Hilarii damnatum in Synodo universali, sed vage ac determinate in Synodo; ideoque Hieronymus ut defensorem Origenis falsitatis revincat, commemorat quae cuiuslibet etiam non plenarii Concilii propria sunt: petit de loco, de tempore, de Episcopis, de Consulibus, de Principe: Ideoque distinguimus propositionem: S. Hieronymus omisso Papa meminit solius Imperatoris, agens de Synodo non plenaria, concedo: de universali & Oecumenica, nego.

VIII. Tandem opponet aliquis: Si convocatio Synodorum Generalium non pendet ab Imperatorum arbitrio, cur Romani Pontifices ad Imperatores confugerunt, ut huiusmodi Synodi celebrarentur? Respondeo brevissime, postremamque Exercitationis partem absolvo. Vt Imperialis potestas praesidio esset Sacerdotali, ut nefarii reprimerentur tumultus, ut cogerentur Schismatici quoque, & sectarii, ut percommoda haberetur civitas, ut Principes ex insolito Sacerdotum congressu nil seditiosum suspicarentur, ut sacri Antistites liberum haberent accessum, nec prohiberentur inviti, ut illis suppeditaretur ex regia liberalitate viaticum: quae cum satis perspicua sint, finem dicendi faciam verbis Pelagii II. „ *Multis Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Rom. Pontificis Concilia celebrari.* „

De iis, qui ad Nicaenam Synodum convenerunt.

CAPUT XX. I. ROMANO Pontifice B. Silvestro suadente, & hortante, convocatam Nicaenam Synodum a Constantino, huiusque iuris, Imperialisque potestatis non fuisse eamdem Synodum inconsulto Pontifice Maximo indicere, prolixa, ac ni fallimur, numeris absoluta dissertatione, duabus praehabitis praelectionibus, demonstratum est. Cum vero huius Concilii annum, diem, locumque in praecedentibus ostenderimus; modo de iis, qui ad Synodum convenerunt, ac primum de Episcopis, tum de Philosophis, postremo de ipso augustissimo, piissimoque Principe dicere constituimus.

II. *De Episcopis, qui Synodo Nicaenae interfuerunt.*

II. Episcoporum numerum, qui Synodo interfuere Nicaeno, ex Socrate, & Eusebio, certe definire non possumus; hi siquidem convenisse tradunt supra ducentos Episcopos, variantque in illorum supputatione, adeout certum sit in arithmeticis notis mendam apud eos irrepsisse: sed 318. sacros Antistites ad eamdem convenisse Synodum affirmat S. Athanasius tum in Disputatione adv. Arianos, tum in Epistola ad Iovinianum Augustum; atque Athanasio subscribunt S. Epiphanius in Ancorato, & H. 69. Rufinus cap. 1. E. H. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Sozomenus lib. 1. cap. 16. Gelasius Cyzicenus, Menologia Graec. atque cetera Ecclesiastica monumenta. Inter ipsos vero sacros Antistites plures laude dignissimi, nec silentio praetereundi extiterunt. Quorum agmen ducit Osius Cordubensis, de quo transactis Exercitationibus plura diximus, & dicenda supersunt alia; quique una cum Vito & Vincentio R. E. presbyteris huic Synodo praefuit: Alexander Episcopus Alexandrinus non semel a nobis commemoratus, & Ecclesiae Catholicae decus atque ornamentum, qui innumeris SS. praedicatur elogiis, & in Occidentali etiam Ecclesia die 26. Februarii anniversaria commemoratione recolitur: duxitque Alexander una secum, quemadmodum Theodoretus, Severus Sulpitius, aliique litteris tradiderunt, S. Athanasium, tunc iunioris aetatis, & Alexandrinae Ecclesiae diaconum. Eustachius XXIII. Praesul Antiochenus, de quo Graeca Martyrologia die 5. Iunii, & Romanum die 16. Iulii, percelebris, eximius, admirandus ob exsilium, quod sub Constantio subiit pro Catholica Fide anno aetatis suae 100. appellatus ab Athanasio *confessione clarus, religione pius, magno studio pro veritate decertans*; & de quo in suis Epist. S. Hieronymus „ *Eustathius primus contra Arium clarissima tuba bellum cecinit.* „ Iacobus Nisibi in Mesopotamia Antistes egregius, de quo Theodoretus lib. 1. cap. 7. „ *Iacobus Episcopus Antiochiae urbis Mygdoniae, quam Syri vulgo Nisibim appellant, qui & mortuos suscitavit, vitaeque restituit, & alia plu-*

plurima perpetravit miracula. „ Paullus Episcopus Neocaesareae, urbis ad ripam Euphratis sitae, qui, ut narrat ibidem Theod. Licinii rabiem fuerat expertus, & ambabus manibus candente ferro debilitatus, adhuc nervos, quibus moventur articuli, contractos erectosque ferebat. Paphnutius Thebaidis superioris Episcopus, unus ex iis, quos Maximinus dexteris oculis suffosis, & sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat, & in quo tanta virtutum inerat gratia, ut signa per eum non minus ac per Apostolos fierent: nam & daemones verbo fugavit, & aegros sola oratione sanitati restituit, caecis visum reddidit, & paralyticos ad stabilitatem corporis revocavit: quem Constantinus tanta veneratione & affectu prosecutus est, ut saepius eum inter palatium evocatum complecteretur, & illum oculum, qui in confessione Fidei fuerat evulsus, avidioribus osculis demulceret. Spiridion Trimithuntis in Cypro Praesul, qui Irenem Virginem filiam suam excitavit a mortuis, ut commendatum illi depositum indicaret, ac Tryphillium Lediorum Episcopum virum disfertissimum, quod in frequenti Concione ad populum sermonem habens, & adducens verba Domini „ *Tolle grabatum tuum, & ambula* „ mutato vocabulo pro grabato dixerit *scimpodium*, his verbis reprehendit „ *Num tu praestantior es eo, qui Grabatum dixit, ut te pudeat eius verbis uti?* „ Quae omnia ex historiis Theodoreti, Socratis, & Rufini descripsimus. Mitto autem b. g. ceteros Antistites praeclarissimos, Leontium Episcopum Caesareae in Cappadocia, Arostanem Praesulem superioris Armeniae, Potamonem Heracleae in Aegypto, Euthychium successorem in Episcopatu Amasae S. M. Basileae, Hypatium Gangrensem, & ipsum postea coronatum martyrio; Longinum Neocaesariensem in Ponto, & Pistum Athenienfem, quorum Orat. 1. contra Arianos meminit Athanasius, Caecilianum Carthaginiensem in historia Donatistarum clarissimum, ceterosque de quibus legite ad annum 325. Baronium. Adfuere tamen & Episcopi Arianarum partium patroni, duo scilicet Eusebii, unus Nicomediensis, alter Caesareae in Palaestina, Paulinus Episcopus Tyri, Patrophilus Scithopolitanus, Theodotus Laodiceae, Athanasius Anazarbi, Mares Chalcedonensis, Theognis Nicaenus, Secundus Ptolemaidis: quorum tres Eusebius Nicomediensis, Mares, ac Theognis in persecutione ad cultum Idolorum deflexerant, & ad frugem revocati fuerunt a Luciano, ut lib. VIII. H. E. cap. 31. scribit Nicephorus. At de Episcopis tantum.

III. *Etiam Philosophos interfuisse Nicaeno Concilio.*

III. Enimvero alii praeter Episcopos Synodo interfuere; non tantum, presbyterorum, diaconorum, acoluthorum, & aliorum, qui illos comitabantur, turba, quae ne enumerari quidem posset, ut inquit Eusebius lib. III. de Vita Constantini cap. 3. verum etiam Platonici nonnulli philosophi, quos Arius in Bithyniam arcesserat, ut adversus Catholicos disputaturi ad Concilium accederent, appellatos

proinde a Gelasio Cyziceno „ *Conductitios Arii Philosophos*. „ Horum Philosophorum unum acerrime adversus Catholicam Fidem disputantem confutavit Leontius Episcopus Caesareae in Cappadocia; Philosophum alterum S. Spiridion Trimithuntis Episcopus simplici Fidei Christianae enarratione, omnibus qui aderant stupore perculsis, convertit ad Christum, & regeneravit baptismate: qualis autem Philosophus ille esset, demonstrat Rufinus lib. I. cap. 3. scribens. „ *Nec ullo genere Philosophus ille concludi a quoquam poterat, aut constringi; tanta enim dicendi arte obiectis quaestionibus occurrebat, ut ubi maxime videbatur adstrictus, velut anguis lubricus laberetur.* „ Quare Arianis, ceterisque philosophis mirantibus, cur nihil responderet Spiridioni „ *Audite*, inquit, *o eruditi viri. Donec verbis mecum res gesta est, verba verbis opposui, & quae dicebantur, dicendi arte subverti: ubi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo.* „ Factum admiratus Menophantes Episcopus Ephesinus, Arium, cui adhaerebat, deseruit, ut in Orat. de PP. Nicaenis narrat Gregorius presbyter. Fuerunt & alii Philosophi, & acutissimi Dialectici, qui, ut Socrates scribit lib. I. cap. 5. antequam Episcopi in locum unum convenirent, quibusdam tanquam disputandi prolusionibus, trahere fideles ad disserendum adnitebantur: verum respondente quodam laico, qui simplici ac sincero animo erat praeditus, Christum & Apostolos artem disserendi nobis neutiquam tradidisse, neque inanes fallacias, & dialecticas praeceptiones, audientes veritatis sermonem, aequo & tranquillo animo acquievere. Ex quibus percipimus, in Fidei controversiis caute sollerterque vitanda esse sophismata disputantium. Haec de Philosophis.

IV. Addamus perpauca de Constantino, qui Synodum praesentia sua decoravit. Is enim posteaquam ad Synodum Episcopos omnes invitaverat, Nicaeam praecurrens, venientibus occurrebat, eosque maximis prosequebatur honoribus. Ubi autem singuli convenerunt, ac die Synodi praestituta regiam aulcam ingressi fuerant. „ *Imperator* (inquit Euseb. in eius Vita lib. III. cap. 10.) *tanquam quidam coelestis Dei Angelus, purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, corruscantibusque illius radiis illustratus, & conspicuo auri, lapidumque pretiosorum nitore pulchre adornatus, per medium Confessorum intravit.* „ Simul vero ac ad summum locum pervenit, primum in medio conventus stetit erectus, ac cum parva quadam sella ex auro fabricata illi esset loco posita, non prius sedit, quam Episcopi ad id innuissent, idemque omnes post Imperatorem factitarunt. Libera in omnibus esse voluit Sacerdotum de Fide differentium suffragia, oblatosque sibi adversus nonnullos Episcopos libellos proiiciens in ignem, ait criminationum tempus non esse, in die magni Iudicii supremum Iudicem sententiam de singulis pronunciaturum

rum, sibi fas non esse Sacerdotum causas sibimet arrogare, iungenda interim amicitiae foedera, & fidei negotia serius tractanda: quae omnia a Sozomeno, Rufino, aliisque litteris tradita, S. Gregorius Magnus Imperatori Mauritio, & Nicolaus I. Michaeli Augusto in memoriam revocarunt. Habuit Constantinus deinde ad Patres orationem eloquentissimam latina lingua, quam lib. III. eius Vitae inseruit Eusebius Episcopus Caesareensis; cumque aliqua controversia oriretur, toleranter ac placide omnibus animum intendere, prolatas acri studio sententias sensim excipere, utrique disceptantium parti vicissim opem ferre, magna contentione digladiantes paullatim conciliare, cum omnibus comiter & benigne conferre sermonem, alios sermone linire, alios collaudare, universos ad concordiam revocare studebat. Interim nobis haec ex Eusebii, Rufini, Socratis, Sozomeni, Gelasii, Theodoreti, aliorumque historia exscribentibus, quinam Episcopi Nicaenae Synodo adfuerint, qualiter & convenerint philosophi, quomodo Imperator se gesserit, accepistis.

Demonstratur praefuisse Nicaeno Concilio Osium Episcopum Cordubensem, & Vitum ac Vincentium R. E. Presbyteros.

I. INTER plurimos illos eximios, praestantissimosque viros, quos Nicaenae Synodo interfuisse diximus superiori Capite, quis praefederit ceteris, & vices Rom. Episcopi impleverit, gravissima controversia est, nullatenus a nobis praetermittenda; quibusdam id muneris Eustathio Antiocheno adscribentibus, permultis Osio, ac duobus presbyteris R. E. Vito & Vincentio, nonnullis etiam asserentibus, neminem pro Romano Pontifice praesedisse, sed Alexandrum Patriarcham Alexandrinum priorem tenuisse locum in venerando illo amplissimoque Conventu. P. XXI.

II. Nos illi sententiae firmissima consensione adhaeremus, quae propugnat magnae Synodo fuisse praesides Osium Cordubensem Episcopum, ac praelaudatos presbyteros Vitum ac Vincentium; idque nube Testium, quibus nefas est refragari, demonstramus. Veniunt autem prima classe celebriores Historici, Eusebius, Socrates, Theodoretus, Gelasius Cyzicenus; qui historiam ipsius Nicaenae Synodi summo studio conscripsit. Ac Eusebius lib. III. de Vita Const. cap. 7. „ *Ex ipsis Hispanis*, inquit, *unus nominis & famae celebritate insignis, cum aliis multis in consensu illo adfuit: Et quamquam urbis illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescente aetate abfuit, eius tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt.* „ II. *Demonstratur propositio.*

Qui-

Quibus in verbis Osii, & Romanorum presbyterorum nomina desiderari, demonstrare in sua Sacerdotii & Imperii Concordia nititur Cl. Parisiensis Episcopus Petrus de Marca, evidenter autem id colligitur ex praelaudato Gelasio, qui eadem Eusebil verba, non mutila profert lib. II. cap. 5. sed integra, atque ad hunc plane modum. „ *Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis & famae celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi antiquae Romae locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Vitone & Vincentio, cum aliis multis in consessu illo adfuit. Vrbis autem illius, penes quam imperium est, Episcopus Metrophanes nomine, ingravescente aetate praepeditus abfuit, sed presbyteri eius, qui aderant, illius locum suppleverunt.* „ Ex quorum collatione constat, Episcopum *Imperialis Vrbis* esse Metrophanem, qui Synodo propter senectutem non interfuit, ut Acta Metrophanis apud Photium, & Nicetas Choniates lib. v. Thesauri cap. 6. testantur, non autem esse S. Silvestrum Pontificem, quem proinde Eusebius Pamphili recensuerit postremo loco, ut ostenderet, priorem locum, ut quidam Ethe-rodoxi comminiscuntur, tribuendum esse Alexandro. Accedit Socrates, qui hoc ordine Episcopos Nicaeni Concilii commemorat lib. I. cap. 9. „ *Osius Episcopus Cordubae, Vitus & Vincentius presbyteri: Alexander Episcopus Aegypti, Eustathius magnae Antiochiae, Ierosolymorum Macarius, &c.* „ Quo in loco cur, obsecro, Hispano Episcopo primas concedit, cur duobus presbyteris Orientales Patriarchas postponit, nisi quia hi tres Synodo peculiari titulo aderant, Romani Pontificis vicem gerentes? Atque idem expresse de duobus laudatis presbyteris scribit Theodoretus lib. I. H. E. cap. 6. „ *Presbyteros duos misit cum potestate Actis assentiendi.*

III. *Praecedens ratio confirmatur.*

III. Confirmant vero hanc assertionem ipsimet Romani Pontifices: inter quos Iulius I. in Epistola ad Orientales apud Athanasium Apol. 2. sermonem instituens de fide Marcelli Ancyrani, inquit: „ *Sed etiam olim se huius sententiae fuisse confirmabat, uti & presbyteri nostri, qui tunc in Nicaeno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur.* „ Exspressius vero Gregorius VII. & Leo IX. quorum ille cap. 5. Apologetici ait: „ *Osius Cordubensis, & Victor & Vincentius presbyteri Romanae Ecclesiae ex parte Silvestri Papae Nicaeno Concilio praefuerunt*; „ iste vero in Epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum de ipsa Nicaena Synodo verba faciens „ *Cui* (inquit) *praefuerant Victor & Vincentius Romani presbyteri.* „

IV. *Secunda demonstratio, aut potius confirmatio.*

IV. Alii itidem scriptores eamdem positionem corroborant. Corroborat Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Opusc. ad Hincmarum Laudunensem cap. 20. ita scribens: „ *Nicaeno Concilio ad vicem Silvestri praesederunt Osius Cordubensis Episcopus, & Victor & Vincentius presbyteri urbis Romae.* „ Corroborat Auxilius in libro de Ordinationibus Formosi Rom. Pontif. cap. 15. „ *Cordubensi Ec-*

clesiae

elesiae praefuit Antistes, qui quondam Apostolicae Sedis Apocrisarius, una cum Vitone & Vincentio presbyteris, sancto & magno Nicaeno interfuit Concilio. „ Corroborat Epitomes Canonum vetustissimi Codicis, quem anno 775. Summus Pontifex Hadrianus dono dedit Carolo Magno, ubi in praefatione ad Canones Sardicenses legitur. „ *Sciendum est, hunc Osium inter 318. PP. Nicaeni Concilii honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore* (Vitone legendum est,) *& Vincentio presbyteris destinatum.*„ Atque hinc est, quod S. Athanasius in Apologia de Fuga sua de Osio sic loquitur: „ *In qua Synodo non dux, & antesignanus fuit?* „ Ipsumque in Epistola ad solitariam vitam agentes Principem Synodorum appellat, atque ab eo formulam Fidei in Nicaena Synodo conceptam affirmat. Iam vero ita ratiocinemur, oportet. Aberrant a vero qui negant, Osium una cum Vito & Vincentio Synodo praefuisse Nicaenae, aut cum Osium praefuisse fateantur, negant eo in munere vices R. P. Silvestri supplevisse, si & Historici nobiliores, & Pontifices, & Patres, & Scriptores alii praestantissimi id unanimi consensione testentur. At enim Historici, &c. Igitur, &c.

V. *V. Argumentum ex ratione depromptum.*

V. Neque auctoritate tantummodo, & plurimorum testimoniis, quod tamen in historica quaestione locum sibi principem vindicat; verum etiam ratione, quae illinc fluit, haec veritas suadetur. Enimvero si Osius, fatentibus omnibus, ceteris praesedit, & una cum duobus laudatis Presbyteris ante alios Acta Synodalia propria subscriptione firmavit; nonne evidens est, aliquo titulo, quo ceteris praeferretur, fuisse condecoratum? Huiusmodi autem titulum, qualem fuisse dicemus, an Episcopatus? Minime: Antistes enim mediocris in Hispania Ecclesiae, & Archiepiscopo Hispalensi subiectus, non poterat iure Episcopatus nobilissimarum urbium Patriarchis, Alexandrino, Ierosolymitano, & Antiocheno praeesse. An meritorum suorum intuitu? Nequaquam; siquidem & S. Alexander, & S. Caecilianus Carthaginensis singulari virtutum splendore fulgebant, & rebus antea gestis conspicui erant; ac permulti quoque confessionis suae stigmata gloriosa gestabant, ut Paulus Neocaesariensis, & Paphnutius Aegyptius; neque ob merita personalia violari debebant Iura Patriarchalia, quae ipsamet Nicaena Synodus inviolata servari voluit, & sexto Canone confirmavit. An aliorum Antistitum voluntaria cessione? Ne istud quidem. Cedere enim quae vel Ecclesiasticum Ordinem vel Episcopalem Sedem attinent, neque fas est Viris sanctissimis & humillimis; quamquam adfuere Synodo Episcopi scientia tumidi, ambitione inflati, & sede etiam conspicui, praesertim Eusebius Nicomediensis, Antistes regiae Vrbis, in qua eo temporis commorabantur Augusti, ac totius Bithyniae, in qua Synodus celebrabatur, Metropolita, atque Theognis ipsiusmet Nicaenae civitatis Episcopus, qui saltim duo, cum faverent Ario, iisque nomi-

minibus antecellerent, nunquam Episcopo Hispano, extero, latino, suoque acerrimo & infensissimo hosti cessissent: quae a fortiori, ut aiunt, probant de Vito & Vincentio, qui neque charactere insigniti erant Episcopali. Quare hi tres, Osius, Vitus, Vincentius, non alio iure, quam muneris, quo fungebantur, Legationis Apostolicae Sedis, Episcopis in magna Nicaena Synodo congregatis praefuerunt. Quod erat demonstrandum. Obiecta, quae contra sententiam nostram ab Adversariis opponuntur, inferius diluenda remanent.

Quae adversus praecedentem assertionem militare videntur.

CAP. XXII. I. TAMETSI Venerabilem Episcopum Cordubensem Osium, & Romanae Ecclesiae presbyteros Vitum & Vincentium, vice Beatissimi Silvestri in celeberrimo Nicaeno Conventu praefuisse permulta invictissima Testimonia, atque illinc deprompta ratiocinatio, ut Exercitatione postrema dicebamus, aperte evidenterque commonstrent; contrarium tamen suadere, & imperitis fucum facere adnituntur permulti, urgentes momenta, quorum aliqua Catholicam positionem undequaque impetunt, & invadunt, aliqua vero saltim ex parte inficere & infirmare videntur: in quibus proponendis, discutiendis, & elevandis, aliquantulum operis est impendendum.

II. *Prima obiectio ex Photio.* II. Principio Photius in libro de septem Synodis Oecumenicis, quem conscripsit ad Michaelem Bulgariae principem, de Nicaeno Concilio ita loquitur. „ Praeerant Alexander, qui Sedem Constantinopolitanam obtinebat, & Silvester ac Iulius illustres & celebres Romanae Ecclesiae Pontifices, quorum tamen neuter interfuit, sed Vitonem & Vincentium nomine suo uterque Pontificatus sui tempore, communi congressui adesse voluerunt. „ Alexander igitur Episcopus Constantinopolitanus, si Photio fides habenda sit, principem in veneranda Synodo tenuit locum. At nullius est roboris prima haec obiectatio; siquidem Photius, dum ait Nicaenam Synodum perdurasse usque ad Iulii Pontificatum, quum in Vicennalibus Constantini, eodem anno 325. sextili mense sit absoluta, se in historia huius Synodi omnino hospitem manifestat. Deinde Photius non negat, eidem Synodo Romanum Pontificem praefuisse, suasque vices demandasse Vito & Vincentio, quamquam temere illi Episcopum Constantinopolitanum, cuius auctor nefarii Schismatis eiecto Ignatio Sedem invasit, sacrilega temeritate praeponat. Deinceps alii Graecorum, ut Nilus Episcopus Rhodi, & Auctor anonymus Operis

ris de sex Synodis Oecumenicis, quamvis Alexandro honorem praesidis tribuunt, cum tamen post Silvestrum enumerant: unde apparet quam facile elidatur Photianum commentum, etsi daretur, Alexandrum Constantinopolitanum sedisse inter praesides Magnae Synodi. Sed incertum est, Alexandrum hunc Synodo interfuisse, ac si interfuit, neque inter Patriarchas locum obtinuit. Incertum interfuisse ut Episcopum, quoniam, ut vidimus supra ex Gelasio Cyziceno, Episcopus Byzantinus erat Metrophanes, qui aetate ingravescente adesse non potuit; quamquam si Alexander sedit annis 25. & obiit anno 3. Constantii, ut inquit Sozomenus lib. III. cap. 3. Episcopatum indeptus sit anno 317. octavo nempe ante hanc Synodum: quo tempore Episcopus Constantinopolitanus suffraganeus erat Episcopi Heracleensis, & nondum Byzantium appellabatur Constantinopolis: Sed de Photii allucinatione dictum nimis.

III. Praeterea sunt qui opponunt, praeesse Magnae Synodo Alexandrum Episcopum Alexandrinum, propterea quod in Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam apud Theodoretum lib. I. cap. 9. habetur: „ *Si quid praeterea praesente Domino, & carissimo Collega, ac fratre nostro Alexandro sancitum ac definitum est, ipse vobis accuratius referet, utpote qui rebus decisis tum praefuerit, tum communicaverit, vobis coram accuratius renuntiabit.* „ Futilis tamen est haec obiectio, ex illis verbis, *cum praefuerit*, otiosa subtilitate fabricata; servato quippe verborum rigore, praefuisse Alexandrum dirigendis conscribendisque definitionibus, literisque Synodicis, non amplissimo Coetui, Praesulumque consessui. At ea verba, *cum praefuerit*, in versione sola Christophorsoniana leguntur; quum Graece scriptum sit, *κύριος, καὶ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων*, auctor, ac particeps gestorum. Atque id recte de Alexandro narratur, qui cum Alexandriae, ubi Ariana haeresis serpere coepit, Praesul foret, multaque adversus Arium Patriarchalibus Synodis decrevisset, huiusque errorem, vafritiem, ingeniumque haberet perspectum; aequum erat, ut eius opera potissimum sacri Antistites uterentur. Ceterum cum a Socrate, a Cedreno, necnon a Photio, & a Nilo Rhodio, cuius supra meminimus, Alexandro locus tertius in Patrum consessu concedatur, sequitur functum nequaquam fuisse honore, ac munere praesidis.

III. *Solvitur II. obiectio.*

IV. Solet & istud opponi, Hermiam Sozomenum lib. I. H. E. cap. 16. recensendo Episcopos primarum Sedium, nominasse postremo loco Episcopum Romanum Silvestrum, qui cum Synodo adesse non potuisset senectute gravatus, adfuit per Vitonem & Vincentium presbyteros. Ex quo sequeretur, Vitum & Vincentium ultimo loco in Synodo sedisse post Episcopos universos. Cui utique argumentationi respondet Clariss. Nat. Alex. dissert. 12. Saec. IV. Sozomenum inverso ordine recensere primarum Sedium Antistites, ita ut su-

IV. *Oppositio III. diluitur.*

prema inesset auctoritas ei, qui postremo ordine memoratur: quare primo Macarium Ierosolymitanum, 2. Eustathium Antiochenum 3. Alexandrum Alexandrinum, postremo Episcopum Romanum recensuit. Sed videtur mihi Sozomenus in errorem inductus lectione Eusebii, qui lib. III. Vitae Const. cap. 7. nonnullis Episcopis laudatis „ *Aberat* (inquit) *regiae urbis Antistes ob senilem aetatem, sed praesto erant presbyteri, qui vices eius implerent.* „ quae cum accipienda sint de Metrophane Byzantino, ut ostendimus ex Gelasio Cyziceno praeced. Cap. quidam de Episcopo Romanae Vrbis intellexerunt. Nec mirum, alucinatum esse Sozomenum, qui eodem cap. 16. ait Nicenam Synodum celebratam sub Iulio. Profecto caussa, ob quam Silvester Nicaeno Concilio, & alii Romani Pontifices aliis in Oriente celebratis minime interfuerunt, non fuit senectus & aetatis incommodum, sed quoniam non congruebat Maiestati Apostolicae Sedis cum parvo numero Episcoporum Occidentalium cum Patriarchis Orientalibus, quos amplior Antistitum comitabatur caterva, ad Synodum proficisci. Atque hanc rationem reddidit summus Pontifex Vigilius Episcopis Orientalibus illum ad V. Synodum invitantibus.

V. *Eliditur oppositio quarta.*

V. Quarto opponitur id, quod legitur apud Nilum, de quo paulo supra, praefuisse Nicaenae Synodo Silvestrum Romanum, Alexandrum Constantinopolitanum, Eustathium Antiochenum, & Macarium Ierosolymitanum. Quod si probetur, plures fuere amplissimi consessus Praesules, e quorum numero expungendus est Osius Episcopus Cordubensis. At principio animadvertimus paullo ante Photium refellentes, Nilum saltim Romano Episcopo primum inter Patriarchas locum concedere. Tum diximus in ea Patriarcharum enumeratione frustra recenseri Constantinopolitanum Episcopum, qui sive Metrophanes fuerit, sive Alexander, eo tempore subiectus erat Heracleensi; quod & asserendum de Ierosolymitano, qui erat suffraganeus Caesareensis Episcopi. Ad haec perspicuum est, a Nilo Patriarchas singulos, non supremum Concilii Praesidem, laudari: atque, ut istud quoque addam, observatum a clarissimis viris, in charta illa Niliaca, unde Labbeus eruit subscriptiones ac nomina Episcoporum, qui huic Synodo interfuere, adnotari permultos, qui trecentesimo quinquagesimo anno post eamdem Synodum vixere, & adfuerant anno 680. Synodo VI. celebratae apud Constantinopolim sub Agathone, inter quos Theopemptus Iustinopolitanus: cuius nominis Vrbs nulla extitit Constantino imperante.

VI. *Obiectio V.*

VI. Potest illud etiam opponi quod in Libello Synodico apud Phil. Labb. Tom. 2. Conc. pag. 84. „ *Praesederunt Vito, & Vincentius presbyteri* „ ubi Osius non commemoratur, sed quem non laudat libellus iste, laudant monimenta alia permulta, de quibus supra prolixe egimus, & quae si repetere vellem, abuterer patientia vestra: dicebam.

Per.

Pertractatur de Eustathio Episcopo Antiocheno.

I. NON omnia, quae adversus Osii, & Viti ac Vincentii in Synodo Nicaena Praesidentiam obiiciuntur, exspedivimus, Exercitatione transacta; sed agendum superest de Magno nominis Praesule, doctrina, eloquentia, probitate, & fidei confessione conspicuo: quem in exordio Concilii orationem ad Patres habuisse *de laudibus Constantini*, in dextero latere primum occupasse locum, atque inter Praesides Concilii connumerandum scripsere plerique. Quare, cum sint qui Eustathium, harum rerum causa, praefuisse ceteris autument, non abs re factum puto, si de eius Oratione, de loco in quo sedit, & de attributa ei Praesidis nomenclatura, sermonem instituamus. CAP. XXIII.

II. Ab Eustathio, qui Philogonio ex hac vita translato, nuperrime e Beroeensi Sede ad regendam Antiochenam Ecclesiam evectus fuerat, cuius laudantur Commentarii *in Hexameron*, Dissertatio de *Engastrymitho*, scilicet *Ventriloquo* ex daemonis afflatu loquente, Liber *de Anima*, Interpretatio *Psalmorum*, aliaque plura, quae interciderunt: ab Eustathio, inquam, habitam orationem de laudibus Constantini, negat Sozomenus lib. 1. cap. 19. qui id peregisse ait Eusebium Pamphili: „ *Postquam Episcopi consedere*, (inquit) *surgens Eusebius Pamphili, Imperatori orationem quamdam, & illius causa Deo laudes cum gratiarum actione recitavit.* „ Nicetas autem, lib. v. Thesauri tribuit honorem hunc Alexandro Alexandrinae Sedis Episcopo, scribens cap. 7. „ *Ut autem Theodorus Mopsuestenus ait, Alexandro Alexandrino Pontifici id muneris ultro delatum est.* Sed fallitur scriptor uterque. Etenim Theodoretus lib. 1. H. E. cap. 7. inquit „ *Ubi simul cum Constantino divinus ille Coetus consedit, statim magnus Eustathius Antiochensis Episcopus, primus omnium Imperatori panegyricum dixit, eiusque erga res divinas studium gratulationibus ac votis remuneratus est.* „ Cum autem Theodoretus fuerit patria Antiochenus & natus eodem Nicaeno Saeculo, & iuxta doctum Garnerium anno 386. videtur Nicetae & Sozomeno praeferendus, maxime quod ille ab illis se id accepisse testatur, scilicet a Theodoro; iste vero pro Oratione habita in Synodi aperitione, illam accepit, quam in Vicennalibus post Synodum recitasse Eusebium Caesareensem, ipsemet in Proemio Vitae Constantini testatur. Atque haec tantum de Oratione, quae recte apud Laurentium Surium die 10. Julii, & 2. Volumine Auctuarii Combefisii pag. 541. nomine non Eusebii, non Alexandri, sed Eustathii Antiocheni insignitur. II. *De Eustathii Oratione.*

III. Quoniam vero Eusebius lib. III. Vit. Constant. cap. 11. ait: „ *Ex Episcopis is, qui in dextera parte primum locum obtinebat,* III. *Exspenditur II. quaestio.*

bat, consurgens, modica oratione Imperatorem adlocutus est, propter illum gratias & laudes perhibens omnipotenti Deo; „ sunt, qui existiment Eustathio in consessu praesulum contigisse locum nobiliorem; ac proinde corruere quae de praesidentibus Synodo ante hac disputavimus. Neque enim honorabiliorem tenuit locum ratione Episcopatus, quoniam hoc nomine illi praeerat Alexandrinus; & fortassis in priori illa sessione Eustathius adhuc erat Episcopus Beroeensis, quia ex Niceta Chroniate lib. v. cap. 6. ab ipsis Nicaenis PP. electus est Patriarcha Antiochenus in locum Philogonis in eodem Concilio defuncti. Ergone sedit istic Eustathius, quoniam Synodo praesidebat? Minime gentium: principio enim, qualis fuerit Episcopus, qui in dexteris prior assidebat, Eusebius non innuit, nec inverisimile est, ante orationem panegyricam Eustathii, Synodi praesidem paucis verbis Imperatorem adlocutum, ac superni Numinis, ut moris est, opem & assistentiam implorasse, atque tunc considentibus universis, e suggestu orasse Eustathium. Deinde ita fortassis dispositae erant sedes Episcoporum, ut intrantibus regiam aulam, Episcopi ad sinistram, presbyteri ad dexteram, sive vetustiores Antistites ad sinistram, ceteri ad dexteram sederent, quemadmodum nunc in Ecclesiis sedet Clerus, ut Pontifex a latere dextro Episcopos, a sinistro presbyteros intueatur; atque ita, qui in dextera parte sedebat, surrexitque peroraturus, non fuerit omnium Antistitum primus. Tertio, dato quod dextera in Ecclesiasticis Conventibus sit honoratior, ut supponit obiectio, in dextera tamen parte collocabatur sacrosanctum Evangelium: & idcirco primus adstantium ex parte sinistra Christo, cuius locum indigitabat Evangelii Codex, non opposito Episcopo caedebat loco. Praeterea falsum est, ubique dexteram esse honoratiorem, sed olim apud Romanos, quorum morem Constantini Aulici servabant, potior locus habebatur sinister, ut alibi demonstravimus: negaturque Samuel Basnagius, dum ait ad annum 325. n. 22. incredibile esse Episcopos ignobiliori loco esse voluisse dexteram, cum ex ore Christi didicerint, agnos ad dexteram collocandos, & crediderint ipsum Dominum honoris causa sedere ad dexteram Dei Patris: negatur, inquam, nam de aula Constantini, non de futuro coelorum regno disseritur. Postremo (sive honoratior dextera sit, sive sinistra) legimus Act. I. Concilii Chalcedonensis: „ *Residentibus magnificentissimis & gloriosissimis Iudicibus, & amplissimo Senatu in medio ante cancellos sanctissimi altaris; & in leva quidem parte sedentibus Sanctissimis, & Reverendissimis Episcopis, & Vicariis Deo amicissimis, Sanctissimi & Reverendissimi Leonis Antistitis priscae Romae, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitanae regiae civitatis, & Maximo religiosissimo Episcopo Antiochiae, &c. Ex dextera vero parte considentibus Dioscoro religiosissimo Episcopo Alexandrino, & Iuvenale religio-*

ligiosissimo Episcopo Ierosolymitano , &c. „ Ex qua sedendi ratione liquet illos plurimum decipi, qui contendunt Eustathium ideo in Synodo Nicaena ceteris praefuisse , quoniam primus in dextera parte consedit.

IV. Maius facessere videntur negocium testimonia auctoritatis non exiguae , quae Eustathio primi in Synodo Praesidis munus ac dignitatem adtribuunt. Etenim Synodus Orientis ad Proclum Constantinopolitanum scribens pro Theodoro Mopsuesteno apud Facundum Hermianensem lib. VIII. de Tribus Capitulis , cap. 1. inquit: *Apud Beatissimum Eustathium , qui SS. Patrum , qui apud Nicaeam congregati sunt , primus existens , Fidem Orthodoxam confirmavit .* „ Quae verba Ioannes Launoius in Epistola ad Raimundum Formentium, & ex eo Nat. Alex. dissert. 12. Proclo tribuunt , cum , ut diximus, sint Synodi ad Proclum. Ac idem Facundus lib. XI. cap. 1. „ *Beatus Eustathius Antiochenus* (inquit) *qui primus in Concilio Nicaeno fuit.* „ & sub finem eiusdem capitis „ *Honoratur cum multis , & prae multis PP. tamquam Nicaeni Concilii primus existens .* „ Atque Felix III. Rom. Pontifex quinta ad Zenonem Augustum Epistola de Petro Fullone scribebat : „ *Petrus primogenitus diaboli filius , & qui S. Sedem Pontificatus Ignatii martyris polluit , qui Petri dextera ordinatus est , Eustathiique Confessoris , & Praesidentis 318. Patrum , qui in Nicaea convenerant .* „ Haec autem omnia obviam habent solutionem , si attendatur , Eustathium prae ceteris commendari ob priscum eloquentiae genus , ob gravitatem sententiarum , ob eloquentiam verborum , miramque in rebus explicandis venustatem , ut inquit lib. II. cap. 19. Sozomenus : de eo scribere Athanasium ad Solit. fuisse Virum confessione clarum , religione pium , qui magno zelo pro veritate dimicavit , & Arianam haeresim summo prosequutus est odio ; & de quo Hieronymus „ *Primus contra Arium clarissima tuba bellum cecinit .* Fuisse denique unum ex primarum Sedium Episcopis , & qui proxime in Synodo sedit post Alexandrinum , ut vidimus praec. Capite. Itaque Eustathius primus dictus est inter Nicaenos PP. 318. doctrina , eloquentia , fervore disputationis , ac Praesideus est appellatus ampliori significatione , qua praesidentes dicuntur quotquot inter Patriarchas adsciti priores occupant sedes ; non autem sensu illo proprio ac pressiori , quo Praeses dicitur , qui Patriarchis ipsis praeest , & Apostolicae Sedis fungitur legatione. Atque haec de Controversia gravissima ac difficillima , tribus praelectionibus exspedita.

IV. *Pars Exercitationis postrema.*

De Actis Nicaenae Synodi contra Arianos.

CAP. XXIV. I. Post eloquentissimam Eustathii Antiocheni Antistitis Orationem, de qua disseruimus superiori Exercitatione, quid in amplissimo Nicaenorum PP. Conventu gestum sit, ex lectione Synodalium Actorum eruere nequaquam possumus. Quamquam enim eadem Acta in Dialogo contra Luciferianos laudet Hieronymus, quamquam ea se vidisse testetur Gelasius Cyzicenus, exstare apud Orientales scribat Isidorus Mercator, atque integra asservari in Ecclesia Alexandrina affirmet Franciscus Turrianus, certissimum autem sit ex Athanasio in libro de Synodis accuratissime fuisse conscripta: probabilius est tamen industria & fraude Arianorum passa naufragium, adeo ut illis destituti coacti simus ex Theodoreto, Rufino, Sozomeno, Eusebio, ceterisque historicis, atque ex Athanasianis scriptis, & Magni Constantini Epistolis, haurire gestarum rerum notitiam. Agite ergo. Id pro modulo nostro praestemus: cumque ipsius Synodi convocandae gravior & princeps causa fuerit Haeresis Ariana, de huius ventilatione sit praesens Exercitatio.

II. *Quomodo Ariani in Synodo Nicaena se gesserint.*

II. Atque, ut ordinem methodumque teneamus, primum de Arianorum impudentia, tum de damnatione eorumdem, tertio loco de formulae subscriptione dicemus. Vbi ergo Acta contra Arium, & Schismaticos Meletianos in Synodo Alexandrina Nicaeni PP. sibimet perlegi mandaverant; accerserunt Arium, eoque in medium adducto, de Fide disceptari coeptum est, inquit lib. 1. cap. 19. Sozomenus. Crederetis hominem ab Alexandro & Osio damnatum, humiliter, verecunde, submisse, in tantorum Praesulum conspectu apparere, aut saltim, quod haereticorum proprium est, fidem suam verborum involucris contegere, simulare, emollire, mentiri, tergiversari. Sed videte arrogantiam singularem, videte impudentiam minime tolerandam! Coepit Arius absque ulla circuitione, ait Athanasius, coram PP. Senatu „ *palam profiteri Christum verum Deum non esse, sed participatione divinitatis Deum factum esse, eadem ratione, qua ceteri quoque dii appellantur: Deum, Filium, qui non erat, condidisse: Christum neque Patris naturam, neque propriam accurate cognoscere.* „ Ad quae verba omnes fere Episcopi aures obturarunt. 2. Tum Eusebiani patrocinantes Ario humaniter ceteros orare, & obtestari coeperunt, ut eorum, quae dicebantur, reddi rationem paterentur, ac se impios & heterodoxos non esse monstrarent. „ *At vix inceperant biscere, cum iam & improbarentur, & ipsi quoque inter se depugnarent, agnitaque suae haereseos perplexitate muti prorsus redderentur* „ ait praelaudatus Athanasius in libro de Synodi Nicaenae decretis. 3. Ad haec fautores Arii, Eusebius Nicome-

mediensis, Theodorus Laodicaeae, Athanasius Anabarai, Gregorius Beryti, Menophantes Ephesinus, Petrophilus Scythopolitanus, Theognes Nicaenus, Narcissus Neroniadis, seu Irenopolis, aliique nonnulli Fidei formulam conscribere cogitarunt. In ea fatebantur Filium ex Deo esse, eius vero cum Patre consubstantialitatem prava atque inveterata malitia tacebant: cum autem ex Deo esse ad homines etiam pertineat, neque hoc nomine Dei Filius a nobis differat: PP. animadversa Eusebianorum impietate ac vafritie, impium Fidei ipsorum libellum, statim ac oblatus & perlectus est, discerpserunt. Quae lib 1. H. Eccl. cap. 8. litteris tradidit Theodoretus. 4. Episcopis vero Catholicis asserentibus, & id credi oportere, *Filium esse imaginem ac virtutem Patris, ei similem & immutabilem, apud Patrem subsistere, perpetuo ac semper fuisse, eamdemque habere cum ipso Patre naturam*; ad priora quidem verba Eusebiani visi sunt inter se mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere, fateri etiam Filium esse Patris Imaginem, ei similem, ipsius virtutem, & in illo subsistere, quae aliquo sensu enuntiari etiam possunt de hominibus, at *Consubstantialitatem* nunquam aperte, & absque tergiversatione, ante editam a Synodo solemnem formulam Fidei, confessi sunt. Ex quibus habemus perspectam satis perfrictam frontem, pervicaciam, ac temeritatem Arii, necnon adhaerentium illi Eusebianorum vafritiem, hypocrisim, calliditatem; id, quod primo loco susceperam enarrandum.

III. Ad omnem ergo fraudem & fallaciloquentiam Arianorum vitandam; necessum fuit, ut conciperetur Fidei formula, quae exprimeret, *Filium a Patre procreatum non esse, sed ante omnia secula genitum; impios & haereticos esse, qui audent asserere, fuisse quando non erat, & ex non exstantibus emersisse; Patri esse Omousion, sive ut latine dicimus, Consubstantialem*: quae omnia in Nicaeno Symbolo continentur. Unica autem voce postremo commemorata, scilicet, *Omousion*, & Consubstantialem, universa Arianorum perfidia penitus, radicitusque convellitur. De ea ita ad Marcianum Augustum loquuntur PP. Synodi Chalcedonensis: „ *Hoc verbum perfectum est, atque sufficiens iis, qui ad confessionem fidei devotum animum conferre contendunt, unam Divinitatis naturam Patris Filiique significans; itaut non alterius quidem substantiae Patrem, alterius vero Filium sensus cogitet, & Arii contra pietatem sentientis malignitatibus conveniat.* „ De eadem particula S. Athanasius in libro, quem scripsit adversus Eusebianorum dolosas voces: „ *In his verbis* (inquit) *ex Patre esse, & consubstantialem esse, vim peremptoriam PP. contineri voluerunt, ad eludendas has argutiolas*, Filium creatum, aut factum, aut mutabilem esse, aut non fuisse antequam nasceretur. De ipsamet particula ita Victor Vitensis in Fidei ratione ad Hunericum Regem: „

III. Fidei formula in Synodo approbata.

Ad impietatis professionem, quae contra Fidem emerserat, refellendam, & penitus abolendam, Omousion *sermo Graecus positus est, quod interpretatur unius substantiae, vel essentiae, significans Filium non ex nullis exstantibus, nec ex alia substantia, sed ex Patre natum esse.* „ Sed quoniam de hoc vocabulo disputaturus sum alibi, atque haec duntaxat, quae modo attigi, satis explicant, quid Nicaeni Praesules adversus Arianam haeresim definierint; dicam tertio loco quinam illam Fidei formulam probaverint, eique subscripserint.

IV. *Qui Fidei Nicaenae subscripserint.*

IV. Praeter Catholicos Episcopos, etiam Arianos, metu adductos fidei libellum chirographo suo munivisse, testatur Theodoretus lib. I. cap. 8. his verbis: „ *Ariani metuentes, ne a tot Episcopis in unum congregatis ipsi Ecclesia eiicerentur, in medium prosilientes, dogma, quod improbatum fuerat, anathemate damnarunt, & libello, qui unanimi omnium* (Catholicorum) *consensu conscriptus fuerat, propria manu subscripserunt.* „ At Socrates lib. I. cap. 5. ait, quinque noluisse subscribere. „ *Hanc fidem*, ait, *approbaverunt trecentum decem, & octo Episcopi, omnesque ei assensi sunt: &, uti scriptum est apud Eusebium, consentientibus animis, opinionibusque, eidem subscripserunt, quinque solum exceptis, qui hanc vocem ὁμοούσιον, idest Consubstantiale, repudiarunt, Eusebio videlicet Nicomediae Episcopo, Theognide Nicaeae, Marete Chalcedonis, Theona Marmaricae, Secundo Ptolemaidis: proinde vocem illam* consubstantiale *vehementer irriserunt, & abdicationi Arii subscribere noluerunt. Ob quam causam Concilium non solum Ario, & omnibus eius opinionis denunciavit anathema, verum etiam vetuit, ne Alexandriam omnino Arius adventaret.* „ Implicata haec sunt, quoniam ex S. Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos, aliisque Ecclesiasticis monumentis constat, Eusebium Nicomediensem, & Theognidem Nicaenum ab aliis Episcopis in communionem fuisse receptos; nisi dicamus hos duos recuperandi Episcopatus causa poenituisse, exhibitisque libellis deposuisse priorem sententiam ac pertinaciam; quod tamen gravi inter Historicos contentione disputatur: Sed quantum ad praesens attinet institutum, certum est tandem & duos illos subscripsisse, quod a nemine in dubium vertitur; quo animo, & an Socrati assentiendum sit, dicam postrema harum Exercitationum Parte, in qua de Viris, qui Nicaeno interfuere, & praesertim de utroque Eusebio, pertractabitur. Nam & Eusebium Caesariensem, de cuius Arianismo tam acriter disceptatur, Nicaenae Fidei Formulae subscripsisse comperimus. Tradit id ipsemet Eusebius in Epistola ad Caesarienses suos, in qua refert se Nicaeae vocabulum *Omousion* una cum ceteris recepisse „ *quoniam noverat Veterum nonnullos doctos & illustres Episcopos atque Scriptores, cum de Patris & Filii divinitate agerent, usos esse Consubstantialis vocabulo.* „ Tradit Socrates lib. I. H. E. cap. 8. ubi ait: „ *Eusebius Caesariensis, cum in Synodo paululum hae-*

haesitasset, secumque expendisset, utrum admittenda esset Fidei formula, tandem & ipse una cum reliquis assensus est, & subscripsit ,, Tradit locupletissimus, omnique exceptione maior, S. Athanasius scribens ad Antistites Africanos: „ *Neque eius rei* (idest Consubstantialitatem exprimentis vocabuli) *ignarus erat Eusebius Caesareensis Episcopus, qui cum prius suffragaretur Arianicae Sectae, postea tamen Nicaeni Concilii decretis subscripsit, & apud suos propriis id ipsum litteris adfirmavit.* „ Fidei ergo Nicaenae, aut alieno animo, & fraude, aut mutata sententia, ipsi quoque Episcopi Arianae Factionis, si perpaucos excipias, idest, Theonam Marmaricae, & Secundum Ptolemaidis, quos ex Synodica Epistola ad Episcopos in Aegypto, Lybia, & Pentapoli constitutos apud Theodoretum lib 1. cap. 9. constat, una cum Ario pulsos fuisse in exilium, proprio chirographo subscripsere: quod erat postrema Exercitationis parte enarrandum.

Num Arius a Synodo Nicaena in communionem receptus fuerit?

I. ARIANI dogmatis factam in sacro venerandoque Nicaenorum PP. Conventu discussionem; technas, effugia, tergiversationes Eusebianorum; formulam Fidei Catholicae & Orthodoxae; vocabuli *Omousion* sensum; subscriptiones tum Catholicorum Praesulum, tum haereticae factionis Fautorum, praemissa Exercitatione descripsimus. At universae seditionis, impietatis, haereseos Auctori, Arium dico, quaenam inflicta poena? Quibus diris illum Fidei vindices devoverunt? Quodnam anathematis genus in eum intortum? Delusit ne & ipse tortuosus anguis, & haeresiarcha vaferrimus, subdolo ementitoque chirographo, sacrorum Antistitum solicitudinem? Evasit ne excommunicationis fulmen, & in fidelium communionem receptus fuit? Erit id, si lubet, praesentis Praelectionis argumentum. CAP. XXV.

II. Sunt qui opinantur, proscripto a Nicaenis PP. Arianorum nefario dogmate, nullatenus in Arii personam, quod & ipse poenitentiam callide simulans Formulae Fidei subscripserit, fuisse aliquo poenarum genere animadversum. Enimvero Rufinus lib. 1. H. E. cap. 11. ait, Constantinum ad Episcopos in Synodo Ierosolymitana anno 335. congregatos de Ario in communionem recipiendo scripsisse „ *Ut si expositionem Fidei eius probarent, & eum vel per invidiam, ut afferebat, tunc circumventum cognoscerent; vel nunc ab errore correptum, clementi erga ipsum iudicio uterentur; quando-*

II. *Quae videntur ostendere Arium a PP. Nicaenis in communionem receptum.*

doquidem tanta fuerit Concilii (Nicaeni) moderatio, ut non in personam eius, sed in dogmatum pravitatem fuerit lata sententia. „ Etiam Hieronymus, qui Acta Synodi Nicaenae perlegerat, in Dialogo contra Luciferianos, petenti Luciferiano quinam Ariani in Synodo fuerint recepti, nomine Orthodoxi respondet: „ *Eusebius Episcopus Nicomediensis, Theognis Episcopus Nicaenus, Saras tunc Presbyter Lybiae, Eusebius Episcopus Caesareae, & reliqui, quos enumerare longum est: ipse quoque caput horum, & causa malorum, Arius presbyter, & Euzoius Diaconus, qui post Eudoxium Antiochenus Episcopus fuit, & Achillas Lector: hi quippe tres Alexandrinae Ecclesiae Clerici, auctores huius haereseos extiterunt.* „ Quare Hieronymi auctoritate permotus CL. Annalium Parens ad an. 327. scribit „ *Perperam nonnullos putasse Arium in Nicaeno Concilio fuisse damnatum; quem scimus, auctore S. Hieronymo, poenitentiam simulantem subscripsisse cum aliis ipsi Concilio; sed tantum illum esse probibitum ne rediret amplius Alexandriam: nec Athanasius quidquam uspiam de Arii exilio; imo nec Constantini litterae, quibus ad se Arium accersivit, eum ab exilio revocasse demonstrant. Ea enim de recantata in Synodo Nicaena ab Ario palinodia, ex Actis Nicaenis prodere se idem Hieronymus profitetur, qui & ait eius rei viventes adhuc testes exstare.* „ Haec Baronius. Videntur itaque commentitia, & a vero aliena, quae narrantur de Arii condemnatione, & exilio; & primum refutantur ex Historia Rufini; deinde testimonio Hieronymi; ac tandem Athanasii & Constantini silentio.

III. *Arium damnatum, & in exilium pulsum demonstratur.*

III. Nihilotamen minus damnatum Arium, atque in exilium a Nicaenis PP. expulsum fuisse arbitramur: idque apertissimum est ex Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, quam nobis Theodoretus servavit lib. 1. cap. 9. & in qua haec leguntur: „ *Ea quidem, quae adversus Arium gesta sunt, vel comperistis, vel brevi comperturi estis, ne nos insultari videamur homini, qui sceleris sui dignam mercedem accepit. Tantam vero vim habuit eius impietas, ut Theonam Marmaricae, & Secundum Ptolemaidis Episcopum, secum in exilium pertraxerit.* „ Quae cum scripta sint Synodo ad finem perducta, ac tradita Alexandro Episcopo Alexandriam redeunti, dici nequit, quod nonnulli gratis omnino, & absque ullo fundamento comminiscuntur, damnatum quidem initio Concilii Arium, sed cum illo actum humanius, cum postea Actis subscriberet, ac dissimularet resipiscentiam. Socrates idem affirmat lib. 1. cap. 5. „ *Concilium non solum Ario, & omnibus eius opinionis fautoribus anathema denunciavit, verum etiam vetuit, ne Alexandriam ipse Arius omnino adventaret;* „ quod suppresso licet Arii nomine, asserit etiam in 2. Apol. S. Athanasius hisce verbis „ *Ceterum haec haeresis, ea in Synodo, quae Nicaeae congregata, anathemate damnata est, Arianique reiecti sunt.* „ Ex ipso etiam Eusebio Nicomediensi, Arianae impietatis

tatis propugnatore, colligimus proscriptionem Arii, siquidem ille comminationibus litterisque egit cum Athanasio, ut Arium in communionem reciperet, quod ipsemet Athanasius cit. Apolog. narrat his verbis: „ *Quapropter ad nos primum litteras hortatorias scribit de Ario recipiendo, sed ita, ut sine scripto minaretur, scripto autem speciem rogantis praeseferret. Verum ubi responsum esset, haereseos inventores, veritati infestos, & damnatos ab universi Orbis Concilio minime recipiendos esse; Caesarem beatae memoriae Constantinum inducit, ut mihi cum minis scribit, ea nos exspectare debere, quae & nunc, & antea passi sumus, nisi Arium reciperem.* „ Quo autem pacto Eusebius restitutionem Arii precibus ac minis tentasset, nisi fuisset eiectus? Quomodo, vos amabo, respondisset Athanasius, se recipere non posse hominem damnatum ab universi Orbis Concilio, nisi fuisset damnatus? Praeterea ipsa Ierosolymitani Synodi historia, & huius ad Constantinum, & vicissim Constantini ad Synodum litterae, quas laudat Rufinus, condemnationem, de qua disseritur, confirmant: Neque enim Episcopi illi ut reciperetur Arius & apud Caesarem interpellassent; neque id Synodali Sanctione decrevissent, nisi scivissent anathematizatum, & expulsum. Immo hoc expresse testantur in Epistola Synodali ad Aegyptias Ecclesias, in qua Arii sortem adscribunt malevolentiae Catholicorum; „ *Omnem invidiam, inquiunt de Constantino, ab Ecclesia Dei expellit, & omne odium procul abigit, per quae Christi membra iampridem dissidebant; auctorque fuit, ut simplici & placido animo Arianos reciperemus, quos aliquando improba invidentia extra Ecclesiam detinuit.* „ Quamobrem ante Ierosolymitanam Pseudosynodum neque Eusebiani, statuta Nicaena reveriti, Arium in communionem receperant, quod fecerunt tamen Athanasio Treviros Galliarum urbem relegato, ut idem Athanasius prolixe narrat in libro de Synodis. Decennio itaque, idest, ab anno 325. usque ad annum 335. quo Athanasius exul abiit ob falsas Arianorum accusationes, eoque absente, Eusebiani de recipiendo Ario coacto Conciliabulo cogitarunt. Arium damnatum, eiectum, ab Ecclesia segregatum, demonstravimus 1. ex Epistola ipsorum Praesulum Nicaenorum. 2. ex narratione Socratis. 3. ex Athanasio. 4. ex machinamentis Eusebianorum; postremo ex Ierosolymitana Synodo ab istis coacta. Quare ad opposita momenta respondemus, Rufinum & Hieronymum errasse, deceptos vel Actis Nicaeni Concilii depravatis, vel nominis similitudine; siquidem fuisse in Secta Ariana Arium alterum, & hunc Alexandrinum Presbyterum ex Epiphanio & ex Theodoreto didicimus: num vero Arius iste damnationem evaserit, nos ignoramus. Potest etiam ad Rufinum responderi, Arium damnatum quidem, sed non expresso singillatim ipsius nomine, id enim Rufini verba tantummodo innuunt. Quod autem Baronius ait de silentio Athanasii, alia non eget refutatione.

 IV. Quae.

IV. *Quinam fuerint cum Ario relegati.* IV. Quaeret aliquis in quam Orbis partem relegatus fuerit Arius, & quinam cum illo in exilium fuerint expulsi. E Socrate, cuius verba produximus, habemus hoc unum, vetitum Ario ne Alexandriam adventaret. Philostorgius tamen lib. I. cap. 9. & Nicetas lib. 5. Thesauri cap. 8. in Illyricum una cum Theona & Secundo relegatum affirmant. An vero in Illyricum revera profectus fuerit Arius, ignoratur; ac dixerim ego, apud Eusebianos suos furtiva & clandestina consuetudine commoratum. Quod secum in exilium traxerit Theonam Marmaricae, & Secundum Ptolemaidis Episcopum, paullo supra ex ipsis Nicaenis Patribus audistis. Relegati, sed post Synodum, & Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicaenus, qui corrupto Notario, cui Imperator Acta Synodi servanda commiserat, palam subscriptiones suas delevisse, scribit lib. II. cap. 25. Sozomenus. Pulsum in exilium & Maum Chalcedonensem, testatur Philostorgius apud Nicaetam, cit. cap. 8. Ex Epist. autem S. Petri Alexandrini, qui in Episcopatu S. Athanasio successit, apud Theodoretum lib. IV. cap. 20. relegatum simul novimus Euzoium Alexandrinae Ecclesiae Diaconum; quem tamen a PP. Nicaenis in communionem receptum aiebat paullo supra S. Hieronymus. Atque hi sunt, quos secum in pravitatem erroris, & in poenae consortium, Arium perduxisse, ex Auctorum collatione didicimus. De combustione autem Thaliae, Ariani poematis impurissimi, & de mortis supplicio legentibus ac retinentibus lege Constantiniana statuto, quoniam verba fecimus Cap. VIII. differentes de moribus, scriptisque Arii, necessum minime arbitror iterum pertractare.

Agitur de vocabulo Ὁμοούσιον.

CAP. XXVI. I. EIus generis fuit, qualem postrema Exercitatione descripsimus, Arii, Fautorumque eius in Nicaena veneranda Synodo proscriptio. Tunc vero insonari coepit obscurum antea, & fere inusitatum vocabulum *Omousion*, quod Latini verterunt *Consubstantiale*, & quo declaratur, eamdem esse Patri Filioque substantiam. Hinc Ariani nullum non lapidem ad vocabulum illud oppugnandum, eliminandumque moverunt, usi cavillationibus insulsisque momentis, a quorum propositione Praelectio ista sumit exordium.

II. *Argumenta Arianorum contra vocabulum* Ὁμοούσιον. II. Hoc primum telo *Omousion* Ariani impetebant, atque ut reprobaretur, omni adnitebantur conatu. In Scripturis, aiebant, ea vox nullibi adinvenitur: Absonum est autem in Fidei dogmatibus definiendis, explicandisque, nova, neque in Scripturis adhibita, usur-

usurpare vocabula. Inepte igitur ad Fidei dogmata, divinaque mysteria explananda, vox Ὁμοούσιον inducitur, & reputatur idonea. 2. Tum ad idem vocabulum criminandum instabant hoc ratiocinio: Inique invehitur vox aliqua, per quam Pauli Samosatensis ac Sabellii significatur & roboratur perfidia: Haec vero exprimitur, & innovatur per *Omousion*, quippe hac voce significatur, Deum una constare substantia, una hypostasi, & esse μονοπρόσωπον: Omousion itaque improbe & impie invehitur, & in Fidei Formulam intruditur. 3. Rursus ad hunc modum argutabantur: Si Dei Filius Homousios dicendus foret, hoc illum nomine appellassent Ecclesiae PP. nec Synodus Antiochena Paulum Samosatenum Homousion confitentem damnasset: At nullus PP. quotquot ante Nicaenam Synodum extiterunt, Filium Dei homousion Patri appellavit, ac Samosatensem ita eum appellantem anathematizavit Synodus Antiochena: Igitur Dei Filius appellari nequit Patri Homousios. 4. Ad haec ita opponebant, si homousios Patri dicatur Filius, sequitur huius generationem similem esse creatarum, in qua fit quaedam substantiae discissio; ita enim homines hominibus, brutaque brutis, in quorum generatione substantia fluit, & in individua partitur, homousia vocamus. At asserere in divina generatione in partes discissam naturam, quam absurdum est, quam impium, quam execrandum! Absit ergo, ut Filium homousion dicere audeamus. 5. Rursus aiebant: Qui Omousion & Consubstantiale dicit, tria significat, nempe substantiam aliquam praesubiectam, & plures ex illa genitos: qui ergo vocat Filium Patri consubstantialem, supponit ante illos subiectam substantiam, ex qua uterque sit genitus. Negat itaque divinitatem, aeternitatemque utriusque, & ambos fratres esse impiissime committiscitur. Argutabantur postremo. Si commode exponi potest Fides Catholica absque vocabulis nuper inventis ambiguae significationis, & scandalum & dissidia gignentibus, annon commode & opportune ita est exponenda? At possumus optime Fidem Catholicam explicare appellando Dei Filium, virtutem & sapientiam Patris, splendorem, figuram substantiae eius, ei similem, cum illo unum. Reiiciatur itaque, reprobetur, procul abeat novum illud, ambiguum, exitiosum vocabulum, & dissensionum seminarium & originem *Omousion*.

III. Nunc post Arianos Catholici sunt audiendi. Hoc nomen Omousion, inquiunt, componitur ex duabus vocabulis, ὁμὸς, & οὐσία: quorum prior talis est, ut cui iungitur, nunc significet eamdem rem ambo esse, nunc simul cum re rem esse, ut cum dico, ὁμοϊδὴς, vel ὁμώνυμοι, significat eiusdem speciei vel nominis duo esse. Οὐσία vero idem est, ac substantia. Cum igitur Pater & Filius sint unum, dicente Domino, *Ego & Pater unum sumus*, atque alter existat in altero, Domino repetente, *Nescitis quia ego in Patre, & Pater in me est*; & Ariani haec & similia Evangelii verba de consensu

III. Explicatur ac defenditur vocabulum Omousion.

sensu voluntatis exponerent, non de communione naturae, ne cogerentur Filium eumdem cum Patre Deum profiteri: ac rursus cum Filius sit ex Patre, atque Ariani contenderent esse ex nihilo conditum; Fides autem Catholica doceat esse ex Patris substantia, non externum, non adscititium, non praedestinatione & voluntate in consortium divinitatis assumptum, excogitandum erat vocabulum, quo significaretur, Filium cum Patre esse unum substantia, & de substantia Patris fuisse ante saecula genitum. Vtrumque *Omousion* significat; ut enim verbis utar Marii Victorini in lib. IV. adversus Arium „ *Hoc est Omousion, ὁμοῦ ουσίαν ἔχον, simul substantiam habens, paremque existendi vim, atque virtutem, eamdemque substantiae naturam, nullo tempore praeeunte, quod nos consubstantiale dicimus.* „ Quamobrem Ariani omni nisu Omousion repudiabant „ *ne ex substantia Patris Dei Filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus praedicaretur* „ verba sunt Hilarii in libro de Synodis prope finem. Haec cum ita sint, hoc ratiocinio universas Arianorum technas, machinas, cavillationes elidimus & refutamus: Fateri debemus Dei Filium non esse productum ex nihilo, sed ex Patris substantia, eamdemque habere cum ipso Patre naturam. Haec enuntiatio Dogma est Fidei Orthodoxae & Catholicae. Id nequit melius exprimi, quam admisso receptoque vocabulo *Omousion*, scilicet *Consubstantiale*: haec enuntiatio ex dictis perspicua est. Igitur hoc vocabulum recte sapienterque ad propugnandum dogma Catholicae Fidei a Sacrosanctae Nicaenae Synodi Patribus receptum fuit, Symbolo insertum & consecratum. Comprehendit autem haec ratiocinatio, quod de Homousio scripsere Athanasius de Synodi Nicaenae decretis, Epiphanius H. 69. Hilarius de Synodis, Cyrillus Dialogo I. de Trinit. Marius Victorinus secundo contra Arium libro, Basilius Magnus in Epistola 300. & in 2. lib. contra Eunomium; a quorum locis producendis consulto abstinemus, primum quia de iisdem egimus lib. VII. Theolog. Discipl. deinde quia legi possunt apud Nat. Alex. dissert. 14. in Historiam Eccl. IV. Saec. vel potius apud Dionysium Petavium lib. IV. de Trinit. cap. 5. demum quia nolumus momenta Arianorum initio producta absque refutatione relinquere.

IV.
Respondetur oppositionibus n. 2.

IV. Ad primum itaque petitum ex Scripturarum silentio, in quibus nunquam vox Omousion prodita reperitur, respondet S. Hilarius in libro adv. Constantium Augustum, neque in Scripturis Episcopis iuberi, ne verba, quae scripta non sunt, proferant, sed ut vitent duntaxat profanas vocum novitates, profanas, inquam, non pias, non ad fidem corroborandam idoneas; esse, quae in Scripturis non exstant, nec tamen reiici ab Arianis, ut dum aiunt Patrem esse *ἀγέννητον*, & innascibilem; esse item alia, quae licet in Evangelio non sint, ab illis tamen praedicantur, ut Verbum esse simile Patri, sive, ut Graece aiunt, *ὁμοιούσιον*; ideoque ab Arianis in uno eligi, in alio

alio excludi novitatem ; eligi ubi impietatis patet occasio, excludi ubi est cautela maxima religionis. Addebat Athanasius ; cur Ariani, si verba non scripta sint excludenda, accumularunt tantum acervum dictionum, quae nusquam in Scripturis occurrunt, quales sunt, *Ex non exstantibus*, *Erat quando Filius non erat*, *Invisibilis Pater Filio suo*, *Filius substantiam suam non percipit*, aliaque in Formula Fidei Arianorum, sive in litteris ad S. Alexandrum Episcopum Alexandrinum expressa. Negabant quoque PP. Omousion in Scripturis desiderari ; quandoquidem in illis occurrit saepenumero *οὐσία*, substantia, necnon derivata ἐπιουσιον, & περιουσιον, quae cum Homousio denominationem habent eamdem. Quae omnia cum sapientissime dicta sint ; animadvertit sapientissimus Augustinus, necessium fuisse ad novas haereses profligandas nova induci vocabula, quibus diligentius Fides Catholica custodiatur ; nihil vero contentiosius esse, quam ubi de re constat, certare de nomine : qua utique animadversione, tum illud Arianorum, tum alia id genus complura, nullo labore exsufflantur. Id vero, quod secundo loco obiiciebatur, facile evertitur, si observetur, Sabellianos statuisse, idem prorsus esse *Usiam & Hypostasim*, & negata personarum proprietate affirmasse eumdem esse Patrem ac Filium, scilicet eamdem Personam ex infinitate sua protensam in Virginem, quae sibi corpus assumens, sibimet in ipso corpore assumto Filii nomen addiderit : quae sunt verba S. Hilarii in libro de Synodis. At cum *Usiae* vocabulum substantiam, non personam significet, & nemo dicatur consubstantialis sibi ipsi, Omousion non solum Arianam, verum etiam Sabellianam haeresim evertit, quoniam, ut inquit epist. 300. S. Basilius, ἀναιρεῖ τὴν ταυτότητα τῆς ὑποστάσεως, tollit identitatem hypostasis. Atque hinc etiam eliditur obiectio consequens : nam Synodus Antiochena non damnavit Paulum Samosatenum, quia confitebatur Homousion, sed quia vocabulo significante eamdem substantiam abutebatur ad demonstrandam eamdem hypostasim ; sive non damnavit nativam eiusdem vocabuli significationem, sed extraneam & a Sabellianis affictam : cum tamen ante illam Synodum Filium dixerit Patri homousion, & a Patre distinctum hypostasi S. Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Dionysium Romanum Pontificem : unde veritate cogente scripsit Eusebius ad Caesarienses suos, probatum a se Omousion, quoniam nonnulli veteres Episcopi, scriptoresque diserti & illustres eadem voce usi erant in Patris & Filii divinitate explicanda. Duo autem quae consequuntur nullius sunt roboris ; nam si rerum creatarum productione, ea quae homousia sunt, supponunt praesubiectam materiam, eorumque generatio fit cum discissione naturae, id non oritur ex quo sint eiusdem substantiae, sed quia eorum substantia creata est, & generatione partibilis ; ideoque sicut in Deo admittimus vocabulum Genitoris ac Patris, licet non generet, ut

ho-

homines solent, decisione substantiae; ita admittere debemus Omousion, licet res conditae, quae homousiae sunt, habeant numero secretam divisamque substantiam. Omousion quippe eamdem substantiam, non eiusdem substantiae significat partitionem. Atque hinc etiam constat idem vocabulum neque novum esse, neque sensus ambigui, neque ad dissidia gignenda percommodum; sed tale, quod Arianos aeque ac Sabellianos oppugnat, demonstratque Patrem ac Filium duas esse Personas, nequaquam ab unitate substantiae alienas, ut praelectionem absolvam verbis S. Epiphanii H. 69.

De vocabulo τοῦ Ὁμοιουσίου.

CAP. XXVII. I. DIscussis praecedenti Exercitatione cavillationibus Arianorum, falsarumque Interpretationum calumniis circa definitum ab Oecumenica Nicaena Synodo vocabulum Ὁμοούσιον, puto, Lectores humanissimi, vos a me in praesentiarum expetere, quid sentiendum sit de altero vocabulo, quod interiecta una tantum litterula discrepat a praecedenti, idemque sonat, ac similis substantiae, videlicet, Ὁμοιούσιον. Aequum est autem, ut id expetentibus annuam, moremque geram, ostendamque quo sensu vocem hanc probaverint Ariani: quo illam repudiaverint Catholici Patres; quo demum nonnulli, licet inculpatae fidei, eam retinuerint.

II. *De Haereticis qui* Ὁμοιούσιον *probarunt.*

II. In ipsa itaque Nicaena Synodo, dum Episcopi Catholici Fidem ab Arianis exigerent, conscriptam ab Eusebio Nicomediensi formulam, in qua ipse, suique Gregarii fatebantur, Filium esse ex Deo, & Imaginem Patri similem, a Synodo autem hanc formulam reprobatam, manibusque discerptam, ac statutum, ut ulterius Verbum vocaretur Omousion & Consubstantiale, diximus Cap. XXIV. traditque in libro de Decr. Nic. Syn. egregius Doctor Athanasius. Primum itaque Ὁμοιούσιον ipsimet Ariani asseruerunt, rati nullum inde consequi adversus impietatem suam praeiudicium, siquidem etiam hominem conditum ad imaginem & similitudinem Dei Scriptura testatur. Quare ad hanc eludendam vafritiem iure meritoque Omousion fuit Formulae Fidei adiectum. In eadem Synodo Eusebius Caesariensis, dum impellente Constantini auctoritate & imperio *Omousion* recepit, huius sensum veteratoria tergiversatione accepit pro eo, quod substantia simile est, ideoque ut refert Sozomenus 4. Eccl. H. libro cap. 18. postmodum Omousio reiecto, Omoiusion adscivit; si tamen de Caesariensi, & non de Nicomediensi loquitur Sozomenus. Atque in hoc item deprehenditur Arianorum versutia, dum per Omoiusion Omousion explodunt. Post Synodum vero, ex una

etsi

etsi proscripta Ariana haeresi, germinantibus pluribus, uti de reciso Hydrae capite fabulantur, quum soli Anomaei aperte Filium creaturam praedicarent, nec ullatenus Patri similem, ideoque tum Omousion reiicerent, cum Omoiusion, Semiariani Filium Patri per omnia similem fatebantur. Erant vero Semiariani, qui partim Ario, partim Catholicis adhaerentes, Filium ex ordine rerum creatarum esse, vel negabant, vel palam non asserebant; illum tamen non *Omousion*, consubstantialem, sed *Omoiusion*, similem, & quidem per omnia, ideoque etiam substantia fatebantur. In quorum classe S. Epiphanius H. 73. connumerat Semiarianorum principem Basilium Ancyranum, Georgium Laodicenum, Silvanum Tarsensem, Sophronium Pompeiopolitanum, Eleusium Cyzicenum, Macedonium Constantinopolitanum, qui dogmatizans Spiritum Sanctum esse creaturam, singularem vulgavit blasphemiam, Marcum Arethesium, Cyrillum Ierosolymitanum, & Meletium Antiochenum. Hi vero saltim in eo damnandi, quod veram Fidem profiteri, & Dominum ὁμοούσιον appellare noluerint. Quare ex horum officina plures Fidei formulae prodierunt, ut Antiochena, ac Sirmienses, in quibus asseritur Filii cum Patre similitudo, negant autem mentionem fieri Homousii, aut saltem illud nefaria calliditate supprimunt, ac silentio praetereunt. Fuit & tertia Arianorum factio, quae sequebatur Acacium Palaestinae Episcopum & successorem Eusebii, qui etsi Aetium ducem Anomaeorum anathemate damnaret, eatenus tamen cum illis conveniebat, quatenus Dei Filium ita Patri similem asserebat, quemadmodum effigies & simulacra referunt hominum viventium similitudinem, quod perinde est, ac adstruere cum similitudine diversitatem substantiae. Itaque in horum omnium sensu Omoiusion iniquum exhibet sensum, quod hoc ostendimus syllogismo: Qui abutuntur hac voce Omoiusion ad negandam Filio Dei eamdem cum Patre substantiam, sensum iniquum pravumque eidem vocabulo affigunt. Ariani, Eusebiani, & qui Aetium, Basilium Ancyranum, & Acacium sequebantur, ea voce Omoiusion abutebantur ad &c. Igitur &c.

III. Hinc plures Catholici in praedicto vocabulo fraudem Arianorum subodorantes, illud penitus reiecerunt. Reiecit Auctor Opusculi inscripti „*Confutatio hypocrisis Meletii & Eusebii Samosateni*„ inter opera Athanasii, hac ratione producta: Θεῷ ἐςὶν οὐχ' ὁμόιος ὁ ὕιος, Θεὸς ὤν. ἀλλὰ ἓν, καὶ ταυ̃τα, ὡς γεγραπται, ἐγὼ, καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. καὶ θεότητα ἡρμήνευσε τὴν ἑνότητα. *Deo non est similis Filius, cum Deus sit, sed unum & idem; quum scriptum sit, Ego & Pater unum sumus, ubi divinitatem interpretatur unitatem.*„ Reiecit Athanasius de Synodis, ita ratiocinatus: Ἐπὶ τῶν ὀυσιῶν οὐχ' ὁμοιότης. ἀλλὰ ταυτότης ἂν λεχθεῖν. ἄνθρωπος γὰρ ἀνθρώπῳ ὁμοίος λέγεται, οὐ κατὰ τὴν ὀυσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὸ σχῆμα. III. *Quo sensu Patres repudiaverint* Ὁμοιούσιον.

καὶ τὸν χαρακτῆρα. Ἐπὶ γὰρ οὐσίας ὁμοφυεῖς εἰσὶ. καὶ πάλιν ἄνθρωπος κυνὶ οὐκ ἂν ὅμοιος λεγηται, ἀλλ' ἑτεροφυὴς καὶ ἑτερόσιος. *In substantiis non similitudo, sed identitas affirmari solet. Homo enim homini similis dicitur, non secundum substantiam, sed secundum figuram ac formam; quod enim ad substantiam attinet, ὁμοφυεῖς idest eiusdem naturae sunt. Et rursus homo nequaquam dicitur similis cani, sed natura diversus.*,, Reiecit in priori adversus Arium libro Marius Victorinus eadem ratione permotus, & scribens: „ *Impii & illi qui dicunt* homoiusion *esse Filium Patri. Substantia enim, in quantum substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam. Eadem est in duobus, & non est similis, sed ipsa.*,, scilicet, similitudo non secundum substantiam, sed secundum qualitates attenditur. Hos vero, & si alii sint, qui negent Filium esse Patri *homoiusion*, recte sapienterque negare, hac ratiocinatione demonstro: Quisquis negat Filium esse Patri *homoiusion*, in quantum eo vocabulo demonstratur similitudo, quae seclusa identitate substantiae, sita est in affectione aliqua, vel qualitate, aut proprietate, quae ad substantiam accedit, quo sensu chrystallus similis est adamanti, stamnum argento, lupus cani, statua prototypo; vel si in substantia fundatur, hanc non unam eamdemque, sed in individuis seiunctam supponit, ut homo homini, aequus aequo dicuntur similes; is recta ratione *Homoiusion* oppugnat. At qui laudati PP. negant Filium esse Patri *homoiusion*, quatenus, &c. Ergo, &c.

IV. *Quo sensu PP. Omoiusion probaverint.*

IV. Interdum tamen iidem, aliique PP. Filium ὁμοιούσιον dixere, quod si accipiatur de similitudine κατὰ πάντα, non exclusa identitate substantiae, bene, & Catholice enuntiasse, auctoritate, historia, & ratione possumus demonstrare. Enimvero idem Athanasius, qui adv. Semiarianos *Omoiusion*, ut nuper vidimus, reprobavit; in 3. contra Arianos oratione Filium esse Patri similem his verbis declarat: υἱὸς γὰρ ὢν τοῦ Θεοῦ, ὅμοιος ἂν εἴη αὐτοῦ; ὅμοιος δὲ ὢν, πάντων ἐστὶ κύριος καὶ βασιλεύς. αὐτὸς γὰρ φύσιν, ὁ ἐμὲ ἑωρακὼς, ἑώρακε τὸν πατέρα,, *Nam cum sit Dei Filius, consequens est, ut sit similis ipsius: cum autem similis sit, omnino est Dominus & Rex: quippe ipse dicit, Qui videt me, videt & Patrem.* „ Quae verba potissimum urgent Arium, & Anomaeos, qui Filium creaturam, & nulla re similem, & aequalem Patri asserebant. Haec quantum ad auctoritatem. Nam quantum ad Historiam attinet, manifestum est, Formulam Fidei conscriptam a Basilio Ancyrano, quem supra diximus Semiarianorum ducem & Coriphaeum, a S. Hilario in libro de Synodis, dici Catholicam, & nihil aliud esse, quam legitimam interpretationem Homousii a Nicaenis PP. definiti, siquidem ,, *nihil simile sibi secundum naturam esse potest* (verba sunt eiusdem Hilarii) *nisi quod est ex eadem natura.*,, quamquam S. Basilius ep. 41. ubi ait recte dici Filium similem Patri, dummodo addatur, *citra al-*

lam

lam varietatem, loquens de Formula Fidei conscripta Constantinopoli ab Acacio, & Eudoxio, qua Filium Θεὸν ἐκ Θεῷ, ὅμιον τῷ γεννήσαντι ἀυτὸν πατρὶ, *Deum de Deo, & similem Patri*, definierunt, ob nudam vocem similitudinis suspectam sibi videri testatur. Nec alia ratione viri eruditi Liberium Papam a labe Arianae perfidiae immunem fuisse propugnant, nisi, quia subscripsit ei Formulae Sirmiensi, in qua Verbum Patri ὁμοιούσιον, idest, *simile* declaratur. Atque haec ex historia. Demum si ad rationem attendamus, similitudo naturae ipsam ideam generationis ingreditur; & licet qui similis vocatur, ita dicatur ad alterum; sat tamen est, si dicatur similis ad alterum hypostasi, non ἐυσια: & quemadmodum Filius dicitur in Symbolo Athanasiano aequalis Patri secundum divinitatem, tametsi qui dicitur aequalis dicatur ad alterum, ita vocari potest ὁμοιούσιον, similis secundum substantiam. Sed finis Exercitationi imponendus est, ut in aliis partibus fecimus, syllogismo: Inculpate nonnulli PP. dixere Filium Patri ὁμοιούσιον, ac similem, si loquuti sint de similitudine κατὰ πάντα, non exclusa identitate substantiae: sed loquuti sunt &c. Hinc colligimus, quod ad ferendum judicium de sententia veterum erit regula irrefragabilis, eos qui negant Filium Patri ὁμοιούσιον, germanos esse Arianos & Anomaeos: qui asserunt ὁμοιούσιον, negant autem ὁμοούσιον, esse Semiarianos: qui vero ὁμοιούσιον praedicant, nec ὁμοούσιον & quod hoc nomine significatur, reiciunt, esse Orthodoxos.

De Nicaenae Synodi circa Paschatis celebrationem Decreto.

I. Recepto, & ad ὁμοιούσιον, de quo pertractatum est supra, addito τῷ ὁμοούσιῳ, satis aperte proscripta fuit a PP. Nicaenis haeresis Ariana, ad quam potissimum damnandam indictum celebratumque Concilium, non semel diximus. At ob alias etiam caussas convocatum affirmavimus Cap. V. idest, ad Controversiam Paschatis dirimendam, & ad comprimendum Schisma Meletii. Aiebat in libro de Syn. Ariminensi, & Seleucensi S. Athanasius „ *Nicaena Synodus non temere habita est, ut quae habeat gravissimos usus, & legitimam rationem. Syrii enim, Cilices, Mesopotamiani in Festi causa claudicabant, atque una cum Iudaeis Pascha celebrabant* ;, quartadecima nempe Luna mensis Martii, in quamcunque diem incidisset. Quid hac in re Synodus decreverit, quam dignoscendi Festi regulam proposuerit, quaenam Ecclesiae in ea celebritate convenerint, perspicue, si attendatis, exponam. Cap. XXVIII.

 II. Quam-

II. *Decretum Synodi, eiusque aequitas.*

II. Quamvis Nicaeni Concilii de Paschate Decretum die dominica celebrando iniuria temporum deperditum fuerit, quoad tamen substantiam in pluribus Ecclesiasticis monumentis adservatur & custoditur. Restat enim Synodalis ad Ecclesiam Alexandrinam Epistola, in qua legitur „ *Controversiam de Festo sacratissimo susceptam esse prudenter, & commode sedatam, itaut omnes Fratres, qui Orientem incolunt, & Iudaeorum consuetudinem antea imitabantur, iam Romanos, & Aegyptios, qui rectam viam a primis temporibus tenuere, consentientibus animis iam sedulo sint servaturi.* „ Adservatur & Epistola Constantini ad Ecclesias apud Eusebium lib. III. Vit. eiusdem Imp. cap. 18. in qua ait „ *Visam omnibus rem prorsus indignam, ut in sanctissimae huius Solemnitatis celebratione sequeremur Iudaeorum consuetudinem:* Addit, *gravissimum errorem esse, uno eodemque anno geminum Pascha celebrare.* Subiicit „ *Nefas esse, ut in tanti momenti negotio, & in huiusmodi Religionis solemnitate reperiatur dissensio.* Ait „ *Indecorum esse, iisdem diebus, alios quidem ieiuniis intentos esse, alios vero celebrare convivia, & post dies Paschae alios in festivitatibus, & animorum remissione versari, alios vero definitis vacare ieiuniis.* Pertractat etiam de eodem Decreto H. 70. S. Epiphanius, eiusque aequitatem commonstrat ex eo quod, si una cum Iudaeis celebremus, in eumdem annum duo nobis Paschata occurrent, ante videlicet, & post Aequinoctium; sequenti autem anno, ne unum quidem celebrabitur; etenim ante Aequinoctium nondum annus impletus est. Additque aliud incommodum, quod nempe Dominica dies aliquando traducenda foret in luctu & ieiunio, adversus Constitutionem illam Apostolicam: *Qui afflixerit animam suam Dominica die, maledictus est Deo.* Meminerunt eiusdem Decreti PP. Synodi Antiochenae an. 341. de quibus infra, *S. Ambrosius in Epistola ad Episcopos Aemiliae, S. Leo Magnus ep 64. ad Marcianum Augustum. Ven. Beda de Rat. Temp. cap. 42. aliique permulti.* Satis vero ex dictis ipsius Decreti aequitas comprobatur. Enim vero ita ratiocinari fas est. Quod tollit ab Ecclesia dissensionem, ab eaque eliminat Iudaicas consuetudines, & ad unam peractae Redemptionis memoriam, ad communem laetitiam, ad gloriam Reparatoris simul cum animi exultatione ab omni Fidelium coetu celebrandam conducit, illud sancte ac salubriter decernitur & custoditur; Si vero ubique gentium Dominica, quae Lunam 14. Martii subsequitur, Paschatis solemnitas peragatur, tollitur, &c. Igitur, &c.

III. *Synodi pro servando die Paschatis Oeconomia.*

III. At qua ratione Nicaeni PP. constituerunt, ut dies Paschali Festo praestituta Ecclesiis omnibus innotesceret, neque in calculis & supputatione Lunae aberrarent? Id primum sanxere, iubentes, ut Alexandrinus Episcopus adhibitis Astronomiae scientissimis quot annis diem designaret, eumque per litteras significaret Romano Pontifici, qui exinde Ecclesias omnes redderet de ipsa die cer-

tio-

tiores. Affirmat hoc praecit. Epist. S. Leo: *Studere*, inquit, *SS. PP. occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Aegyptios huius supputationis antiquitus tradita videbatur esse peritia; per quam qui annis singulis dies praedictae solemnitatis eveniret, Sedi Apostolicae indicaretur, ut huius scripti ad longinquiores Ecclesias iudicium generaliter percurreret.* Negant hanc Alexandrino Episcopo demandatam provinciam nonnulli cum Basnagio ad an. 325. num. 28. primum quia id contineri debuisset in Epistola Synodi ad Episcopos Aegypti, in qua nullum de hac re adparet vestigium; deinde, quia Eusebium quoque Caesariensem huic operi animum admovisse, constat ex lib. IV. Vitae Const. cap. 34. ubi legitur, ab ipsomet Eusebio librum de Festo Paschali fuisse conscriptum, & nuncupatum Imperatori. Sed insanum est levissimis hisce coniecturis Leonem Magnum redarguere, maxime cum adhuc exstent Epistolae Paschales Theophili Alexandrini a Hieronymo Latinitate donatae, & ad scopum, de quo loquitur Leo Magnus, directae. Ac Basnagii coniecturas iure meritoque appellavi levissimas: primam, quia in Encyclica ad omnes Aegypti Episcopos inferendum non erat, quod duntaxat Alexandrino fuerat commissum: alteram vero, quia liber Eusebii de Paschate non erat Astronomicus, sed, ut habetur eodem cap. 34. *In ipso arcana illius Festi ratio erat exposita.* Quamquam licet Eusebius de Luna Paschali scripsisset, non inde fieret consequens, iniunctum illi hoc munus a Synodo, neque normam ex eius computo Ecclesiis longinquioribus exhibendam. Non ergo falsitatis revincitur B. Leonis Papae testimonium. Neque Leoni tantummodo, verum etiam Ambrosio quidam, quos more suo, caeco nempe & inconsiderato, Basnagius sequitur, videntur esse iniurii. Cum enim Ambrosius scripserit ad Episcopos Aemiliae, PP. convenientes ad Synodum Nicaenam *congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegisse rationem, & quasi quemdam constituisse circulum, ex quo exemplum in omnes reliquos gigneretur: & hunc circulum Enneadecaterida nuncupasse*; audent & istud inter fabulas amandare. Cur vero id, quaeso? Sabinus Macedonius, inquiunt, apud Socratem lib. I. cap. 9. spernit PP. Nicaenos tanquam rudes, & omni scientia destitutos; quod ausus non esset, si Cyclum illum Lunarem, sive Aureum Numerum condidissent. Sed nihil ea consecutione futilius: tum quia extremae dementiae est haeretico conviciatori assentiri: tum quia ad Synodum convenisse Episcopos undequaque doctissimos, praestantissimosque Philosophos, Eusebius, Sozomenus, Theodoretus, aliique omnes affirmant; tum demum, quia etsi ignari, & omnis scientiae expertes fuissent, non proprio marte adinventum ab illis Aureum Numerum scribit Ambrosius, sed congregatis peritissimis calculandi. Regerunt a Bucherio traditionem everti gravissimo

stissimo hoc argumento: *Si Cyclum Paschalem PP. Nicaeni definivissent, quo pudore Prosper in Chronico MS. suum 84. annorum Cyclum toties inculcaret, & Enneadecateridi tam fidenter apponeret?* Verum si aetate Prosperi ubique Aureus Numerus in Ecclesia obtinebat, ut a PP. Nicaenis adinventum crederet S. Ambrosius, quo pudore, ut Bucherii utar verbis, Prosper Cyclo Ecclesiae usu probato suum ausus est praeferre? Igitur Prosper, & qui deinceps cyclos invexerunt alios, suos magis explicitos, & in omnibus naeomeniis designandis magis accuratos existimarunt, nec Aureum Numerum, cuius etiamnum in Ecclesia est usus, abiecerunt, sed vetustae novam inveniendi Pascha regulam addiderunt. Quare verissimum credimus, quod tradunt Ambrosius & Leo Magnus, Nicaenos PP. Alexandrino Praesuli mandasse, ut de Paschali Luna determinanda solicitus esset, & Aureus Numerus, sive decem & novem annorum institueretur Periodus, ne deinceps in celebrando Paschate laberemur.

IV. *Constitutionem Nicaenam quaenam Ecclesiae receperint.*

IV. Reliquum modo est, ut properante ad exitum oratione videamus num universi Nicaenorum PP. Decreto obtemperaverint. Christianus Lupus in Dissert. de Synodo Nicaena cap. 6. ait, solos Montanistas pertinaces mansisse, quod ab insano Paracleto edocti essent, non ad Lunae, sed ad Solis decursum Pascha dirigere, laudat Sozomenum id asserentem lib. VII. cap. 18. At Theodoretus lib. I. cap. 9. ait, extitisse quaedam Monachorum sodalitia, quae adhuc cum Iudaeorum stupore consentirent. Sane anno 341. & post annos 16. a celebrata Nicaena Synodo nonnulli adhuc erant, qui Luna 14. Paschatis Festum agebant, quos Antiochena eodem anno coacta perstrinxit Canone primo „ *Omnes, qui audent dissolvere decretum sanctae & magnae Synodi, quae Nicaeae celebrata est in praesentia religiosissimi Imperatoris Constantini, de S. Festo salutari Paschatis, sint anathema*; Nicaenam de Paschate Constitutionem etiam Audianis displicuisse testatur S. Epiphanius H. 70. num. 9. Verumtamen quidquid de nonnullis haereticorum sectis dicatur, receperunt illam universae Catholicorum Ecclesiae: ac mentitur Socrates Novatianus, dum ait lib. V. cap. 21. „ *Neque illud verum est, quod nonnulli haberent frequenter in ore, Concilium Constantini temporibus habitum, morem huius Festi celebrandi* (Luna 14.) *penitus pervertisse*. „ Quid enim de hac re scripserit Constantinus in sua ad Ecclesias Epistola, audivimus paullo supra.

Quid

Quid de Meletianis, aliisque Nicaeni Patres decreverint?

I. EGISTI, audio vestrum quempiam, Lectores humanissimi, ita me interpellantem, egisti de Arianae haeresis facta a Nicaenis PP. proscriptione; egisti & de finita Controversia Paschatis, & Exercitatione anteacta editam hac de re Constitutionem conatus es illustrare: de Meletiano autem Schismate, ad quod comprimendum fuisse magnam Synodum convocatam tradunt historici, nihil penitus, quod in medium proferas, occurrit modo? At id a me sciscitantibus in memoriam prius revoco traditam vobis eiusdem Schismatis historiam; deinde vero quod & de Meletio & de Acesio, necnon de utriusque Affeclis Patres constituerunt, ut temporis patiuntur angustiae, differere in praesentiarum adgredior. CAP. XXIX.

II. Nequit melius dignosci, quid Concilium Nicaenum de Meletianis statuerit, quam ex Epistola Synodica, quae legitur apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. in qua legitur: *Placuit clementius erga Meletium agente Synodo (summo enim servato iure nullam veniam promerebatur) ut is in civitate sua maneat, nec ullam habeat aut manus imponendi, vel aliquem ad munus Ecclesiasticum eligendi, vel ob id in aliam civitatem vel locum commeandi facultatem: nec huius rei causa in vico, aut in urbe ulla compareat, sed nudum honoris sui nomen retineat. Ii vero, qui ab ipso designati sunt, simul ac sanctiore ordinatione fuerint confirmati, ad communionem admittantur ea lege, ut honorem quidem ac ministerium retineant, secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus, qui in unaquaque Paroecia & Ecclesia versantur a carissimo Collega nostro Alexandro prius ordinati: adeo ut his quidem nulla facultas suppetat quos visum fuerit eligendi, aut nomen cuiuspiam suggerendi, aut omnino quidquam gerendi, sine consensu Episcopi Catholicae Ecclesiae, qui subiectus est Alexandro. Hi autem, qui Dei gratia & vestris precibus adiuti ad nullum schisma deflexisse comperti sint, & se inter Catholicae & Apostolicae Ecclesiae fines ab erroris labe vacuos continuerint, auctoritatem habeant tum ministros ordinandi, tum eos qui clero digni fuerint nominandi, tum denique omnia ex lege & instituto Ecclesiastico libere exequendi. .. De Meletio vero ob pristinam eius contumaciam, & ob temerarium ac praeceps hominis ingenium, aliter placuit decernere, ne potestas auctoritasque ulla tribuatur homini, qui possit easdem turbas iterum excitare.* Hoc est Nicaenorum PP. de Meletianis Decretum clementiae simul & aequitatis plenissimum, eoque Schismatici

II. *Synodi de Meletianis Decretum.*

tici

tici omnes ad unitatem invitabantur: quos ex Breviario Alexandr apud Athanasium in 2. Apol. constat fuisse Episcopos viginti octo, Presbyteros quatuor, ac tres Diaconos, quorum unus fuit Ischyras ille sceleſtissimus, qui se presbyterum Meletii mentitus, S. Athanasium de fracto sacro Calice apud Synodum Tyriam accusavit. Etsi autem summa Patrum humanitate Meletiani honestissimis conditionibus recepti fuerant, ac Meletius Alexandro, e Synodo Nicaena in Aegyptum reverso, restituit omnes Ecclesias, quas inique occupaverat, & in Lycum, ut quod vitae supererat, in pace transigeret, se recepit; attamen paullo post migraturus e vivis ordinavit contra Nicaena Statuta Arsenium Episcopum Hypselitanum; quo auctore iterum Meletiani sopitum Schisma conflarunt, atque iuncto cum Arianis foedere, pacem Ecclesiae turpius, quam antea fecerant, lacerarunt. Sed haec Meletianorum contumacia non efficit, quin PP. Nicaenorum Constitutio sanctissima fuerit ac saluberrima.

III. *De Acesio Novatianorum Episcopo.*

III. Neque Meletianis duntaxat, verum etiam Novatianis provisum voluit Synodus Oecumenica. Narrat enim lib. 1. cap. 21. Sozomenus, Acesium Episcopum Novatianorum litteris Constantini vocatum, ad Synodum se contulisse: percunctatum, num Concilii de Fide & de Paschate decisionem probasset, respondisse, nihil novi decisum, & se ab ineunte aetate didicisse, tum credendum, tum agendum Pascha, sicuti Patres statuerant: ab Imperatore interrogatum, cur ipse Acesius, cum eadem sentiret quae ceteri, se ab eorumdem segregaverit communione, narrasse dissensionem, quae Decio imperante Cornelium inter & Novatianum intercesserat, & quomodo illi, qui post baptismum sese peccato, quod est ad mortem obstringerent, venia & communione censendi erant indigni, haec dixisse Imperatorem „ *Erigito tibi Scalam Acesi, ac tu solus in Coelum ascendito.* „ His fidem derogat in Notis ad Socratis lib. 1. cap. 10. eruditus Valesius: primum, quia nullius veteris Scriptoris testimonium producitur: 2. quia non dicitur, cuius urbis Acesius fuerit Episcopus: 3. quia Socrates ibidem ait, se haec accepisse ab Auxano Novatianorum presbytero, qui ad Synodum Nicaenam simul cum Acesio convenerat: quod, inquit Valesius, procul distat a vero; debuisset enim Auxanus, dum Socrates haec scripsit, superare centum annorum aetatem; siquidem Socrates natus est circa exordia Principatus Theodosii, assumpti anno 379. a Gratiano in consortium Imperii. Sed haec parum nos urgent, qui ex Sozomeno, non ex Socrate historiam Acesii recitavimus, cum apud Sozomenum nulla Auxani fiat mentio, ibique Acesius dicatur Episcopus Ecclesiae Novatianorum, nulla fortassis certa sede consistentis. Vereor etiam, ne in Socratis Codices Auxani nomen mendose irrepserit: nam Baronius ad annum 325. ita eiusdem Socratis verba recitat: *Ipse haec a viro minime vano, & qui aetate admodum pro-*

provecta erat, atque ea, quae in Concilio gesta ipse viderat, commemorat, accepi. Immo nec repugnat, Socratem adolescentem a sene, qui admodum iuvenis Nicaeae fuerit, ista accepisse. Ceterum quidquid de Acesio, & de Auxano dicatur, Magna Synodus Novatianis redeundi ad Ecclesiam ianuam aperuit, statutis quibusdam conditionibus, quae octavo Nicaeno Canone comprehenduntur.

IV. *De Scripturarum SS. Canone, & de Origene.*

IV. His, aliisque opportunis Definitionibus, quae ex Nicaenorum Canonum lectione dignosci possunt, optime sacri Antistites praesenti Ecclesiae statui consuluerunt. Forte aliquis mirabitur, cur Nicaena Synodus nil de Sacris Scripturis, de quorum Canone semper Catholicos inter & Haereticos disceptatum est, definierit, & nil pariter de Origene, a quo derivasse fertur haeresis Ariana. At hanc duplicem quaestionem ex aureis S. Hieronymi scriptis brevissime dissolvemus. Et ad priorem quod attinet, colligimus ex Praefatione S. Doctoris in librum Iudith, revera Canonem, quo libri Canonici numerantur, ab eadem Synodo conditum, ac semper in Ecclesia Catholica, licet quoad Nicaenam Constitutionem exciderit, custoditum. *Apud Hebraeos* (inquit Hieronymus) *liber Iudith inter hagiographa legitur, cuius auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur: Chaldaeo autem sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse; acquievi postulationi vestrae &c.* Neque his adversantur, ut quidam putant, quae idem Hieronymus ait, in Epistola ad Chromaticum, & Heliodorum, *Iudith librum legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit:* Arbitramur quippe nos cum Cardinali Seripando viro doctissimo, inter Scripturas Hagiographas & Canonicas illud apud Hieronymum esse discrimen, quod inter Protocanonicos, & Deuterocanonicos statuit posterior aetas. Non tamen factum crediderim, quod in Libro Synodico legitur apud Iustellum: *Sacros libros & apocryphos hoc modo Nicaena Synodus manifestos fecit. In domo Dei, inferiori loco iuxta divinam mensam omnibus collocatis, Dominum invocans oravit, ut qui divinitus inspirati essent, superius, qui autem adulterini, inferius, quod & factum est, invenirentur.* Neque enim quod explorata traditione cognoscitur, miraculo discere Synodus attentasset. De Origene, de quo postrema quaestio proposita est, ita ep. 65. praelaudatus Hieronymus: *Scilicet uno medicamine omnes simul morbos debere curari, & idcirco Spiritus Sancti neganda maiestas est, quia in illa Synodo super substantia eius silentium fuit? De Ario tunc, non de Origene quaestio fuit; de Filio, non de Spiritu Sancto. Confessi sunt quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quaerebat. Quamquam latenter Origenem fontem Arii percusserunt: damnantes enim eos, qui Filium negant de Patris esse substantia, illum pariter, Ariumque damnarunt.* Quibus Hieronymi verbis si aliquid adderemus, iure nimis prolixi, nimisque inofficiosi diceremur.

De fine Magni Nicaeni Concilii.

CAP. XXX. I. HAERESI Arianorum damnata, finita Paschatis Controversia, compresso Schismate Meletiano, editis opportunis regulis ac definitionibus, quas Canones appellamus, perfectisque iis, quae superius narravimus, Magna, Oecumenica, atque ceterarum universalium princeps, Nicaena Synodus, VIII. Kal. Septembris Paulino & Iuliano Coss. anno Christianae Aerae 325. ad finem perducta est. Haud arduum esset narrare, qua munificentia Caesar Constantinus regali convivio Praesules omnes exceperit, ut hoc veluti pacis sigillo concordia inviolata maneret: qua liberalitate singulis largitus fuit munera: qua urbanitate omnibus iam iam discessuris in unum convocatis vale dixit: qua humilitate se, Imperiumque, illorum precibus commendavit. At cum haec omnia possint intelligi ab Eusebio, qui eadem lib. III. Vitae ipsius Constantini cap. 21. splendida & ornata elocutione descripsit, uberiori proventu in tribus dirimendis quaestionibus, quae in hac priori Dissertatione desiderantur, hac postrema Exercitatione versabimur.

II. *Quaestio de hymno glorificationis.* II. Prior quaestio est: An Glorificationis hymnus, quo nunc Davidicos Psalmos, & alias preces absolvimus, scilicet, *Gloria Patri*, &c. fuerit primum in Synodo Nicaena constitutus: id enim colligunt quidam ex Sozomeno scribente lib. III. cap. 19. consuevisse Clerum Antiochenum sub Leontio Episcopo Ariano ita hymnum illum proferre, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*; Catholicos autem, ipso Episcopo non repugnante, verbis fidei Concilii Nicaeni consentientibus, & more usitato & antiquitus tradito, Deum laudasse, dicendo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Alii vero eumdem hymnum ab Ecclesiae incunabulis, & ex traditione Apostolica derivatum affirmant, additam vero a PP. Nicaenis alteram partem, *Sicut erat in principio, &c.* ut hoc additamento Filium aequalem Patri, eique consubstantialem, atque ante omnia tempora genitum profiteremur. Rursus quidam putant ipsam secundam partem adiectam a Damaso, ut in huius Vita descripta ex Vaticanis Archivis testatur Constantinus Caietanus: Aliqui demum opinantur, a Damaso hoc unum fuisse praescriptum, ut iuxta morem Orientalium in Occidentali etiam Ecclesia cuilibet psalmo adderetur, Damasum litteris ad hoc praescribendum exhortante Hieronymo. Verum affirmandum est, eumdem hymnum quoad utramque partem Traditionis esse Apostolicae, quamvis Ariana haeresis in causa fuerit, ut frequentius in Ecclesia repeteretur. Atque prior huius assertionis pars luculentissime demonstratur a S. Basilio, qui in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium ait coeptam in Ecclesia Dei hanc glorificationem

nem ab eo tempore, quo mandatum est, ut credentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizarentur: addit a Clemente Romano, a Dionysio Alexandrino, ab Ireneo Lugdunensi Episcopo eumdem hymnum appellari, *Formam & regulam a maioribus traditam*: demonstrat illius meminisse Origenem, Iulium Africanum, Firmilianum Caesareensem, & Gregorium Thaumaturgum, quorum testimonia producit: concludit demum, esse vocem gratam, amicam Sanctis, a prima Evangelii annunciatione usque ad praesens in Ecclesia usitatam. Quibus nihil locupletius ad assertionem nostram comprobandam proferri potest. Adeat tamen, qui plura desiderat, Baronium ad annum 325. Lupum in Scholiis ad Canones Nicaenos, cap. 7. postremae dissert. & Ioannem Cardinalem Bonam lib. II. Rerum Liturgicarum cap. 3. & de divina Psalmodia cap. 16. Frequentius vero post exortam Arianam haeresim hymnum illum cum additamento, *Sicut erat*, &c. in Ecclesia repetitum, infert laudatus Baronius ex Canone 5. Concilii Vasensis, quo decernitur, ut in Ecclesiis integer pronuntietur *propter haereticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse blasphemant*: quo tamen Canone minime infertur, ut idem Baronius opinatur, a Nicaenis PP. qui blasphemiam illam damnarunt, additam partem hymni secundam, quam ab Ecclesiae exordio obtinuisse constat ex eodem S. Basilii libro cap. 23. ex Epistola S. Irenaei ad Iulium Africanum, atque ex Tertulliano lib. de Spectaculis cap. 25. Quare de praemissis opinionibus hoc iudicium est proferendum. Prior sententia, quae ob narrationem Sozomeni ait hunc hymnum prius institutum Nicaena in Synodo, infirmo tibicine nititur; nam Historicus ille ait tantum, in Ecclesia Antiochena sedente Leontio, alterum hymnum protulisse Arianos, alterum Catholicos, hos vero servasse antiquum institutum Fidei Nicaenae conformem: unde sequitur, Glorificationem illam, ut a Catholicis pronuntiatam, expressius opponi haeresi Arianorum a PP. Nicaenis proscriptae, non autem ab ipsis Nicaenis PP. fuisse institutam: Et revera licet nullum in fide errorem contineat ea formula, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, siquidem & Leo Magnus Orat. I. de Nativ. ait, *Agamus, dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium in Spiritu Sancto*: & Apostolus tres SS. Trinitatis Personas significans inquit, *Per quem omnia, &c.* tamen Antiochena illa formula suspecta erat, cum illius mutationis auctor fuit Aetius antesignanus Anomaeorum. Quod vero spectat ad alias sententias, hoc unum in iis probemus, quod sive auctore Damaso, sive sensim introducta consuetudine, coeperit hymnus in fine Psalmorum legi, & decantari: quem tamen morem Occidentalis Ecclesia non didicit ab Orientalibus, apud quos aetate Cassiani Psalmi ea Glorificatione minime absolvebantur, ut idem Cassianus scribit lib. 1.

de Instit. Coen. cap. 8. Atque de hymno Glorificationis, & de priori quaestione dictum satis.

III. *Quaestio II. de Confirmatione Concilii facta a Silvestro.*

III. Sequitur modo altera quaestio: An Synodus Nicaena confirmata fuerit a Silvestro Romano Pontifice; quod revocari potest in dubium; siquidem epistola Synodi ad Silvestrum, qua PP. Pontificem deprecantur ut Concilium sua definitione confirmet, & altera Silvestri ad PP. Nicaenos, quas ex vetusto codice Coloniensi primum edidit Surius, a nonnullis Criticis censentur supposititiae. Nos vero in ea sententia versamur, ut priorem Epistolam genuinam, alteram spuriam & apocrypham, confirmationem certissimam existimemus. Et quantum attinet ad Epistolam primam, dicitur data Coss. Paulino & Iuliano, in quorum Consulatu celebratam Synodum demonstravimus alibi. Quod vero opponit Basnagius ad an. 325. n. 54. indigna tanto coetu esse ea Epistolae verba: *Censeat vestra Apostolica doctrina, Episcopos totius vestrae Apostolicae urbis in unum convenire, vestrumque habere Concilium, & sicut docet mystica veritas, confirmet nostra sancita*, obiiciens Nicaeam non fuisse Apostolicam urbem Silvestri; cavillatio est contentiosissimi hominis, nodumque in scirpo quaerentis. Neque enim de Concilio Nicaeae habito, sed de Concilio Romae habendo pro illius confirmatione, loquuntur Patres Nicaeni in allata periodo. Hoc unum, quod Basnagius non obiicit, in eadem Epistola offendi, quod nempe dicitur data VIII. Kal. Iulias. Sed facillimum fuit amanuensi pro Septembre alium mensem notare, quod evenit saepenumero. Reiicio vero Epistolam Silvestri ad Synodum, tum quia dicitur data V. Kal. Novembris, Constantino VII. & Constantio IV. Coss. anno scilicet 326. duodecimo post solutam Synodum mense: tum quia commemorantur in ea Paschales Cycli Victoris, qui floruit post Silvestrum, & circa annum 456. Confirmatam autem a Beato Silvestro Nicaenam Synodum non tantum demonstrant quae universim dicuntur de quolibet Generali Concilio, cui ex Romani Episcopi adprobatione accedit irreformabilis auctoritas, iuxta illum Canonem, de quo Socrates lib. II. cap. 13. *Canon Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romani sanciantur*; verum etiam quae leguntur apud Dionysium Exiguum Praefatione ad Canones Nicaenos; *Silvester Episcopus Sanctae & Apostolicae Sedis, Praesul urbis Romae dixit: Quidquid in Nicaea Bithyniae constitutum est ad robur Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae & Apostolicae, a Sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere Definitionem sancti & magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum est, sub praesentia piissimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.* Quae si cum praecedentibus conferantur; compertum

erit

erit, Silvestrum in Romana Synodo confirmasse Nicaenam, prout suis litteris Nicaeni PP. postulaverant. Et haec de quaestione secunda.

IV. Postrema quaestio erit illa : An ex quo Constantinus sua ad Ecclesias Epistola confirmaverit Nicaena decreta, & iusserit inviolabiliter observari, consequens sit, ut contendunt haeretici, Conciliorum definitiones ratas non esse, nisi Principum accedat assensus. Sed huius quaestionis solutio est facillima, & obvia ex iis, quae diximus de convocatione Conciliorum Generalium. Assensus enim & auctoritas Principis necessaria est, non ut Sanctiones Conciliorum ratae sint, & fideles obstringant, sed ut in illorum observatione Imperialis potestas potestati Sacerdotali sit praesidio, ut refractarii coerceri possint, & quatenus opus sit, auxiliaria Principum vi coarctari; ut demum post Augustissimi Caesaris adprobationem, editos ab Episcopis Canones non audeant inferiores reliquarum gentium Rectores ullatenus abrogare: cuius rei causa Eusebius in Vita Constant. lib. III. cap. 22. ait ipsum invictissimum piissimumque Caesarem sigillo suo Decreta Nicaena corroborasse.

IV. *Vltima quaestio solvitur.*

DIS-

DISSERTATIO II.

DE CONSTANTINO MAGNO IMPERATORE.

De Constantini Magni parentibus, & infantia, ac iuventute.

CAPUT I. I. TRADENTIBUS nobis in prima harum Dissertationum historiam Nicaenae Synodi contigit, ut Virorum, de quibus plura scitu dignissima narrari solent, saepenumero meminerimus; in quorum rebus gestis examinandis, illustrandisque, in hac secunda Dissertatione versabimur. Sunt autem viri illi, Imperator Constantinus, Silvester Romanus Pontifex, Osius Episcopus Cordubensis, Arius Haeresiarcha, eiusque fautores duo, Eusebius Nicomediensis & Eusebius Caesariensis, atque Arianorum oppugnatores acerrimi, Alexander & Athanasius, Episcopi Alexandrini. Itaque de his viginti proximis Exercitationibus acturi, dissertationem a Constantino auspicamur, eiusque genus, nativitatem, & infantiam nunc enarrabimus.

II. *De Constantini parentibus.* II. De Genere Constantini agentes nullam de ipsius Genitore quaestionem instituemus. Compertum est enim, fuisse illum Constantium filium Claudiae, Crispi fratris Claudii Augusti, & Eutropii; nobilissimum Dardanae Gentis germen; Chlorum a faciei colore cognominatum, natura mitissimum, Protectorem primum, deinde Tribunum, postea Praesidem Dalmatiae, creatum Caesarem cum Maximiano Valerio anno 9. Diocletiani, Christi 291. nuncupatum Augustum anno, quo Diocletianus, & Maximianus Herculius purpuram abiecerunt, Christianae Aerae 304. demortuum cum quintum gereret Consulatum, vix secundo imperii anno inchoato, idest anno Ch. 305. Quum haec de patre Constantini certa sint, disceptatur admodum de genere matris Helenae: affirmantibus aliis, fuisse vilissimam feminam, & concubinam Constantii; aliis, fuisse filiam cuiusdam e Britanniae regulis nomine Coel, & Constantio legitimo connubio iunctam,

ctam, aliis demum, primum concubinam, deinde uxorem. Nos media incedentes via fatemur Helenam obscurissimi fuisse generis, non tamen Constantii scortum, sed legitimam coniugem: atque ut fateamur Helenam vili atque ignobili sanguine procreatam, faciunt primo excerpta Valesii, & Stephanus de Vrbibus, apud quos legitur: *Constantinus natus Helena matre vilissima in oppido Naisso, atque educatus*. 2. Nicephorus, qui lib. VII. cap. 8. loquens de Constantio ad Daepanum Nicomediae sinum vili hospitio apud stabularium recepto, *Hospes*, inquit, *magnificentia, & splendore ipsius regio permotus, filiam ei suam*, (Helenam) *venusta forma, aetatisque flore iam nubilem conciliat*. 3. S. Ambrosius, qui Orat. de funere Theodosii ait de Helena: *Stabulariam hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est*. At Helenam fuisse legitimam Constantii coniugem, demonstratur ex Historicis, qui tradunt ipsum Constantium ad Caesaris dignitatem evectum duxisse in uxorem Theodoram Maximiani Herculii privignam, quae sex illi peperit liberos, repudiata Helena priore uxore, ex qua generaverat Constantinum: ita Aurelius Victor, qui floruit eodem tempore: ita lib. X. Eutropius; ita Anonymus optimae fidei Scriptor editus a Valesio: de quibus plura in Appendice ad Historiam Donatistarum Henricus Cardinalis Norisius. Asserentibus enim iisdem Historicis Constantinum genitum ex primo *obscuriori matrimonio*, quae sunt verba Eutropii, ac Theodoram nuptam Constantio *diremptis prioribus coniugiis*, ut inquit Aurelius Victor; quis non videt, ante Theodorae nuptias Constantium inter & Helenam ratum firmissimumque intercessisse connubium? Deinde si Helena Constantio tamquam concubina adhaesisset, quo iure Gallicanus Orator in Panegyrico Constantini huius celebrasset continentiam, ac pudicitiam, eo quod patrem imitatus, *ab ipso fine pueritiae illico matrimonii legibus traditus, primo ingressu adolescentiae formasset animum maritalem*? Quomodo Constantinus materni generis oblitus Leg. 1. de naturalibus liberis, quae exstat Codicis Iustinianei lib. IV. declarasset, infamiam subire Praefectos, Duumviros, ac Sacerdotes, qui petant legitimari per Rescriptum Principis filios spurios ex scenica muliere vel tabernaria susceptos? Qua ratione adhuc adolescens illegitimo natus concubitu, primum locum inter Ephebos Diocletiani occupasset, & ad Imperatoris dexteram incessisset, ut narrat in eius Vita lib. 1. cap. 13. Eusebius? Demum Helenam fuisse veram legitimamque uxorem Constantii, demonstrat vetus Inscriptio apud Gruterum: *Piissimae & clementissimae D. N. Helenae Matri D. N. Victoris semper Augusti Constantini, & Aviae DD. NN. Caesarum Beatorum, uxori D. Constantini Ordo Neapolitanorum & Populus*. At enim, inquis, qui Helenam Constantii non uxorem, sed concubinam fuisse putant, ducuntur testimonio Zosimi lib. 1. cap. 2. scribentis: *Constantinus natus*

ex

ex consuetudine mulieris, quae mater familias non esset, nec in manum Imperatori Constantio legitime convenisset. Quod & ab aliis assertum scribit in tertio Annalium Zonaras, licet ipse nihil definiat & litem relinquat sub iudice. Humilitas etiam conditionis Helenae indicio est, concubinam fuisse, saltim cum primum cognovit illam Constantius. Verum Vopiscum decipi, ex dictis apertum est. Ideo autem nonnulli in errorem inducti fuerunt, quoniam Constantius privignam Maximiani duxit, Helena repudiata, vel quoniam ortis inter Maxentium & Constantinum dissidiis, qui huic adhaerebant, illum filium Maximiani Valerii spurium, & hunc vicissim natum dicebant ex illegitimo Constantii concubitu, convicium convicio pensantes; ut mittam rationem productam a Baronio ex legibus Romanorum, quibus sancitum erat, ut si Praefectus Equitum, vel Tribunus, uxorem duxisset in provincia, in qua officium gerebat, matrimonium, utpote vi potentatus contractum, irritum foret ac nullum, ut habetur *L. Praefectus ff. de ritu nuptiarum*; tametsi *L. Eos qui*, eodem tit., Paulus I.C. declarat, iustas effici nuptias, si post depositum officium Praefectus vel Tribunus in eadem voluntate perseveret. Humilitas vero conditionis Helenae nihil officit: Constantius enim, quando illam duxit, infima inter milites dignitate potiebatur, ut mirum non sit, cum hospitis stabularii filia, in qua venustas eximia, & singularis virtus nitebant, contraxisse connubium.

III. *De Constantini nativitate, ac patria.*

III. Talibus ergo parentibus Constantinus in lucem editus est: quo loco, & quo anno, disquiritur. In Britannia Constantinum natum senserunt Baronius, Panvinius, Vsserius, & Britannicarum rerum Scriptores, permoti insigni Panegyrico ad eumdem Constantinum recitato anno 307. in quo Orator facta inter ipsum & Constantium comparatione, inquit: *Liberavit ille Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti*: quibus verbis refragari, quis, ait Baronius, non extremae ducat esse dementiae? Sed non repugnante huius Panegyrici auctoritate, dicimus Constantinum natum in urbe Traciae, aut Daciae, Naisso, de qua Stephanus de Vrbibus: *Naissus urbs Thraciae, patria Constantini Imperatoris*. Excerpta Valesiana ad calcem librorum Ammiani Marcellini, *Constantinus natus Helena matre vilissima in oppido Naisso, & educatus, quod oppidum postea magnifice ornavit*: Atque Constantinus Porphyrogenitus lib. II. Themate 9. *Naissus patria Magni Constantini*. Haec, ut praemonui, non repugnant praelaudato Panegyrico, ubi de natali Imperii, non de natali vitae fit sermo: siquidem primum diem, quo Caesares imperium auspicabantur, Latini Scriptores natalem diem appellabant: unde in veteri Kalendario Bucheriano ad diem VIII. Kal. Aug. quo Constantinus in Britannia Caesar fuit renunciatus, legitur: „ Atque alter Panegyrista Eumenius in Orat. ad eumdem Constantinum inquit: „ *O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quae Constantinum*

Cae-

Caesarem primum vidisti! „ In Britannia itaque Constantinus natus est ad imperium, ad vitam autem hanc mortalem in Thracia. At quo anno natum dixerimus? Profecto anno 273. quarto anno Imperatoris Aureliani, Coss. M. Claudio Tacito & Furio Placidiano; cum ex Fastis Idatianis obierit XI. Kal. Iunias, Feliciano & Titiano Coss. idest anno 337. sexagesimo quinto aetatis anno nondum completo, XI. Kal. Iunias, ipso die Pentecostes. Resecatis enim ab annis 337. annis 65. residuus erit annus 273. huius Caesaris natalitius. Natus est autem iuxta Calendarium ab Hervarto & Bucherio publicatum III. Kal. Martii, idest, die 27. Februarii; iuxta vetus autem Calendarium Lambecii pridie Kal. Aprilis. Atque haec de Constantini nativitate.

IV. De priori Constantini aetate legimus, obsedem stetisse apud Imperatorem Diocletianum, atque in expeditione Alexandriae, quae capta direptaque fuit anno Diocletiani 13. & Christi 296. tam strenuum iuvenem se praebuisse, ut magno in honore apud Caesares esset, ita ut cum Diocletiano transiens per Aegyptum ac Palaestinam illius dexterae adhaerens, in se omnium oculos animumque converteret, atque, ut scribit lib. 1. cap. 19. Eusebius, in eo regiae celsitudinis apparerent indicia. Quamobrem Galerius Armentarius, quem Diocletianus anno 291. Caesarem declaraverat, tabescens invidia insidiis Constantinum appetiit, & cum palam nihil moliri auderet, ne contra se arma civilia & odium militum concitaret, illum non semel obtentu exercitii & lusus feris obiecit. *Sed frustra*, inquit Lactantius de Mortibus Persec. cap. 24. *quoniam Dei manus hominem protegebat*. Haec de Constantini Genere, Ortu, & florentiori aetate narravimus.

IV. *De prima Constantini aetate.*

De Constantino ad Imperium evecto.

Caput II.

I. Genus Constantini, Parentis eius Constantii Chlori virtutem, ingeniumque mitissimum, legitimum Helenae cum ipso connubium, patriam ipsius Constantini, annum, diemque natalem, atque praeconceptam imperii eius spem, insidiasque Galerii, superiori Exercitatione narravimus. Quomodo ad Imperii fastigium pervenerit, & in eum Maxentius, aliique Augusti per idem fere tempus exercitus comparaverint, quoniam horum notitia ad ea, quae postmodum dicenda sunt, praerequiritur, nunc servata rerum serie explicabimus.

II. Commorantem itaque Constantinum Nicomediae apud Maximianum Galerium Constantius gravi morbo laborans ad se accivit. Constantinus autem vix Galerio assentiente, ut postridie acceptis mandatis proficisceretur, quiescente post coenam Imperatore, ex urbe festinanter exivit, sublatisque omnibus equis publicis, ne retrahi posset, quod Imperator ira fremens facere attentavit, incredibili celeritate transgres-

II. *Quomodo, & quando Constantinus renunciatus sit Imperator.*

sus

sus Alpes, venit ad patrem apud Bononiam, quam Galli Gessoriacum vocabant, ut Eusebius libro 1. de vita Constantini, Zosimus lib. xi. & Lactantius de Mortibus Persec. scripsere. Hinc Gallus Orator Eumenius in Panegyrico: *Iam tunc coelestibus signis, suffragiis ad salutem vocabaris, cum ad tempus ipsum, quo Pater in Britanniam transfretabat, classi iam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit, ut non advectus cursu publico, sed divino quodam advolasse curriculo videreris*. Pervenit itaque Constantinus ad patrem Gessoriaco solventem, & in Britanniam transfretantem: quo ubi pervenisset, Constantius Eboraci fatis cessit die 25. mensis Iulii, cum prius filium militibus commendasset, ita ut, quemadmodum Panegyristes aiebat, *transitum facturus videret in militum acclamatione quem reliquisset heredem*. Hinc corrigendus (aliquando enim bonus dormitat Homerus) cl. Baluzius qui ait, Constantinum ad patrem pervenisse xii. Kal. Augusti: fieri quippe non potuit ut trium vel quatuor dierum spatio, e Galliis Constantius in Britanniam comparata navali classe perveniret, & morbo, quo affligebatur, occumberet Eboraci. Certe Constantium obiisse die 25. Iulii anno 306. perspicuum est ex Fastis Idatianis, in quibus legitur: *Constantio VI. & Maximiano VI. Coss. diem functus Constantius, & postea levatus est Constantinus*. Ita Imperator Constantius naturae concessit, ac post se superstites liberos reliquit, praeter Constantinum ex priori coniuge Helena, tres liberos ex Theodora Maximiani Herculii privigna, Constantium Dalmatium, Constantinum alterum, & Annibalium, ac tres item filias, Constantiam uxorem Licinii, Eutropiam coniugem Nepotiani, atque Anastasiam. Ubi vero obiit pater, Constantinus Imperator a militibus salutatus, ut verbis utamur Eusebii lib. 1. vit. cap. 22. *paterna ornatus purpura, & ex paternis aedibus egressus, Constantium tanquam redivivum, & in filio adhuc regnantem cunctis exhibuit*. Post haec funus paternum curavit, & cum ingenti amicorum multitudine, quorum alii anteibant, alii subsequebantur, pulcherrimo apparatu exequias defuncti Principis celebravit. Hinc plura colligimus: ac primum revera imperium Constantini inchoandum esse anno Christi 306. ut diximus agentes de Epocha Nicaenae Synodi; deinde egisse Constantinum annum aetatis suae 33. cum natus fuerit, ut ostendimus praelectione superiori anno 273. tertio, imperasse annos 30. menses 9. dies 29. cum obierit anno 337. die 29. Maii; ulterius vixisse integros annos 64. quos illi attribuit lib. 4. cap. 53. scriptor vitae eius Eusebius, & fuisse ingressum annum aetatis suae 65. ut lib. 1. cap. ultimo scribit Socrates: tandem falli tum Epiphanium, qui in libro de Ponderibus & Mensuris annos Imperii Constantini numerat triginta duos; tum Victorem, qui in Epitome Chronologica inquit, tres tantum & sexaginta annos vixisse. Haec interim de Constantino.

III. Di-

III. Dicendum namque est de Maxentio, qui ubi accepit Imperium Constantino delatum, ac videret illius Imaginem, ut in more positum erat, Romae venerationi totius populi exhibitam, se autem, qui Maximiani Herculii filius dicebatur, neglectum despectumque iacere, purpuram arripere cogitavit: adiunctisque sibi consilii administris Marcelliano & Marcello Tribunis militum, atque interfecto Arbellio urbis Praefecto, qui illorum molitionibus adversabatur, creatur Augustus, regiumque solium conscendit. Quis fuerit Maxentius iste, & quamdiu imperaverit, disceptatur. Filius Maximiani Herculii sese appellabat, ut dixi nuper: sed spurium fuisse, eique ab Eutropia, Syra muliere, suppositum, longe est probabilius: id enim videtur asserere Victor in Epitome his verbis: *Suppositum* (Maxentium) *ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis, auspicio gratissimi partus coepti a puero*. Apertius id tradit Nazarius in Panegyrico, qui inter Maxentium & Constantinum instituens comparationem, *Vt enim*, inquit, *omittam illa, quae non decet comparare, quod erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii pii filius, ille despectissimae pravitatis, detortis solutisque membris, nomine ipso abusiva appellatione mutilata, tu, quod sufficit dicere, tantus ac talis*. Ipse Maximianus Herculius visus est Maxentium tanquam alienum parvipendere: quum enim anno 304. una cum Diocletiano se abdicaret Imperio, non Maxentium, sed Constantium Chlorum, & Maximianum Galerium Caesares nominavit. Quare Maxentius Eutropia quidem Herculii uxore, sed incerto patre natus est. Superbus, contumax, perniciosae ac malae mentis, & patri ac socero (utrique scilicet Maximiano, Herculio, & Galerio) invisus dicitur in libro Lactantii de Mortibus Pers. cap. 18. Imperare coepit eodem anno, quo Constantinus, 306. die 27. Octobris, periitque eadem die, anno 312. ut ostendam proxima praelectione. Imperavit itaque toto sexennio: unde in Panegyrico ait praelaudatus Nazarius: *Quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflexerat, bimestris fere cura sanavit*.

III. De Maxentii conditione, & Imperio.

IV. Praeter Maxentium & Constantinum, proximo anno 307. etiam Licinius, cui Galerius Maximianus eodem anno, cum adversus Maxentium infelici exitu castra movisset, destitutus a plerisque suorum, & in Illyricum abiens, imperii clavum commisit, vir e Dacia oriundus, & a prima militia Galerio familiaris & amicissimus, tertio Idus Novembris creatur Augustus. Galerius etiam Maximinus, qui anno 304. quando Maximianus Herculius abdicavit se principatu, fuerat Caesar appellatus, prae ceteris tyrannico ingenio praeditus, semetipsum renunciavit Augustum: quod cum moestus ac dolens accepisset Galerius, annuit, ut universi quatuor nominarentur Imperatores, ipse nimirum Galerius, Constantinus, Licinius, atque Maxentius. Hinc factum est quod scribit lib. 10. Eutropius, ut Respublica a quatuor Imperatoribus teneretur, *Constantino nempe, & Ma-*

IV. De aliis, qui eodem tempore regnarunt, Imperatoribus.

xentio filiis Augustorum, *&* *Licinio ac Maximiano Galerio novis hominibus*. Sed & Herculius, qui cum Diocletiano purpuram deposuerat invitus, & in Lucania, vel Campania commorabatur, ubi Maxentius, eius filius nuncupatus, principatum arripuit, illumque bis Augustum nominavit, rerum novarum cupidus Romam advolavit, ac Severum Caesarem periuriis deceptum in Maxentii insidias perduxit, itaut Via Appia, tricesimo ab urbe lapide iugulatus perierit. Idem Maximianus Herculius Maxentio insidias molitus circa finem anni 307. pulsus ab urbe Roma, in Gallias ad Constantinum confugit, eique Faustam filiam suam collocavit in matrimonium. Horum omnium infaustus exitus: Nam Maximianus Herculius anno 310. quum genero suo Constantino insidias strueret, quas Fausta illius filia viro detexit, Massiliam profugus, eliso & fracto gutture, detestabilem vitam turpi & ignominiosa morte finivit. Galerius proximo anno 311. Sardicae horrenda tabe & pestilenti morbo consumptus, apertis & putrescentibus visceribus, in supplicium persecutionis iniquissimae interiit. Maximianus anno 313. hausto veneno, capite parietibus illiso, exeuntibus e loco oculis, dirisque cruciatibus confectus, suam in Christianos saevitiam accusans, Tarsi nocentem spiritum efflavit. Licinius anno 325. iubente Constantino, & militari tumultu omnibus id postulantibus, apud Thessalonicam laqueo peremptus, trucidatorum Martyrum poenas luit, scelestissimamque animam profudit. Quis enim his imperantibus occisos Martires potest connumerare? Agapius ab ursis laniatus, ac proiectus in mare, Theodorus Amaseensis igne consumptus; Apollonius cum Philemone exquisitissimis cuiusvis generis suppliciis affectus; Barlaamus & Gordius igne & ense consumpti, Euphemia & Serenus apud Chalcedonem decollati, Iulitta apud Caesaream Cappadiciae flammis absumpta, Romanus Pontifex Marcellus ad catabulum, alendasque feras damnatus; Iulianus Cilix sacco cum scorpionibus, viperisque inclusus, & in profundum demissus: Catharina nobilissima virgo, & studiorum nostrorum patrona, Alexandriae capite truncata: Paregorius, Iulius, Nicander, Marcianus, Phoca, Theodosia, Sylvanus, Valentina, Petrus Alexandrinus, Pamphilus, Theodulus, Phileas....... Fas mihi sit cum Lactantio cap. 16. repetere: *Vexabatur universa terra*, *&* *praeter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimae Bestiae* (tres scilicet Imperatores, & Constantino excepto) *saeviebant*.

Non mihi si linguae centum sint, *oraque centum*,
Ferrea vox, *omnes scelerum comprehendere formas*,
Omnia poenarum percurrere nomina possem,

quas Iudices per provincias iustis atque innocentibus intulerunt.

De

De Cruce, quae Constantino apparuit, & de Maxentii interitu.

CAPVT III.

I. QVAE fuerit, dum Constantinus renunciatus est Imperator, Romanae facies Reipublicae, & quomodo etiam Maxentius, ac paullo post Licinius, & Galerius Maximianus appellati fuerint Augusti, ex praecedenti Exercitatione satis compertum arbitror. Maxentius itaque praecipuus nostri Caesaris, necnon Religionis Christianae hostis, erat commisso certamine debellandus: idque propitio numine factum est. Vt hoc gratanter audiatis exoro; est enim fausta, & nisi verborum delectu, rerum saltim eventu periucunda enarratio; atque ne lucidus desit ordo, agam primo de pugnae apparatu, deinde de Crucis signo, quod apparuit Constantino, tum de Maxentii interitu, Victorisque triumpho.

II. *Constantini cum Maxentio dissidia & certamina.*

II. Ab exordio Imperii sui Caesar Constantinus pacem Maxentio obtulit, is vero illum nolens agnoscere imperii collegam, & dictis factisque infestum hostem semper se illi exhibens, Augustas quoque deiciens imagines, & cum Maximino adversus eumdem foedus iniens compulit & coegit ad arma. Pugnatum primo apud Segusiensium civitatem non procul ab Augusta Taurinorum anno 311. Maxentio ad bellum provocante, quasi necem Maximiani Herculii patris sui apud Massiliam iugulati vindicaturo. Maxentio fuisse LX. millia peditum, equitum XVIII. millia tradit Zosimus lib. 2. cap. 15. centum millia armatorum enumerat Nazarius in Panegyrico: Constantini exercitus neque XL. millium copiis constabat. Quare Orator illum comparans Alexandro Macedoni, *Magnus Alexander*, inquit, *cum praeter Macedonas suos, cunctae Graeciae, universo Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, nunquam maiores* XL. *millium copias duxit... Tu vero etiam minoribus copiis bellum multo maius adgressus es*. Celebrat deinde Panegyristes victorias gloriosissimi Principis: describit campum late iacentem, quem miles oppleverat: instructum Maxentii Exercitum tectis equorum pectoribus, demissa lorica, horrore armorum incedentem: Constantini militem clavis armatum, ferratisque nodis hostes defatigantem, fusas ingentes Maxentii copias, interfectos, qui invulnerabiles habebantur, Augustum absque suorum vulneribus mirabili victoria potitum. Quae licet oratorie potius, quam historice dicta sint, felicissimum tamen exitum pugnae demonstrant, a Zosimo quoque, Eusebio, ceterisque plurimis celebratae. Pugnatum deinde ineunte anno 312. apud Brixiam felici item eventu. Tum apud Veronam dubio diu marte ob munitissimae urbis praesidia, & Ruricii ducis experientiam; cuius tamen furorem mors do-

domuit. Aquileia postea, Mutina, ac universa fere Italia in sui ditionem redacta, Constantinus Augustus, victor, felix, invictus, ad urbem Romam recuperandam accessit, atque post varia discrimina copias omnes propius ad urbem admovit, ftititque e regione pontis Milvii.

III. *De signo Crucis, quod Constantino pugnaturo contra Maxentium apparuit.*

III. Tunc pomeridianis horis fulsit Constantino Coeleste Signum. Crux rutilans ac protensa, fulgentibus undique circa illam stellulis, & litterarum forma exprimentibus, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, *In hoc vinces*. Miraculum audaci temeritate negat Ioannes Hoornebeek, Calvianus Laydensis Professor, tempus pervertit Scaliger, uterque breviter refellendus. Ergo Calvinista in Examine Bullae Vrbani VIII. de cultu sacrarum Imaginum coelestem illam visionem nititur oppugnare primo, quia cum tot essent in orbe Christiano doctores, solitus non fuit Deus per visiones & somnia aliquid enuntiare. 2. Quia Angelum mittere utique consuevit, ut legimus ad Hebr. cap. ultimo, Act. 10. Lucae 11. nunquam vero Crucis signo alios perduxit ad Fidem. 3. Quia somniavit id Constantinus, & tota proinde narratio somnium sapit. 4. Quoniam Eusebius haec narrans ait, Constantinum rem totam iuramento confirmasse; quid vero iuramento Principis opus erat, si universus Exercitus Crucis signum conspexerat? Sed recte Gelasius Cyzicenus in Hist. Concilii Nicaeni lib. 1. cap. 4. *Haec narratio infidelibus fabula & commentum esse videtur, in gratiam doctrinae nostrae*. Ergo ne mentitur Eusebius scribens in Vita Constantini lib. 1. cap. 38. *Horis diei meridianis, Sole in occasum vergente, crucis trophaeum in coelo ex luce conflatum Soli superpositum ipsis oculis se vidisse affirmavit, cum huiusmodi inscriptione*, In hoc vinces? Mentitur Sozomenus lib. 4. cap. 5. *Crucis Signum in coelo apparuit splendide refulgens, stadia circiter quindecim* (fulgore) *complectens*? Mentitur Philostorgius lib. 1. *Crucis signum visum est longissime protensum, luce quadam admirabili eam depingente?* Mentitur Constantinus ipse, qui sermonem sacramenti religione firmavit, ut nullus postea fidem narrationi detraheret? At hi quidem non mentiuntur; mentiuntur heterodoxi, quorum cavillulis sancte iuro me nunquam ineptas magis, magisque lusorias audivisse, adeo ut me pudeat in iis diluendis vel temporis momentum insumere. Vnum est tantum quod levem dubitationem ingerit, vigilans ne, an dormiens Crucem viderit Constantinus; ac plerisque videtur dormienti coeleste Signum oblatum, tum quia Rufinus in versione Eusebianae Historiae lib. 9. cap. 9. ait. *Constantinus vidit per soporem ad Orientis partem in coelo signum Crucis igneo fulgore rutilare*: tum etiam quia Lactantius, seu Lucius Caecilius de Mortibus Persecutorum cap. 44. ubi huiusmodi visionis meminit, *Commonitus est* (inquit) *in quiete Constantinus, ut coeleste signum Dei notaret in scutis, atque ita proelium committeret*. Etsi vero nonnulli viri doctissimi difficultatem hanc ita solvunt, ut duas statuant Cru-

cis

eis apparitiones, unam factam Constantino in Galliis antequam Alpes transgrederetur, alteram non procul ab urbe Roma; attamen evanescit obiectio, si legatur Eusebius sequenti cap. 29. ubi ait: *Interim Constantinus, ut ipse aiebat, addubitare animo coepit, quidnam hoc spectrum sibi vellet? Cogitanti ipsi, & diu multumque apud se reputanti nox tandem supervenit. Tunc vero Christus dormienti apparuit cum signo illo, quod in coelo ostensum fuerat, praecepitque ut militari signo ad similitudinem eius, quod in coelo viderat, fabricato, eo tanquam salutari praesidio in proeliis uteretur.* Igitur duplex distinguenda est visio, Crucis rutilantis facta post meridiem Constantino vigilanti, atque iis etiam, qui eum comitabantur, conspecta; & visio Christi idem Crucis signum gestantis, formamque praescribentis militaris vexilli, facta eidem Constantino nocte proxima dormienti: qua utique distinctione difficultas praemissa penitus evanescit. Apparuit vero Crux Constantino pridie, quam periret Maxentius, occisus VI. Kal. Novembris anno CCCXII. Nec difficile est refutare Scaligerum, qui in Prolegomenis ad Opus Emendationis Temporum contendit id contigisse anno 313. Nam 1. liquet ex Fastis Idatianis devictum, occisumque Maxentium ad pontem Milvium *Constantino Aug. II. & Licinio Aug. II. Coss.* quorum Consulatus incidit in annum Ch. 312. deinde ostendimus Maxentium creatum fuisse Augustum anno 306. die 27. Octobris atque post sexennium, ut aiunt Lactantius de Mortibus Persecutorum, & Nazarius in Panegyrico eadem die occubuisse, ideoque mortuus est die 27. Octobris, sive VI. 6. Kal. Novembris anno 312. Tandem Scaligeri error inde natus est, quod initia imperii Constantini ac Maxentii retulit in annum 307. cum tamen imperare coeperint praecedenti anno 306. ideoque Scaliger sicuti anno uno principium Imperii, ita anno uno obitum Maxentii postposuit.

IV. *De obitu Maxentii.*

IV. At quomodo Maxentius interiit? Istud quod 3. loco dicendum erat, iam accipite. Constantinus divinis monitis obtemperans, diluculo surgens, amicis omne arcanum exposuit, fabrisque auri & gemmarum convocatis, speciem militaris signi eis sermone depinxit, iussitque ut auro & lapillis similitudinem eius exprimerent. Erat autem eiusmodi: Hasta longior auro contecta transversam habebat antennam ad instar crucis. In hastae summitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta. In hac salutaris Signum appellationis, idest, Nomen Christi primis duobus apicibus designatum, ac primae litterae decussatae altera ad hunc modum inserta ☧. Pendebat ex hasta transversa velum purpureum pretiosis lapillis ornatum, habens longitudinem latitudini aequalem, aureamque Imperatoris & liberorum eius imaginem praeferebat, sub ipsum Crucis signum, quod in superiori parte eminebat, in velo purpura auroque intexto fulgentem. Haec Eusebius lib. 1. vitae Constantini cap. 31. Vidistis modo vexillum illud

illud celeberrimum, quod *Labarum* Historici appellant, & de quo Prudentius lib. I. adversus Symmacum,

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum: Clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita Cristis.

Videtur innuere Prudentius, quod & Lucius Caecilius affirmat, in Militum scutis idem, quod in Labaro, Christi monogramma iussu Imperatoris insculptum. Talibus auspiciis, talibus signis praeeuntibus, pugnatum est: ac Maxentius, qui pontem ex scaphis contabulatum, ita construxerat, ut partes ferreis fibulis simul iunctae facile revelli possent, quo exercitus Constantini iuncturis insistens in Tiberim delaberetur; Maxentius, inquam, pontem transgressus, atque equitatu, quem Constantinus immisit, fractus ac terga vertens, e ponte militum suorum multitudine ad urbem contendente fibulis revulsis disrupto, una cum equo in flumen delapsus est: eumque frustra conantem per abrupta ripae ulterioris evadere, Tibris correptum gurgite devoravit. Reperto deinde cadavere, abscissum caput, infixum hastae, delatum in urbem: in quam die 29. Octobris Constantinus ingressus est Romano Senatu, Populo, Civibus, uxoribus, liberis, effusissima gratulatione Principem, suumque Liberatorem excipientibus. In huius Triumphi memoriam ad radices Montis Palatini ex Senatusconsultu arcus triumphalis erectus est, in cuius fronte haec leguntur:

IMP· CAES· FL. CONSTANTINO · MAXIMO · P· F· AVGVSTO · S· P· Q. R· QVOD · INSTINCTV · DIVINITATIS · MENTIS · MAGNITVDINE CVM · EXERCITV · SVO · TAM · DE · TYRANNO · QVAM DE · OMNI · EIVS · FACTIONE · VNO · TEMPORE · IVSTIS · REMPVBLICAM . VLTVS - EST · ARMIS ARCVM . TRIVMPHIS - INSIGNEM · DICAVIT .

Num Constantinus superstitioni addictus, & lepra fuerit infectus.

CAPVT IV. I. SPECTAVIMVS Exercitatione transacta Flavium Constantinum Imperatorem Augustum bellum cum Maxentio gerentem: spectavimus Labaro, clypeisque militum Christi Nomen insculptum, exaltatum Crucis trophaeum, Tyrannum demersum Tiberini fluminis gurgite, liberatam Romam, incolumem Rempublicam, triumphalem Arcum erectum, restitutam Ecclesiae pacem. Ab eo au-

autem tempore quanta Christianis benefacta munificentissimus, piissimusque Imperator contulerit, testantur universi Ecclesiasticae Historiae scriptores, illius virtutes, laudesque hac de causa accuratis narrationibus exornantes. Vnum tamen ei crimen, quod praecedentia merita obscurat, ei impingunt qui Romae baptizatum contendunt; quod nempe elephantiasis morbo laborans, Haruspices, & idolorum sacerdotes adierit, eisque suadentibus corporis maculas sanguine puerorum abstergere cogitaverit; sed in somniis a Principibus Apostolorum admonitus, & a Silvestro Romano Pontifice baptizatus, a lepra simul & ab impietate mundatus fuerit. Quae, ut suo loco stet veritas, constitui revocare ad examen; ac primum, quid post devictum Maxentium gesserit Constantinus, & an in Gentilium superstitionem fuerit prolapsus, certis monimentis investigare, inferius quaestionem illam pertractaturus, an lepra fuerit revera contaminatus.

II. *Prima dissertationis pars.*

II. Dixi autem instituendam a me orationem de iis, quae Constantinus gessit post devictum Maxentium; enimvero fuisse illum aliquando idolorum cultui addictum, fateor lubenter, ultroque. Quis enim ignorat excitata anno Domini 303. saevissima in Christianos persecutione, dum gereret Diocletianus cum Maximiano Herculio octavum Consulatum, atque illius Vicennalia celebrarentur, Romula Maximiani matre Deorum cultrice, & Hierocle Nicomediensi Philosopho ac praeside, persecutioni facem administrantibus, ipsum Constantinum in Diocletiani castris militantem, eiusdemque Caesaris lateri adhaerentem, ingressum Deorum delubra, adstitisse victimarum immolationi, probasse Ethnicorum ritus, atque in necem Christianorum una cum principe conspirasse? Aut quis neget in Panegyri anno 310. Constantino recitata, commendari ab Oratore donaria, quibus Deorum fana honestavit, accessum ad Apollinis Templum, expetitas a profano Numine comitante victoria coronas? Id quidem fatemur; tametsi a Lactantio, seu Lucio Caecilio cap. 18. dicatur sanctissimus adolescens, insigni & decoro habitu corporis, militari industria, probis moribus, comitate singulari mitissimus, privatisque omnibus acceptissimus. Post Christi etiam notitiam acceptam, aliquo vitio (quod humanum est,) Constantinum laborasse non ibo inficias: non utique quod damnandum perfidiae putem cum Zosimo lib. 2. cap. 28. eo quod Licinium Thessalonicam ablegatum laqueo perimi iusserit, id enim hosti, foedifrago, & Christiani nominis adversario iniquissimo sceleslissimoque debitum arbitramur; sed quod ex Victore noverim ipsum laudis cupidum, nimis blandum, deditumque immodicis profusionibus; ob nimiam quoque credulitatem errori obnoxium, quod demonstrat filius eius Crispus ex Minervina genitus, quem Faustae calumniis impetitum frigidissimo veneno necavit, necnon beatissimus Athanasius, quem circumventus insidiis Arianorum expulit in exilium. Quamobrem commendo maxime Romanae Ecclesiae oecono-

miam, quae licet a Constantino innumeris beneficiis cumulata, eiusque nomini devotissima, non tamen illum in Sanctorum numero, ut faciunt Graeci, veneratur solemni cultu, & anniversaria celebritate.

III. *Res a Constantino praeclare gestae.*

III. Quum talis fuerit Constantini vita, ante annum 312. quo Signum Crucis ei ad pontem Milvium affulsit, non omnino expers superstitionis, postea vero Christo nomen dederit, & licet omnino innoxie, & inculpate non vixerit, Christianae tamen Religioni, ut mox dicam, studuerit maxime, non possumus iis assentiri, qui existimant anno 321. a Christi fide degenerasse, atque decrevisse Haruspices consulendos. Ac primum versantur mihi modo ante oculos, cognita ipsi Baronio, & ab eo celebrata, praeclarissima eiusdem Imperatoris facinora: donatae Melchiadi statim ac Romam ingressus est anno 312. aedes coniugis suae Faustae in Laterano, ubi proximo anno 313. Constantino III. & Licinio III. Coss. celebratam ab ipso Melchiade Synodum testatur lib. I. contra Parmen. S. Optatus Milevitanus: datae eodem anno 312. litterae ad Caecilianum Carthaginensem Episcopum, & ad Africae proconsulem Anulinum, sedulo praecipientes, ne sanctissima & Catholica Ecclesia perniciosis corruptelis, & procellis Schismatum turbaretur: Edictum anno proximo 313. Mediolani emanatum, firmatumque etiam a Licinio, qui tunc debellatus Nicomediae a Maximino, Constantinum imperii collegam agnoverat, quo edicto bona omnia Christianis reddita sunt, indultumque ut Religio nostra ubique custodiretur libere, minime fucate, & absque ulla molestia, aut perturbatione cuiusquam: promulgatae eodem anno, atque ex eadem urbe Mediolanensi immunitates Clericorum, & epistolae ad Anulinum, ut qui Clerici vocantur, omnino a publicis functionibus exempti Ecclesiae absque ulla inquietudine inserviant, neque a cultu summae Divinitati debito aliqua ratione abstrahantur. Occurrunt etiam memoriae meae, egregiae Constantini Sententiae, tum quam protulit, dum Episcopi Donatistarum ab eo peterent iudicium in Causa Caeciliani: *Petitis a me in saeculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem:* tum quam pronuntiavit iisdem Donatistis post Romanam Melchiadis Synodum ad eumdem Imperatorem appellantibus: *O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt:* de quibus plura dixi differens de Melchiade, & de causa Donatistarum. Haec itaque memoria repetens, quo iure, obsecro vos, adeo in pussimum, & erga nos beneficentissimum Constantinum iniurius ero, ut illum damnare audeam crimine superstitionis?

IV. *Secunda pars.*

IV. Me non latet, Caesarem Card. Baronium ad annum 321. num. 18. haec asserere. *In fine huius anni (o dolendum facinus!) minus plane dignum, atque adeo abhorrens a Christiano Imperatore rescriptum dedisse ad Maximum Praefectum urbis apparet, quo Haruspices consulendos esse decernit.* Exstat illud in Codice Theodos. lib. I. de Paganis, quod etiam Baronius exscribit. Fallitur Annal.

nal. Parens doctissimus, dum hanc legem datam putat in fine anni 321. *Coss. Crisp. Caes. II. & Constantino Caes.* 2. Nam ex legis subscriptione, *Dat.* XVI. *Kal. Ianuarias Sardicae. Accept.* VIII. *Idus Martias Crispo II. & Constantino II. Coss.* manifestum est, Edictum emanatum die 17. Decembris anno 320. & acceptum a Maximo praefecto Vrbis die 8. Martii anno 321. sed quum huiusmodi lapsus levissimus sit, gravior censendus est alter, quo Baronius in Constantini superstitionem invehitur. Etenim anno 319. *Coss. Constantino* V. *& Licinio*, Calendis Februarii iussit concremari Haruspicem, qui ad domum alienam accesserit, permittens tantummodo, *ut superstitioni suae servire cupientes, publice ritum proprium* peragerent. Cum enim superstitionem, quae Romanorum animos occupabat, momento evellere, & eradicare non posset, dedit prudentissimus princeps operam, ut saltim ex privatis domibus abiiceretur, in quibus turpius & flagitiosius exercebatur: eodemque anno 319. Idibus Maii hanc item legem vulgavit: *Haruspices & sacerdotes, & eos qui huic ritui solent administrare, ad privatam domum prohibemus accedere, vel sub praetextu amicitiae limen alterius ingredi, poena contra eos proposita, si contempserint legem. Qui vero id vobis existimatis conducere, adite aras publicas, atque delubra, atque consuetudinis vestrae celebrate solemnia*. Exstat utraque lex lib. 9. Cod. Theodos. tit. 16. de Maleficiis lib. 1. & 2. Iisdem vero legibus liquido apparet, Constantinum permisisse, non autem decrevisse, ut consulerentur Haruspices, & hos insuper arcendos pellendosque ex privatis domibus indixisse, statuto combustionis supplicio. At dicet fortasse aliquis: Constantinus has leges anno proximo abrogavit, praedicto ad Maximum Praefectum Vrbis Rescripto, ubi ait; *Si quid de palatio nostro aut ceteris operibus publicis devastatum fulgure esse constiterit, retento more veteris observantiae, quid portendat ab Haruspicibus requiratur, & diligentissime scriptura collecta ad nostram scientiam referatur: ceteris etiam usurpandae huius consuetudinis licentia tribuenda, dummodo sacrificiis domesticis abstineant, quae specialiter prohibita sunt*. Verum hac lege confirmantur potius praecedentes duae, ne Haruspices limen privatarum domorum audeant pertingere; eatenus vero iubentur Gentiles ad principem haruspicinae praesagia conscribere, & ad Augustum deferre, ne illorum obtentu, ut facere consueverant, vel publicam tranquillitatem turbarent, vel commoverent adversus principem Romanos milites, vel superstitionis suae extollerent utilitatem, optime noscens, neminem adeo improbum & audacem futurum fore, ut nuntiaret Caesari, quae illi minarentur exitium, eiusque laederent pietatem ac religionem. Immerito itaque piissimo Imperatori superstitionis, & violatae fidei probrum impingitur.

De Constantini lepra, & ficto medicamento.

CAPUT V. I. FALSO ac sinistro, ne dicam iniquo, praecipiti, & inconsulto iudicio, insimulatum Flavium Constantinum superstitionis, cultusque Haruspicinae, qua ex Ethnicis praeceptionibus in Sacrificiis Deorum capiuntur praesagia, demonstrat evincitque superior Exercitatio. Istiusmodi generis eam nos, licet communem & pervulgatam inter levem & credulum popellum, existimamus historiolam, qua fertur lepra infectus fuisse, sive, ut inquiunt, morbo Elephantiaco; a quo mundatus purgatusque fuerit suscepto baptismate. Num autem recte sentiam, ubi demonstravero quibus momentis innixa sit leprae huiusce fabella, quibus evertatur, quibus oppositum demonstretur, vosmetipsos, Lectores humanissimi, iudices appellabo.

II. *Quibus momentis suadeant aliqui, lepra Constantinum laborasse.*

II. Lepra itaque Constantinum fuisse commaculatum, expiatumque baptismate, primo demonstrare nituntur ex Synodo Romana, sub Silvestro anno 324. celebrata, in qua legitur: *Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro urbis Romae, & expiatus fuisset a lepra, per hoc beneficium, quod accepit a Domino I. C. per Silvestrum Episcopum coepit integre praedicare Dominum I. C. & confiteri eius beneficia*. Proferunt secundo loco Acta Silvestri, quae habentur in antiqua Collectione Cresconii, & in quibus narratur, *Constantinum Imperatorem adhuc patrita sectantem, persecutionem adversus Dei Ecclesiam concitasse, quam ut Silvester evitaret, una cum aliquibus suis petiit secreta montis Soractis; Constantinum vero interea fuisse a Deo ob admissa flagitia lepra percussum, accepisseque ab Haruspicibus responsum, eam sanguine infantium esse curandam*. Aliaque ibidem conscripta. Tertio proferunt Acta Liberii, a maioribus, ut inquit Baronius, non omnino neglecta, quae a Cresconio pariter in sua Collectione admodum vetusta fuerunt inserta, in quibus cap. 1. & 6. habetur expressum: *ex libro quodam Silvestri* (scilicet ex Actis nuperrime laudatis) *Constantinum a leprae morbo in Baptismo Crucis signaculo liberatum: indignatum vero esse Constantium eius filium longe post mortem patris, quod Liberius sparsisset in vulgus, Constantinum a Silvestro lepra mundatum olim sacro baptismate, ob eamque caussam gravia in eum comminatum fuisse*. Producunt quarto loco Hadriani I. Rom. Pontif. Epistolam ad Constantinum VI. matremque eius Irenem, quae habetur Act. 2. secundae Nicaenae Synodi anno 787. adversus Iconomachos celebratae: qua in epistola haec exstant verba: *Ex eo enim, quo Christi Dei nostri Ecclesiae, tempore quietis, & pacis apertae sunt fores, hactenusque depictae Ecclesiae imaginibus sunt ornatae, beato atque sanctissimo Papa Silvestro testan-*

testante. In ipsis enim exordiis Christianorum, cum ad fidem converteretur pius Imperator Constantinus, sic legitur: Transacta die, nocturno Regi facto silentio, somni tempus advenit, & ecce adsunt SS App. Petrus & Paulus, dicentes. Quoniam flagitiis tuis posuisti terminum, & effusionem innocentum sanguinis horruisti; missi sumus a Christo Iesu Domino dare tibi sanitatis recuperandae consilium. Quibus similia in Breviario continentur Romano pridie Kal. Ianuarias. Demum Baronius ad annum 324. ut his maiorem fidem conciliet, addit auctorem esse Plinium lib. 26. cap. 1. Elephantiacum morbum frequentiorem esse in Aegypto: eodem Reges ut plurimum laborarare: curari ex humano sanguine confecto balneo: solitum Deum eiusmodi morbo peccata ulcisci, ac potissimum superbientium Regum, ut sacra narrat historia; Constantiam quoque filiam Constantini eadem leprae tabe fuisse affectam, quemadmodum Acta ipsius, itemque Ioannis & Pauli a Terentiano scripta testantur. His omnibus assentiri videtur Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. 31. ubi sermonem instituens de rege Clodoveo sacris baptismi undis abluendo, *Procedit*, inquit, *novus Constantinus ad lavacrum, deleturus leprae veteris morbum.*

III. *Qua ratione praecedentia momenta evertantur.*

III. Etsi autem haec omnia primo adspectu gravia & inconcussa videntur, validioribus tamen munimentis franguntur atque enervantur. Producta principio est Synodus Romana celebrata eodem anno 324. praesente ipsomet Constantino, cui & nobiles viri gratulati dicuntur, quod nuper ad baptismum accedens mundatus esset a lepra. At quisnam, cui mica sit salis, Synodum illam commentitiam esse non videt? dicitur peracta III. Kal. Iunias *Constantino* III. *& Prisco Coss.* cum Episcopis Constantinum & Helenam subscripsisse, Episcopos fuisse numero 284. adfuisse & Calpurnium praefectum urbis, damnatum in illa Arium, Photinum, ac Sabellium, & nonnullos editos Canones: quae omnia exhibent nobis apertissimas notas suppositionis. Prior nota est quod Synodus celebrata dicitur *Constantino III. & Prisco*, qui nuspiam Consules reperiuntur; Constantinus enim fuit III. Consul cum Licinio anno 313. sedente Milziade: ex cuius Synodo Impostor hanc furatus est subscriptionem fraude tam aperta, ut ipse Baronius ac Binius fateantur esse mendosam, & pro *Constantino III. & Prisco Coss.* pro suo lubitu emendaverint *Crispo Caes. III. & Const. III. Coss.* anni 324. apposito charactere. Secunda Nota suppositionis est, quod huic Synodo interfuisse dicitur Imperator Constantinus, eique subscripsisse III. Kal. Iunias; quo nihil proferri potest futilius, siquidem Constantinus Imperator, Crispo III. & Constantino Caes. III. Coss. anno nempe 324. V. Nonas Iulias, pugnavit apud Adrianopolim cum Licinio, ex Fastis Idatianis, atque ex Lege I. de Veteranis, idest die 34. a III. Kal. Iun. quo Romae fingitur extitisse. Tertia suppositionis nota ea est, quod Imperator subscripsisse fertur, & *cum illo Mater Helena* An-

Augusta: quum nullum proferri possit exemplum, quo mulieres Synodorum acta signaverint. Quarta nota est, quod in tanto Episcoporum numero, nullius praeter Ecclesiae morem sedes innuitur, Graecisque Latina imponuntur nomina, ut vel lippis pateat fuisse ab ignoto quodam conficta. Quinta nota est, quod Synodo adfuerit Praefectus urbis Calpurnius, cum tamen ab Idibus Septembris anni 323. usque ad pridie Nonas Ianuarias fuerit urbis Praefectus Lucerius Verinus, ut constat ex authenticis Praefectorum Indiculis. Sexta suppositionis nota est damnatio Photini in hac Romana Synodo facta; siquidem Photini haeresis ignota fuit sub hoc nomine ante annum 340. Hisce itaque notis, aliisque pluribus, quae petuntur ex Canonum fictitiae huius Synodi absurditate, de qua prolixe Natalis Alex. diss. 22. in Hist. Eccl. 4. Saeculi, constat, Synodum, unde lepra Constantini demonstrari solet, esse male feriatum putidumque commentum. Nec pluris sunt aestimanda Silvestri Acta, quae in antiquis codicibus diversa ferri, & ea, quae sunt typis excusa, in pluribus corrigenda ipse Baronius fatetur; tametsi ab aetate Gelasii aliqua eiusdem Silvestri acta in Ecclesia legebantur, in quibus quid contineretur, ignoratur. Sed ea, quae ad probandam lepram & baptismum Constantini afferuntur, nullius esse auctoritatis ostenditur ex eo quod referant habitum sub Silvestro Concilium in urbe Roma, ubi interfuere Episcopi LXXV. Sacerdotes Iudaeorum CIX. exceptis XXI. qui ab Issachar Pontifice altercationis gratia fuerant destinati; disputatum autem de Religione Christianos inter & Iudaeos, ut ad frugem revocaretur Helena, quae una cum duobus nepotibus Constantino, & Constante Augustis, in Oriente degens a Iudaeis paene Iudaea effecta, Constantinum filium reprehenderat, quod Christianam religionem sectaretur; sed in celebri eo Conventu dum altercationibus adesset, Augustam mulierem resipuisse. At quae de hac disputatione Actis Silvestrinis inserta sunt, inter spuria ab ipso Baronio reiiciuntur: qui ad annum 315. quaeritur, haec a Zonara, Metaphraste, Glyca, Nicephoro, aliisque Graecis mendatissime scripta, in vulgus spargi, Actaque Silvestri ingenue fatetur esse corrupta. Et revera quis adeo delitus est, adeo credulus, ut putet anno Christi 315. Iudaeis fuisse summum Pontificem Issachar? Quis dixerit eodem anno, Constantino IV. & Licinio IV. Coss. Constantem & Constantinum nepotes Helenae Augustos, cum iste maior natu, Caesar nominatus sit Gallicano & Basso Coss. idest, anno 317. Quomodo uterque nepos in Oriente versabatur cum avia, si Constantinus ex Zosimo lib. 2. cap. 21. natus est in oppido Arelatensi anno 314. idest Rufo Volusiano & Ariano Coss. Constans vero ex Eusebio lib. 4. Vitae Constantini cap. 4. creatus est Caesar anno 30. paterni principatus, scilicet anno Christi 335. Actis autem Silvestri, & Synodo Romana anni 324. reiectis, cum omnes ex impuris hisce lacunis fabulam hauserint, nullus re-

restat, cui fidem adhibeamus: nec subscribendum Actis Liberii, quae eiusdem sunt generis; quippe certum est, Constantium infensum illi fuisse, non ob divulgatam Constantini lepram, sed quoniam Athanasio adhaerebat: nec Epistolis Hadriani, in quibus quid sit dogmatis, & quid sit facti secernimus: quumque recipiamus quod spectat ad cultum sacrarum Imaginum, reicimus quae narrat de baptismate, & lepra Constantini, maxime quod idem Hadrianus in Epist. ad Carolum Magnum meminit etiam Romanae Synodi an. 315. & altercationis Iudaeorum, quae ipsemet Baronius refellit: non Breviario Romano, in quod si nihil falsi ex apocryphis irrepsisset, non cogitassent de eius emendatione, aetate quoque nostra, Romani Pontifices: non adiectis a Baronio rationibus, quoniam Constantinus neque Aegyptius fuit, nec impius, neque, ut superiori ostendimus praelectione, apostatis, & superbientibus regibus comparandus: non demum Gregorio Turonensi, ceterisque iunioribus, qui unde biberint, impurum fontem deteximus.

IV. Haec cum ita sint, ad eos lubentissime accedimus, qui negant, Constantinum lepra ante baptismum fuisse infectum. Movet autem nos primum ratio haec invictissima, quod opposita assertio subdolis ac suppositiciis scriptis innixa sit. Accedit altera, quod eadem opinio supponit Constantinum ob crimen superstitionis tam foedo morbo percussum, piissimumque principem insimulat damnatae Haruspicum consultationis, id, quod est a veritate alienam, maximamque irrogat religioso principi contumeliam. Sequitur ratio tertia, quod eodem tempore, quo Romae lepra infectus dicitur, & a balneo sanguinis puerorum abhorrenti apparuisse feruntur Apostolorum Principes, sacrumque ei proposuisse lavacrum, invenimus Augustum Imperatorem incolumem, & bella cum Licinio in Thracia, & in Bithynia gerentem. Consequitur ratio quarta, petita ex silentio Zosimi, qui cum frequentissime Constantinum carpat, & invido dente dilaceret, eiusque tempora ob necem illatam Crispo Caesari, & Faustae, appellet Neroniana, nullibi tamen foedum illius morbum commemorat. Succurrit ratio quinta, propterea quod nullus veterum Historicorum, qui Christianae fidei miracula litteris consignarunt, meminit huius in tanto Imperatore patrati, unde Melchior Canus, quamvis lib. xi. de Loc. Th. defendat Constantinum baptizatum Romae a Silvestro, ait tamen, *Leprae Constantinianae testis gravis & probatus, ex veteribus nemo est*. Sexta etiam ratio est in promptu, siquidem post pacem a Constantino restitutam Ecclesiae, Romae, ipsomet praesente, saevisse persecutionem, ob quam sit lepra coopertus, repugnat saluberrimis eius legibus latis pro Christianorum securitate. Demum obiicienti Iuliano apud Cyrillum lib. 7. numquam lavacro baptismatis ademptam lepram, nec impetigines, nec verrucas infestas; ac multo minus eximi omnia peccata; num exprobrat Iuliano igno-

ran-

tantiam mirabilis eventus, quod eius avo contigerat! num tam illustri exemplo Cyrillus dirimit obiectum? Nequaquam: sed ad hunc modum respondet: *Qui ergo res tam eximias nullo labore perfecit, & aquis ipsis suae potestatis efficacitatem indidit, numquid plane gratiam, quae per Sanctum Baptisma tribuitur, omni morbo corporeo potentiorem effecerit? Sed in alios usus ipsum nobis datam esse contendimus*. Cum itaque haec pro Constantino firmissima sint, quae vero contra opponebantur, nullius plane roboris, fas mihi erit praelectioni finem imponere verbis Platinae: *Quod in lepram inciderit Constantinus, ut vulgo dicitur, baptismoque mundatus sit, conficta prius de sanguine infantium nescio qua fabula, nullo modo credo*. In Vita S. Marci Papae.

De Constantini Baptismo.

CAPUT VI. I. REIECTIS superiori Exercitatione Actis Silvestri suppositititiis, & fabula Elephantiaci morbi, quo piissimus Imperator Constantinus dicitur laborasse, refutata; consequitur eliminandam esse opinionem, quae apud nostrates penitus insedit & inveteravit, & quam iamdudum Viri doctissimi oppugnarunt, exueruntque recentiores eruditione formati aliqua, de Baptismo Romae a Constantino e manibus Silvestri suscepto. Subscribendum est enim Eusebio lib. 4. Vitae eius affirmanti baptizatum fuisse Nicomediae morti proximum. Sed quoniam contendit Baronius, Eusebium, Arianorum fautorem, temere mentitum esse; in ea quaestione immorandum est aliquantulum, ac primum ipsa Eusebii narratio expendenda, tum eiusdem narrationis veritas exploranda, deinde Veterum de ipsa iudicium inquirendum erit.

II. *Eusebii de Baptismate Constantini narratio.*

II. Observatum a viris doctis Papebrochio ad diem 21. Maii, Nat. Alexandro diss. 22. in Hist. E. 4. Saec. Pagio ad annum 324. num. 5. Norisio in appendice ad Historiam Donatistarum, Tillemontio annot. 65. in Constantinum, totam de huius baptismate controversiam pendere ex altera, num Actis Silvestri, quae narrant, fuisse ab eodem Pontifice sacro regenerationis lavacro expiatum in urbe Roma, an potius Eusebio, qui tinctum ait Nicomediae, aut in huius civitatis suburbanis propediem moriturum, praestanda sit fides. Quum enim nullus alius exstet scriptor Silvestro contemporaneus, omnesque, qui de hac re pertractarunt, Eusebio fuerint posteriores; manifestum est, vel ex huius historia, vel ex praelaudatis Silvestri actis deprompsisse, quae de baptismate Constantini litteris consignarunt. Silvestrina Acta iam expendimus, invenimusque innumeris scatere mendaciis, adeo ut, saltim quae exstant, spongia indigere fateatur ipse Baronius. Quare iisdem actis dimissis, aequum rectumque est, ut

ut ad Eusebii enarrationem aures animumque convertamus. Ait is praecit. lib. 4. cap. 61. & 62. Constantinum anno aetatis suae 64. adversa valetudine conflictatum, ad balnea civitatis suae fuisse progressum, inde vero delatum Helenopolim, diu in templo Martyrum commoratum, preces Deo obtulisse; cumque extremum diem sibi iam imminere sentiret, de suscipiendo baptismate deliberasse. *Haec cum apud se reputasset, genuflexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio: quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere.* Intelligimus ex hoc loco, Constantinum Helenopoli in classem Catechumenorum, qui *Competentes* vocabantur, sive, ut placet Henrico Valesio, inter *Audientes* fuisse solemni ritu cooptatum: Hac enim impositione manuum Gentiles olim receptos in numerum Christianorum, & quidem omissis, si mors immineret, aliis Catechumenorum ceremoniis, constat tum pluribus Ecclesiasticis monumentis, tum Canone 39. Illiberitano: *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manus imponi, & fieri Christianos.* Constantinus inter Catechumenos itaque adscitus, Helenopoli ad suburbana Nicomediae digressus, convocatos Episcopos, quos secum habebat rerum agendarum Conciliarios, ita est allocutus: *Iam tempus est, ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est ut salutaris signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Iordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum lavacrum suscepisse memoratur; sed Deus, qui optime novit ea, quae nobis utilia sunt, hoc in loco nobis id ipsum exhibere dignatur. Si Deus vitae mortisque arbiter hic me diutius vitam agere voluerit, idque semel decretum sit, ut in posterum una cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus, cum reliquis omnibus orationum particeps fiam, eas vivendi leges mihi praescripturum me esse spondeo, quae sint Deo dignae:* Haec cum dixisset (pergit Eusebius) illi, nempe adstantes Episcopi, solemni ritu divinas ceremonias peregerunt, iniunctisque ei quaecumque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem eum fecere. Postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contigere amplius voluit. Solus igitur ex omnibus, qui unquam fuerunt, Imperatoribus Constantinus in Christi Martyriis renatus & consummatus est, & divino donatus signaculo, exultavit spiritu, renovatusque est, & divina luce perfusus. Hactenus Eusebius.

III. At hic altius clamat Baronius, & inquit ad annum 324. num. 43. *Necessario affirmandum est, Eusebium esse mentitum*; quippe haec narratio Actis Silvestri, & Fonti sacro ad Constantinianam Basilicam, & vetustae traditioni repugnat; nec quemquam movere debet aucto-

III. *An Eusebius mendacii recte arguatur.*

auctoritas scriptoris, qui cum esset signifer Arianorum, & vitam Constantini fucato stilo conscriberet ad Constantium Constantini filium, & Arianorum patronum, splendido ac patenti mendacio affirmavit, piissimum Imperatorem baptizatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi, qui pariter Ariana labe pollutus erat. Verum ego mentitum esse Eusebium constanter nego. Ac primo frustra mendax dicitur, quod repugnet Actis Silvestri, quoniam haec potius Acta convincuntur undique scatere mendaciis: frustra mendax dicitur, quod Romae exstet adhuc Fons sacer, in quo Constantinus dicitur regeneratus; siquidem SS. Ecclesiae DD. Hieronymus & Ambrosius, qui Romae fuerunt, eumque Fontem, si tamen illorum aetate in Basilica Lateranensi videbatur, adspexerant, baptizatum Constantinum, non Romae, sed Nicomediae tradiderunt. Frustra mendax dicitur, quod fuerit Arianus, ei quippe, licet Ariano, fidem praestant, ut dictum est modo, Ecclesiae Lumina, eiusque, licet Ariani scriptoris, historiam recepit, & magnopere commendavit in Romana Synodo S. Gelasius. Deinde, nisi bardi sumus omnino, Eusebius in narrando Constantini baptismate, nec mentitus est, nec potuit mentiri, quin statim falsitatis revinceretur. Mentitum non esse inde liquet, quod non ait, ut quidam putant, Constantinum baptizatum ab Eusebio Nicomediensi Episcopo Ariano, sed ab iis Episcopis Catholicis, qui Imperatorem comitabantur; & quamquam Hieronymus ab ipso Nicomediensi Episcopo Imperatorem ablutum asserat, quod forte non est alienum a vero, cum id contigerit in suburbio civitatis, cuius praesulem Episcopus Arianus agebat; id tamen Eusebius Caesareensis non scripsit: baptizatumque Constantinum ab orthodoxo Pontifice, non ab Haereticorum aliquo, ex historia Eusebii coniiciunt Gelasius Cyzicenus, & Photius pag. 210. Bibliothecae. Iam vero si Eusebius in gratiam Arianorum fuisset mentitus, ab Episcopo Ariano regeneratum Caesarem Constantinum affirmavisset: quod utique Eusebius non affirmavit: immo cur, ut Arianis gratificaretur, id affirmaret, aut fingeret, causa erat nulla, nam Catholici, & Ariani eadem formula baptizabant, & Nicaena Synodus, cui uterque Eusebius interfuit, Canone 7. baptismum Arianorum probavit. Quare etsi voluisset Eusebius persuadere Constantio, parentem suum Constantinum adhaesisse Arianis, non id tamen persuasisset conficta historia illa, & fabella suscepti Nicomediae baptismatis. Demus autem Eusebium ad mentiendum fuisse pronum; si baptizatus Romae fuisset Princeps Augustissimus, neque idem Eusebius, neque alii Episcopi, qui frequentissime ad illum accesserant, neque Constantius id poterat ignorare. Qua ergo audacia Historicus Constantinum baptizatum scripsisset in suburbiis Nicomediae? qua fronte conflasset tam patens, tamque absurdum mendacium? quam fidem apud Imperatorem Constantium promeruisset? qua impudentia excogitatum a se commentum, tanquam rem celeberrimam in omnium aspectu gestam venditasset? qua facilitate quotquot hanc audi-

audivissent fabulam, ut delirantis hominis somnium, fraudemque impostoris, excepissent ludibrio, & apertissime refutassent? Abeant ergo qui Eusebium magni nominis scriptorem, Ecclesiasticae Historiae patrem tam solemniter mentitum existimant.

IV. *Eusebii narratio testimoniis veterum comprobata.*

IV. Abierunt sane in Eusebii sententiam (ne tertiam Praelectionis partem relinquamus indiscussam) praelaudati Ecclesiae Doctores eximii, Hieronymus & Ambrosius, quorum primus in Chronico ait: *Constantinus extremo vitae suae tempore, ab Eusebio Nicomediensi baptizatus.* Alter in Orat. habita in funere Theodosii, de Constantino habet: *Cui licet Baptismi gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit; tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem Fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* De his duobus, Hieronymum dico atque Ambrosium, ne quis reponat Eusebii fidem esse secutos, placeat audire Eminentissimum Norisium, qui citata Appendice ad Hist. Donatistarum, posteaquam demonstravit, tempore Ambrosii historiam Eusebii Latinis fuisse ignotam: *Hieronymus*, inquit, *Romae diu vixit sub Damaso, cui etiam ab Epistolis fuit; Romanus autem fuit Ambrosius, & eodem saeculo, quo Constantinus, hic natus est triennio ante, ille quinquennio post eiusdem Imperatoris obitum. Numquam ne viri doctissimi quidquam de celebri Constantini baptismo Romae inaudiere! Nihil in scriptorum libris, nihil in quibuslibet schedis, aut monumentis Ecclesiasticis de baptismo Romano invenere? Ita ne Romanus civis, atque inquilinus, tam incuriosi, ne caecos dicam, exstitere, ut baptisterium, quod ille ex porphiretico marmore, sicut traditur, extruxit, ne semel quidem viderint, nihilve de illo inaudiverint?* Haec Norisius. Praetermittimus brevitatis gratia testimonia illustrium Historicorum Theodoriti lib. 1. cap. 32. Evagrii lib. 2. cap. 41. Socratis lib. 1. cap. 39. Sozomeni lib. 2. cap. 34. qui omnes testantur, Constantinum baptismum suscepisse in suburbiis Nicomediae, morti proximum. Adderem locupletissimum testimonium Episcoporum Catholicorum, qui compulsi Edicto Constantii convenerunt ad Synodum Ariminensem, nisi temporum angustiae me ad pertractandum de hoc argumento proxima Exercitatione compellerent, finemque imponendum praesenti, in qua tria, quae expendenda susceperam, scilicet narratio Eusebii, illius veritas, veterumque consensio, satis superque demonstrata fuerunt.

Agitur adhuc de Baptiſmate Conſtantini.

CAPUT VII. I. NON Romae anno Chriſti 324. Silveſtri 11. Conſtantini 19. ſed Nicomediae anno Chriſti 337. Iulii primo, Conſtantini poſtremo, eumdem Imperatorem ſacris undis ablutum, & regeneratum fuiſſe, nobis ſuperiori Capite Euſebius Caeſarienſis, Ambroſius, & Hieronymus egregii Eccleſiae Doctores, ac praeſtantiſſimi Hiſtorici Socrates, Sozomenus, Theodoritus, & Evagrius certiſſima enarratione affirmarunt. Negat tamen adhuc adhibendam his fidem Cl. Annalium Parens Caeſar Baronius, adhaerentque illi Scriptores quamplurimi, qui ex eius uberrimis ampliſſimiſque fluentis prata ſua irrigaverunt. Nos vero unico adhuc argumento pro Euſebio pugnabimus; tum, quod aequum eſt, Eminentiſſimi Baronii momenta praecipua audiemus; his tandem, ſi erit quod reponamus, id ſtilo humili, abſque fuco, phaleriſque praeſtabimus.

II. *Producitur, & vindicatur argumentum ex Epiſtola Synodica PP. Ariminenſium.*

II. Argumentum, quod urgendum ſupereſt, ad demonſtrandum Conſtantino morti proximo collatum fuiſſe baptiſma, non eſt ignotum ac novum ſapientiſſimo Eccleſiaſticorum Annalium Auctori; ſed quoniam ab ipſo falſa eluditur reſponſione, recudendum eſt modo, ſimulque reſponſio evertenda. Petitur illud ex Synodica PP. Concilii Ariminenſis ad Imperatorem Conſtantium, in qua ita Epiſcopi Catholici alloquuntur Imperatorem: *Fuit nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, cum Imperator Conſtantinus, ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura, & diligentia conſcriptam promulgarit, tum demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem ſibi debitam translatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle.* His verbis apertiſſime PP. anno 359. teſtati ſunt, Conſtantinum poſt baptiſmum vita functum ad ſuperos emigraſſe, ideoque non fuiſſe baptizatum Romae decimo quarto ante obitum anno. Exſtat vero illa PP. Ariminenſium Epiſtola apud Athanaſium in libro de Synodis Arim. & Seleuc. apud Hilarium in Fragmentis, atque in Hiſtoria Eccleſiaſtica Socratis, Sozomeni, Theodoreti, & Caſſiodori. Darem, inquit Baronius, plane manus, niſi ex falſa Scriptorum editione nos manifeſtas pati calumnias ſentiremus, integraque nobis ex Lege Cornelia eſſet actio: Sanctus enim Athanaſius in Commentario illo, quem de Synodis ſcripſit, eamdem ipſam recitat Epiſcoporum Epiſtolam ad Conſtantium ſcriptam, atque loco Conſtantini *Conſtantem* habet. De Conſtante itaque paullo poſt ſuſceptum baptiſmum necato a Magnentio Tyranno, non de Conſtantino, Epiſcopi illi ſermonem inſtituerunt. Verum fallitur vir praeſtantiſſimus: quamquam enim Latinae Athanaſii Verſiones, quas vidit Baronius, Conſtantem habeant, non Conſtantinum; apertum eſt tamen, de Conſtanti-

no

no esse lequutos Ariminenses. Primo quia in omnibus Graecis Codd. tam editis, quam MS., quos diligenter contulit H. Valesius, tum apud S. Athanasium, tum apud memoratos historicos, Constantini nomen occurrit, & non Constantis. Secundo quia primigenius Synodicae textus, qui, ut S. Athanasius inquit, Latinus fuit, apud S. Hilarium in Fragmentis, non Constantem habet, sed Constantinum. Tertio quia etsi Constans a Magnentio uccisus fuit anno 350. ineunte Ianuario, & Martyr etiam appellatur ab Athanasio in sua Apologia, Ariminenses PP. non de trucidato Principe, sed de eius parente, qui Nicaenam Fidem promulgavit, atque a lustralibus undis placide transierat ad superos, apertissime verba faciunt. Postremo an de Constante eius fratre, an de patre ipsius Constantino Episcopi Ariminensis Concilii scripserint ad Constantium, eruitur ex aliis eiusdem Epistolae verbis: *Indecens enim & nefarium, aliquid ex recte & iuste decretis, & ex rebus Nicaeae publice cum illustrissimo Principe Constantino Patre tuo per accuratam deliberationem constitutis, immutare velle*. Stet ergo promissis, dedat manus, & Constantinum prope mortem baptizatum fateatur Purpuratus eximius.

III. Verum enim vero habet ille sua, quibus Eusebio adversatur, momenta. Tenent priorem locum quae promuntur ex Actis Silvestri, non corruptis illis & mutilis, quae circumferuntur, sed productis ab Hadriano in Epistola ad Augustos Principes Constantinum VI. & Irenem, necnon ex Actis Liberii, atque ex Romana Synodo, cui ipsemet Magnus Constantinus nuperrime mundatus a lepra interfuit. Sequitur Eusebianae narrationis refutatio: ei namque nullam debemus fidem, tum quia fuit Arianorum signifer & coriphaeus, tum quia seipso falsitatis convincitur: nam quomodo potuit Constantinus nondum plene Christianus, sed Catechumenus, sacris interesse mysteriis ipso sacratissimi Paschatis tempore, quod tamen Eusebius affirmat lib. 4. Vitae ipsius Constantini cap. 57. ubi ait: *Magna autem agebatur diei Paschae eo tempore celebritas; & Imperator cum ceteris pernoctans, vota precesque Deo persolvebat*. Pergit obiectare Baronius: Quo nam exemplo maiorum Constantinus persuasus ad decrepitam usque senectutem baptismum dilaturus erat, quem nonnisi urgente morte suscepit? Rursus, si in optatis erat in Iordane flumine baptizari; quando opportunius id facere potuisset, quam anno ante obitum, cum Ierosolymam, ut ipsemet testatur Eusebius lib. IV. cap. 43. ex omnibus Orientis partibus ab eo vocari ad Templi dedicationem Episcopi convenere; cum praesertim Tricennalia instarent Imperii, digna, quae huiusmodi solemnitate praecipue agerentur, cum & imminens in Persas profectio ad id eum impellere debuisset? Ulterius, Constantinus pluries collatis signis pugnaturus cum hostibus, & multarum culparum reus, nunquam praesentissimo amittendae aeternae salutis periculo sese obiecisset, sed

III. Proferuntur argumenta Baronii.

petiis-

petiisset sacri Fontis expiationem, alias pietate Constantio filio longe impar Constantinus fuisset; ille enim adversus Magnentium pugnaturus, noluit nisi antea baptizatus in hostem proficisci. Insuper si in Nicomediae suburbiis, nec ab alio, quam ab eiusdem civitatis Episcopo, ut colligitur assertione Eusebii, Constantinus baptismum suscepit; consequentia deducitur necessaria, in Arianorum perfidia baptizatum, vel potius rebaptizatum fuisse: cumque Graecorum Ecclesia eumdem Imperatorem sanctum, & Apostolis proximum praedicet; immo universalis Ecclesia eius nomen ex sacris dypticbis una cum aliis orthodoxis semper publice recitare consueverit, & nullus unquam repertus sit auctor, qui eum vita functum nota impietatis sugillet; necessario affirmandum est, Eusebium esse mentitum. Haec iisdem fere Baronii verbis, ne illorum vim infringere videremur, produximus.

IV. *Solvuntur praecedentia argumenta.*

IV. In quorum solutione nihil prorsus de Actis Silvestri & Liberii, de Romana eiusdem Silvestri Synodo, & de Epistola Hadriani I., de quibus plura superius diximus, ducimus nunc repetendum. De narratione etiam Eusebii, quoniam hanc praemissa Exercitatione vindicavimus, nil addam modo. Miramur dumtaxat, Eusebium antilogiae a Baronio redargui, quod scripserit lib. 4. cap. 57. Constantinum in Ecclesia in Paschatis festo, nondum baptismo initiatum sacris interfuisse mysteriis; verba enim Eusebii haec sunt: *Imperator cum ceteris pernoctans vota precesque Deo persolvebat*. Nihil istic de sacris mysteriis, nihil de Ecclesia; immo, scribente Eusebio cap. 62. Constantinum postulasse baptismum, *ut cum populi Dei grege preces in Ecclesia coniungeret*, atque asserente, post baptismum *factum fuisse sacrorum mysteriorum participem*, satis commonstrat, antea nec sacris participasse mysteriis, neque cum fidelium coetu preces fudisse in Ecclesia. Itaque sibi ubique constat Eusebius. Sed, inquit Baronius, quo exemplo distulit Constantinus baptismum ad mortem usque? At respondeat Baronius ipse, quo exemplo si in Christum crediderat ab anno 312. baptismum distulit ad annum 324.? quo exemplo Constans, qui pietate ac religione parentem suum dicitur superasse, baptizatus est anno aetatis suae 29. imperii 13. Christi 349.? quo exemplo Constantius baptismum suscepit morti proximus, Tauro & Florentio Coss., idest anno Christi 361. & 24. a morte patris? quo tandem exemplo ipsemet Constantinus filios suos infantes sacris undis regenerari nequaquam curavit, neque morti proximus id exegit? Quod si exempla quaeramus posterioris aetatis, inveniemus Valentem Imperatorem baptizatum anno 3. Imperii sui; Valentinianum II. post annum imperii sui 16. cum voto Baptismi ex hac vita migrasse ab Eugenio tyranno interfectum: Theodosium Thessalonicae morti proximum ab Acholio Episcopo sacrum suscepisse lavacrum; ut mittam exempla

Ne-

Nectarii, Ambrosii, Augustini, aliorumque, qui diu distulere baptismum, ob causas, quas attulimus in Theologicis Dissertationibus, neque vacat modo repetere. Sed cur, inquit Baronius, Constantinus baptizatus non est in Iordane, cum anno 335. Ierosolymam Episcopos ad Templi dedicationem convocavit? Respondeat Natal. Alex. dissert. 22. Hist. Eccl. 4. Sec. ad ob. 5. *Non quaerimus quid potuerit, sed quid fecerit*. Commode, libere, & expedite: ego autem animadvertens Templi Encaenia celebrata fuisse die 13. Septembris, ut colligitur ex Nicephoro lib. VIII. cap. 50. necnon ex Menologiis Graecorum, in Iordane autem solemni ritu solitum baptisma administrari in festo Epiphaniorum, quando traditur Christus baptizatus a Ioanne, dico Constantinum suscepturum fuisse in Iordane baptismum, si Ierosolymis permansisset usque ad Epiphaniam proximi anni 336. quod facere non potuit, ob nuptias filii sui Constantii, & legationem Indorum, aliaque Imperii negotia Constantinopolim revocatus. Ergo, Baronius ait, Constantinus iniit bella cum tam aperto salutis discrimine? Solvat, necessum est, Baronius ipse argumentationem hanc suam; nam ab anno 312. usque ad annum 324. quo Romae Constantinum baptizatum contendit, pugnavit contra Francos, eorumque Reges feris obiecit: pugnavit contra Gothos, & Sarmatas, eosque devicit; pugnavit cum Licinio, illumque Illyrici provinciis multavit, ac semper praesens, semper in prima acie, semper per hostium copias sibi suisque victoriae aditum comparavit. Arianus fuit igitur, & ab Ariano Episcopo baptizatus? Neque id concedendum Baronio, tametsi Hieronymus in Chronico ait: *Constantinus extremo vitae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinat*: ideoque fallitur Baronius scribens, *Nullus unquam repertus est auctor, qui eum vita functum nota impietatis sugillet*. De morte tamen Constantini dicemus postea: nunc enim sat est, si respondeamus, Constantinum baptizatum fuisse ab Episcopo orthodoxo, ut sentiunt Gelasius Cyzicenus & Photius, non ab Eusebio, ut unus scripsit Hieronymus: vel si ab Eusebio baptizatus fuit, hunc, qui Fidei Nicaenae subscripserat, Constantinus optimae fidei praesulem existimavit.

An Scriptores Gentiles baptismum Constantini subobscure descripserint.

CAPUT VIII.

I. CAESAREM S. R. E. Cardinalem Baronium adversus Eusebium Caesariensem pro Constantini baptismate Romae a Silvestri dextra suscepto, ratione & auctoritate pugnantem quarto iam certamine sustinuimus. Pedem tamen nondum refert hostis acerrimus, & quem Actis Silvestrinis ac Liberianis, aliisque Ecclesiasti-

sticis monumentis, necnon petitis a ratione argumentationibus non potuit mendacii atque imposturae revincere, nititur Gentilium Scriptorum obruere testimoniis. Spectate & hanc pugnam nece Crispi Caesaris truculentam.

II. *De nece Crispi Caesaris.* II. Eusebius (inquit ad annum 324. Baronius) in contexenda Vita Constantini imitatus Zenophontem, qui, ut de eo testatur Cicero, *Vitam Cyri non tam ad historiae fidem conscripsit, quam ad effigiem iusti Principis exhibendam*, nonnisi felicia Constantini, egregiaque dicta, facta, vel scripta prosequutus est: quum debuisset etiam illius flagitia narrare, necem praesertim Crispi, & Faustae, quam Aurelius Victor, Eutropius, Sidonius, Zosimus, Ammianus, Orosius, aliique litteris consignarunt, uno excepto Sozomeno, qui incredibili stupiditate lib. 1. cap. 5. negat occisum Crispum a Patre. Sed nequit id absque temeritate negari: *Nam* (ut Zosimi utamur verbis) *Constantinus Crispum filium suum, Caesaris ornatum titulo, quod in suspicionem venisset, quasi cum Fausta noverca consuesceret, nulla ratione iuris naturalis habita, veneno sustulit: cumque Constantini mater Helena tantam calamitatem aegro ferret animo, & intolerabilem ex caede Iuvenis dolorem perciperet, quasi consolans eam Constantinus, malum malo maiori sanavit. Nam cum Balineum accendi supra modum iussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit*. Hinc domum, vitamque Constantini momordisse videtur Consul Ablavius, tali clam Palatinis foribus appenso disticho:

Saturni aurea saecla quis requirat?
Sunt haec gemmea, sed Neroniana.

quia nempe Augustus eisdem ferme temporibus filium Crispum frigore veneni, & coniugem Faustam extinxerat calore balnei. Haec vero quid ad Romanum Constantini baptismum? Attendite. *Horum* (scelerum) *ipse* (Constantinus) *sibi conscius*, ait lib. 2. praecit. Zosimus, *& propterea contemptae Sacramentorum religionis, ad Flamines accedens, admissorum lustrationes poscebat. Illis respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam foeda piacula posset eluere, quidam Hispanus genere, cui nomen esset Aegyptius, Romam delatus, Palatinisque mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinae Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit, & id ipsum adeo polliceri; nimirum acceptantes etiam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem cum non gravate Constantinus accepisset, ac patrita missa faceret, perceptis his, quae hic Aegyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet. Nam quod ei multae res prosperae per hanc praedictae fuissent, eventumque reipsa for-*

fortitae ; verebatur ne itidem aliis adversus ipsum hanc consetentibus , id quod futurum esset praediceretur ; atque hoc consilio impulsus ad huiusmodi abolenda se convertit . Huc usque Zosimus : eademque e Sopatro philosopho lib. 1. cap. 5. narrat Sozomenus, qui tamen filium a Constantino necatum audet praefracte negare . Ex his vero quis non videt Constantinum post Crispi necem , Hispano homine ipsum hortante , scilicet , Hosio, quem Zosimus *Aegyptium* , idest *Magum* appellat, propterea quod Ethnici religionem Christianam execrabantur tanquam exitiosam superstitionem , primitus detestatum fuisse divinationem Augurum , tum amplexum Christianorum doctrinam, & sacro initiatum baptismate , quo nos credimus omnia peccata deleri ? Atque istud est doctissimi Cardinalis Baronii depromptum ex scriptis Gentilium pulcherrimum ingeniosissimumque argumentum.

III. *Agitur de Zosimi narratione, & solvitur praecedens argumentum.*

III. Diluetur tamen facillime , immo & sponte sua corruet , ubi nonnulla de morte Crispi , de narratione Zosimi , & Sopatri praemisero, eiusdemque mortis tempus definiero . Ac primo occisum Crispum a Patre ultro concedam , tametsi Evagrius lib. 3. H. E. necem Crispi & Faustae recenseat inter probra & calumnias , quas Zosimus in Constantinum evomuit, & Photius, aliique scriptores illum vocent : *Piorum principum calumniatorem :* neque constet de causa mortis , scribente utique Zosimo occisum ob suspicionem consuetudinis cum noverca, sed asserente Aurelio Victore, incertum qua causa perierit. Attamen occisum asserentibus praeter Zosimum, ipso Victore, Sidonio, Marcellino, necnon Eusebio in Chronico, & Hieronymo in Catalogo Script. Eccl. num. 91. illatam principi necem, & quidem , ut Sidonius testatur, veneno, facile libenterque concedo. Immo, contra quam sentiat Baronius ,, puto Sozomenum nequaquam de occisione Crispi dubitare , sed tantum de Zosimi, & Sopatri narratione ; quod quisque ex lectione ipsius Sozomeni lib. 1. cap. 5. potest cognoscere . Profecto in Zosimi narratione multa occurrunt apertissime falsa . Falsum est Constantinum tunc coepisse suspectam habere divinationem , quando Fausta & Crispo necatis accepit a Flaminibus nullum esse sceleris sui modum expiandi ; nam ab anno 319. scilicet *Coss. Constantino V. & Licinio Caesare* , latae fuerunt in Aruspices & Augures leges , quae etiam num exstant lib. 9. Cod. Theodos. tit. 16. de Maleficiis . Falsum est tum praebuisse aures homini Hispano vel Aegyptio , quisquis eo nomine designetur a Zosimo; quum ab anno 312. Baronio fatente, Christum agnoverit , ac deinceps in Christianos beneficentissimus fuerit , legesque plures pro iis promulgaverit: eodemque anno 321. idest Crispo II. & Constantino II. Caess. Coss. quo idem Baronius censet Constantinum Imperatorem rursus in deteriora prolapsum (quod refutavimus supra) emanavit optimi Principis L. IV. *de Episcopis & Ecclesiis* libro 16. praelaudati Codicis Iustiniani , in qua lege Religionem nostram appellat *Catholicam , sanctissimam , ac venerabilem* . Falsum est

est, Constantinum quaesiisse vel a Sopatro, vel a Flaminibus sceleris expiationem, cum Crispum occiderit anno imperii sui xx. & post Nicaenam Synodum, ut mox ostendam, ideoque iam Christi religione imbutus, & a superstitione alienus. Falsum denique est, Sopatrum philosophum eruditissimum, Platonicae sectae addictum, plurimumque ab Eurapio commendatum, dedisse Constantino responsum, nullam esse pro delicto suo expiationem, quippe ignorare non poterat, Herculem Alcmenae filium post caedem & liberorum, & Iphiti, quem amicum & hospitem inique interfecerat, Athenis Cereris sacris fuisse expiatum: quod non repugnat, ut Baronius putat, Platonis doctrinae, quum Plato in Giorgia & Phoedone doceat quaedam crimina inexpiabilia esse post mortem, sed non in hac vita. Ex quibus omnibus manifestum est, narrationem Zosimi de caede Crispi, & novercae, pluribus fabulis esse permixtam.

IV. *Ostenditur nullius roboris fore argumentationem Baronii, etiamsi Zosimi probaretur narratio.*

IV. Excipiamus demum Zosimi historiam, praestemus ei fidem, nullibi mentitum, nullibi calumniatum credamus; quo anno necatus est Crispus? Necatum diximus anno 326. atque id nunc demonstramus primo ex Fastis Idatii, ubi legitur: *Constantino Augusto VII. & Costantio Coss. His. Coss. occisus est Crispus, & edidit Vicennalia Constantinus Romae*. Secundo ex Chronico Hieronymi, in quo haec habentur, *Crispus filius Constantini, & Licinius Iunior Constantiae Constantini sororis & Licinii filius, crudelissime interficiuntur, anno imperii sui nono*, qui annus nonus incidit in annum 326. quoniam Crispus & Licinius creati fuerunt Caesares *Gallicano & Basso Coss.* id. anno 317. Kal. Martiis. Tertio ex Sozomeno, aliisque tradentibus occisum Crispum anno Imperii Constantini 20. qui annus ex parte cum anno 326. copulatur; ostendimus enim alibi Constantinum post obitum Constantii Chlori patris sui renunciatum fuisse Imperatorem anno 306. VIII. Kal. Augusti. Quarto ex Ammiano Marcellino, qui lib. 14. cap. 11. ait peremptum Constantini filium Crispum Paulae, Istriae oppidi, cum nempe pater versaretur Aquileiae; ubi exstitisse Constantinum verno tempore anni 326. manifestum est ex lege unica, *Si quis eam, cuius tutor*, data Aquileiae Constantino Augusto VII. & Constantio Caess. Coss. idest praedicto anno 326. pridie Nonas Aprilis. Quinto tandem ex ipsomet Zosimo, qui ait Crispum occisum, *postquam imperium ad unius Constantini potestatem transierat*. Scilicet, cum potiretur Monarchia, quae incipit ab anno extincti Licinii, & a Consulatu Paulini & Iuliani, nempe ab anno 325. Corruit ex dictis speciosissimum Baronii argumentum. Admissa enim gratis narratione Zosimi, quae tamen multis mendaciis referta est, quomodo is loquitur de baptismo, quem Constantinus anno 324. Romae susceperit a Silvestro ad expiandum crimen necis illatae Faustae & Crispo, si certum est, ex ipso quoque Zosimo, necem illam contigisse anno 326? Videtis, ne plura subiiciam, phaleratae illius, turgidaeque ratiocinationis absurditatem.

De

De Baptisterio Lateranensi, aliisque de baptismo Constantini sententiis.

CAPUT IX.

I. DE obitu Crispi Caesaris, quem Minervina Constantino Augusto pepererat, Pater autem veneno necavit anno Ch. 326. dum ipse Constantinus septimum una cum filio Constantio gereret Consulatum, dixi praecedenti Exercitatione complura, ut retunderem argumentationem Baronii, qui ex Zosimo eiusdem Crispi necem narrante, Constantinum Romae baptizatum anno Ch. 324. evincere adnitebatur. Nunc vero, ne amplissimae de baptismo Constantini dissertationi aliquid desit, tria addere constituimus; ac primo expendemus, an vulgaris sententia possit comprobari ex Baptisterio Lateranensi; deinde, an aliqua sit ratio, qua Eusebius valeat cum Baronio conciliari; postremo, an recte sentiant, qui simul uni atque alteri assentiuntur.

II. *De Baptisterio Basilicae Lateranensis.*

II. Qua magnificentia Imperator Constantinus Baptisterium, ad quod fertur fuisse regeneratus, ornari iusserit, litteris tradidit Anastasius Bibliothecarius his verbis: *Fontem sanctum, ubi baptizatus est Augustus Constantinus, ex lapide porphyretico, & ex omni parte coopertum intrinsecus & foris & desuper, & quantum aqua continet, ex argento purissimo, pensantem libras 3000. & octo. In medio fontis columna porphyretica, quae portat phialam ex auro purissimo pensantem libras 50. ubi ardent balsami librae ducentae, Myxum ex stupa amianthi. In labro fontis Agnum ex auro purissimo fundentem aquam, pensantem libras 30. Ad dexteram agni Salvatorem ex argento purissimo in pedibus quinque, pensantem libras 170. in leva agni beatum Ioannem Baptistam ex argento in pedibus quinque, tenentem titulum scriptum*, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, *pensantem libras centum. Cervos ex argento septem fundentes aquam, pensantes singulos libras octingentas. Thymiamaterium ex auro purissimo pensans libras decem, cum gemmis prasinis & hyacinthinis undique, numero gemmae quadraginta duae*. Haec est descriptio veteris Baptisterii Lateranensis, nunc & in urbe elegantissimi, licet Roma sexies direpta fuerit, idest anno 410. ab Alarico Gothorum rege, anno 455. a Genserico rege Vandalorum, anno 546. a Totila rege Ostrogothorum, anno 755. ab Aistulpho rege Langobardorum, anno 846. a Saracenis Africae, & anno 1527. ab Exercitu Caroli V. Ad illius Baptisterii structuram ornatumque intendens animum Theologus eloquentissimus Melchior Canus libro XI. de Loc. Theol. licet fabulam de Constantini lepra refellat, illum tamen Romae ba-

ptizatum existimans ait : *Quod si Baptisterium tam insigni structum apparatu , si rerum veterum publica commemoratio , non solum habitantium animis , sed lapidibus etiam insculpta , nullum nobis argumentum est , iam iamque non dico , quae vetustatis in urbe monimenta sunt , sed quae sunt in orbe maiorum traditione recepta , ire ea omnia inficias poterimus . At nisi prius fuisset baptismi fonte sublatus , qui credi potest , Constantino Episcopos aut culparum , aut quaerimoniarum libellos obtulisse , aut ut Synodo , & disputationibus interesset , permisisse ?* Verum etsi haec ornatissime dicta sunt , non tamen aliquid evincunt . De litibus enim Episcoporum iudicandi principibus baptismus facultatem non tribuit , neque hanc in Synodo Nicaena Constantinus sibimet arrogavit , & quidquid in caussis Ecclesiasticorum egit post annum 324. quo Romae baptizatum contendunt , praestitit & ante Donatistis & Catholicis pugnantibus , ab anno 313. Neque in Ecclesiis cum coetu fidelium sacris mysteriis interfuit; & si adstitit Nicaenis congressibus , & disputationibus Antistitum , haec in ipsa Imperatoris aula, non in templo peracta sunt ; quumque iis interessent etiam Gentiles philosophi , ut alibi diximus , iniquum fuisset illinc amovere piissimum Imperatorem doctrinae Christianorum cupidissimum , & cuius sumptibus sacri Antistites congregati erant & alebantur . Quantum vero ad Baptisterium attinet, ostendimus praelectione VI. ea, quae scribit Anastasius , ignorasse veteres omnes , & Ambrosium quoque & Hieronymum , qui licet Romae fuerint , omniaque Vrbis monumenta lustraverint , affirmarunt tamen Constantinum Nicomediae baptizatum , non Romae . Miramur quoque ea , quae de Baptisterio Lateranensi ab Anastasio narrantur , certissima credi a viro doctissimo Melchiore Cano , reiici vero narrationem emundationis a lepra ob Antiquorum silentium ; quum haec ratio de lepra & de baptismo aeque militet , sitque utrumque derivatum ex spuriis & supposititiis Actis Silvestri . His tamen derogatum nolumus Constantini munificentiae , quam in Ecclesias regiam ac profusissimam novimus : templaque , aedesque sacras , ornatusque splendidissimos non denegemus ; baptismum Romae susceptum utique denegamus .

III. *Expenditur Francisci Blanchinii sententia .*

III. Sed agite , Lectores humanissimi, Franciscus Blanchinius vir doctissimus , & de Historia Ecclesiastica optime meritus viam conciliandi pervulgatam opinionem de Constantino Romae sacris undis abluto cum Eusebio Caesariensi , qui tradidit baptizatum Nicomediae , ingeniosissime excogitavit , affirmans Romae ablutum baptismate , Nicomediae confirmatum : idque significare Eusebium affirmantem , Constantinum recepisse paullo ante obitum impositionem manuum Episcoporum , sacrumque signaculum , quibus verbis designatur Sacramentum Confirmationis . Verum Blanchinium , quem ob selectam eruditionem , illustratamque Pontificiam & Consularem Chrono-

no-

nologiam plurimi facio, hac in re allucinatum existimo. Primum quia Eusebius non ait, Constantinum Helenopoli ingravescente infirmitate recepisse manuum Episcopalium impositionem, sed *primam manuum impositionem, cum precatione solemni*; quibus verbis aperte significatur, tunc adscitum fuisse inter Catechumenos Competentes. Deinde narrat, Constantinum ad Nicomediae suburbana digressum allocutum Episcopos, eisque significasse, sibi olim fuisse in votis signaculum, quod immortalitatem confert, in Iordane suscipere, ubi illud Salvator ipse ad nostrum exemplum suscepisse memoratur; In Iordane autem baptizatum Dominum aquae elemento contulisse sanctificandi virtutem nemo prorsus ignorat. Praeterea commemorat Eusebius Imperatoris promissa praescribendi sibi vivendi leges Deo dignas, si in posterum in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fieret: quo autem sacramento in Ecclesiam, & in communionem Sanctorum adsciscimur, nisi sacramento baptismatis? Rursus ait Eusebius susceptum a Constantino signaculum, *quod confert immortalitatem*, atque ita fuisse renatum & renovatum, factum sacrorum mysteriorum participem: signaculum vero, quo renascimur, quo renovamur, quo reddimur mysteriorum participes, est procul dubio sacrosanctum Baptismi lavacrum. Insuper affirmante Eusebio, simul Constantinum fuisse in Christi martyriis renatum & consummatum, haud obscure significat una suscepisse utrumque signaculum, Baptismi & Confirmationis, quae adultis eodem tempore conferuntur; immo semper Ecclesia Graeca tam adultos, quam parvulos, statim post sacram ablutionem confirmavit: ideoque Constantinus, si Nicomediae consummatus fuit per sacramentum Confirmationis, ibidem & regeneratus fuit per sacramentum Baptismi. Demum Eusebius narrat, Constantinum tunc candidis vestibus fuisse indutum, candidissimo in lecto recubuisse nec exinde ausum contingere purpuram: quod etiam commonstrat vestimenta Neophytorum. Fallitur itaque, me quidem iudice, Blanchinius; atque asserendum est, Constantinum fuisse expiatum sacris undis Nicomediae, vel deserendus est Eusebius: hoc negat vir praestantissimus: Nicomediae ergo Constantinum renatum baptismate fateatur oportet.

IV. Sunt alii, qui cum vulgari sententia Eusebium conciliare studuerunt, sed modo longe, quam sit excogitatus a Blanchinio, absurdiori. Berengosus Abbas, qui floruit ineunte saeculo XII. in lib. de Invent. S. Crucis cap. 7. inquit, Silvestrum & Eusebium unum eumdemque fuisse hominem binomium, Silvestrum appellatum a Latinis, & Eusebium a Graecis: atque ita simul veritatem narrare qui asserunt, Constantinum baptizatum a Silvestro, & qui baptizatum affirmant ab Eusebio. Opinio supra quam dici possit absurda: nam Eusebium electum Romanum Pontificem anno 309. con-

IV. *Aliae sententiae refutantur.*

fun-

fundit cum Silvestro, qui electus est anno 314. praeterquamquod affirmantes Constantinum baptizatum ab Eusebio, in qua sententia est Hieronymus, non tradunt baptizatum Romae, sed Nicomediae, non ab Eusebio Romano Pontifice, sed ab Eusebio Nicomediensis civitatis Episcopo, vel ab uno ex iis Orthodoxis, quos Constantinus secum tanquam consiliarios & familiares habebat. Anselmus Havelburgensis, qui floruit eodem saeculo XII. lib. 3. Dialogorum ait & Romae a Silvestro, & Nicomediae ab Eusebio Ariano suscepisse baptismum: quae sententia ceteris deterior est, tum quia Eusebius Caesariensis ita baptismum Constantini describit, ut aperte significet antea non fuisse in Ecclesiam adscitum & participem sacrorum mysteriorum; tum quia haec sententia supponit Constantinum obiisse in impietate Ariana, & Arianos eo tempore rebaptizasse: quae falsa esse demonstrabimus postea, de Constantini morte pertractantes. Interim constat, nulla ratione posse Eusebium cum Actis Silvestrinis conciliari, operamque perdidisse Anselmum hunc, Berengosium, Blanchinium, & si qui sunt alii, qui id irrito conatu attentaverint.

Appendix.

QVamquam sententia de baptismate Constantini, ut paullo supra proposita, & confirmata est, firmissimis munimentis videatur innixa, recepta maxime Eusebii Caesariensis narratione; neque virum hunc sollertissimum in gratiam Arianorum fuisse mentitum, vel loquutum duntaxat de signaculo Spiritus Sancti per sacramentum Confirmationis collato, quemadmodum arbitratus est Cl. Blanchinius, certa insit mihi persuasio; vulgaris tamen traditio, quae eumdem augustissimum piissimumque Principem salutari lavacro Romae a B. Silvestro regeneratum affirmat, aliis haud spernendis fulcitur momentis, ut nequeat invicte evidenterque refelli. Sunt quidem superius producta de praelaudati Silvestri Actis, & de Romana Synodo, meo quoque iudicio, fluxae, dubiaeque fidei, & quae proferunt aut de lepra sacris undis aspersa, aut de fide Eusebio abroganda, aut de aliquorum scriptis Constantini post devictum Maxentium superstitionem, lapsumque narrantibus, talem non praeferunt veritatis splendorem, ut his valeat opinio pervulgata muniri: sed habet ista aliud, quod haud facile concutitur, nec evertitur, fundamentum, perpetuam scilicet, & inconcussam omnium temporum traditionem.

Hanc in Romana Ecclesia semper viguisse commonstrant vetusta Pontificalis Romani, seu Vitae Romanorum Pontificum exemplaria: quae vel edita dicantur a Damaso, vel a Liberio, vel a Scriniis Ro-

Romanae & Apostolicae Ecclesiae a quovis auctore, etiam anonymo, eruta, nequeunt falsitatis revinci, nisi manifestissima appareant suppositionis vestigia. In Decreto item Gelasii, sive Romanae Synodi anno 590. de recipiendis reiciendisque Scripturis, relato apud Gratianum Can. *Sancta Romana*, distinct. 16. 3. habetur „ Actus Silvestri Apostolicae Sedis Praesulis, licet eius, qui conscripsit, nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma legi; & pro antiquo usu multas hoc imitari Ecclesias „. Quibus edocemur eosdem Actus, licet decursu temporis aliquantisper vitiatos, longo intervallo, & sexti labentis saeculi etatem superare. Habemus eiusdem traditionis testem locupletissimum Adrianum Pontificem in Epistola ad Constantinum & Irenem AA. Seculo octavo conscripta, cuius supra meminimus. Addimus Nicolai I. epistolam 8. ad Michaelem Imp., Leonis IX. adversus praesumptiones Michaelis, & Leonis Acridani Episcoporum cap. 10. Innocentii III. Sermonem I. de Sancto Silvestro, Nicolai itidem III. cap. *Fundamenta militantis*, de Elect. & Electi potestate in Sexto Decretal. num. 17. Gregorii demum XI. priorem Constitutionem. Atque hos, ceterosque Romanos Pontifices deceptos fuisse populari credulitate, eamque sequtos in gravissimis adversus Graecos epistolis, & in Apostolicis Constitutionibus, non videtur temere pronuntiandum. Postremo huius traditionis fulcimentum est Breviarii, & Martyrologii Romani auctoritas: Etsi enim viri eruditissimi censeant utrumque emendatione indigere, & de corrigendo Breviario etiamnum sub Benedicto XIV. pertractatum fuerit; donec tamen historia baptismi Constantini sit inde expuncta, maius testimonium habere dicenda est, quam quaelibet privati scriptoris elucubratio.

Iam vero si Latinos omnes Scriptores eamdem probantes historiam vellem referre, multus forem, ac propemodum infinitus. Seligam celebriores. Exstat inter Epistolas S. Hieronymi vet. edit. tom. 9. num. 35. Epistola ad Eustochium, in qua legitur, Constantinum baptizatum fuisse a Silvestro. Spuria est illa quidem, & Hieronymo afficta. Vetustissima est tamen, ideoque perhibet testimonium traditionis antiquae. De qua traditione nullatenus haesitarunt S. Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. 31. Venerabilis Beda de sex Mundi Aetatibus, & in serm. de Inventione S. Crucis, Hincmarus in Vita S. Remigii; Ado Viennensis, Marianus Scotus, Otto Frisingensis, Gotfridus Viterbiensis, Martinus Polonus, aliique illustriores Chronicorum Auctores. Accessere Doctor Angelicus 3. p. q. 69. art. 8. Nicolaus Lyranus in cap. 7. Apocalypsis, Platina quoque in conscribendis Romanorum Pontificum rebus gestis usus liberiori stilo, criticesque delectu; necnon (cunctos enim commemorare necessum non est) libro 3. de Occident. Imperio Sigonius. Ex quibus constat de traditione Romanae Ecclesiae, Latinorumque Scriptorum complurium consensu,

con-

Conspirarunt in eamdem sententiam Graecorum sapientissimi : quorum agmen ducit Malala Antiochenus, qui floruit sub Iustiniano, idest, sexto Christiani nominis Saeculo. Is non tantum ait initio libri 13. Chronographiae, Constantinum cum matre sua Helena baptizatum fuisse a Silvestro Episcopo Romano, sed laudat etiam vetustiorem Chronographum, cui nomen Nestorianus, idem asserentem; ut hinc facillime percipiatur, sententiam, de qua loquimur, etiam apud Graecos a Constantini temporibus invaluisse. De hoc autem Malala vide praecitatum Blanchinium in Notis ad Anastasium Tom. 2. pag. 293. Abierunt idcirco in eamdem sententiam Theophanes in Chronographia. Ioannes Zonaras in *Constantino*, Georgius Cedrenus ibidem. Michael Glycas Part. 4. Annalium, Nicephorus Callistus lib. 7. Histor. Eccl. cap. 35. atque Menologium ipsum Graecorum Kalendis Ianuariis.

Potest itaque tanta Auctorum multitudine propugnari sententia vulgaris, quae tenet, Magnum Constantinum fuisse Romae sacro tinctum, ac renatum baptismate. In hac vero sententia, oppugnantibus Acta Silvestri responderi commode potest, aut periisse temporum iniuria Acta illa sinceriora, quae in suo decreto commendavit Sanctus Gelasius; aut non esse proinde historiam aliquam penitus abiiciendam, propterea quod inserta illi sint falsa nonnulla, vel dubia. Contraria Eusebii narratio, ut dictum supra, multum quidem facessit negocii; sed ei tamen duplici ratione occurritur. Primum asserendo, illius Scripta fuisse ab Arianis interpolata; nemo enim ignorat, quantum isti haeretici deferrent Eusebio, eiusque superbirent patrocinio. Deinde in praecit. cap. *Sancta Romana* legitur, Eusebium in Chronico, & in Historia aliquando tepuisse; licet eius libri laudentur ob singularem rerum notitiam. Sane Beatus Hieronymus, dum latinitate donaret Chronicon Eusebianum, aequum duxit eiusdem Eusebii interpretari, non emendare, sententiam. Socrates, Theodoretus, & Evagrius Eusebii fortasse corrupta Scripta legerunt; nec fonte rivuli aestimandi sunt puriores. Vidistis Ven. Baronium superioribus Exercitationibus non semel laudatum, & in Notis ad Martyrologium Romanum pridie Kal. Ianuarii, ubi plura de S. Silvestro: de quo in suo Martyrologio ad eamdem diem Wandelbertus Diaconus,

Pontificum primus tranquillam cernere pacem
Qui meruit, Dominosque urbis purgare lavacro.

De obitu Imperatoris Constantini.

I. NICOMEDIAE morti proximum Imperatorem Constantinum sacro baptismatis lavacro regeneratum fuisse, superioribus Exercitationibus tam aperte demonstravimus, ut vix aliquam contrariae opinionis coniecturam, quae refutata non sit, proferri posse putemus. Verum cum Nicomediae Episcoparum gereret Eusebius haeresi Arianorum infectus, neque improbabile sit ab eodem Episcopo Ariano Imperatorem fuisse sacris undis ablutum, imo id aperte testetur Hieronymus; oritur suspicio, num ipse Constantinus obierit in impietate Ariana. Hanc vero suspicionem modo excutere deliberavimus; simulque annum diemque tanti Principis emortualem, quo accedat statutae illius Chronologiae fulcimentum, statuere ac definire. CAPUT X.

II. In Arianismum declinasse, saltim morti proximum, Caesarem Constantinum non levis suspicio est, sed quae gravissimorum virorum innititur testimoniis. Produximus alibi verba Hieronymi scribentis in Chronico: *Constantinus extremo vitae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat.* Accedit Severus Sulpitius, qui lib. 2. Hist. Sacrae ait, etiam Constantinum *ab Arianis depravatum*. Et si in anteactam eius vitam animum convertamus, adauget suspicionem Athanasius anno 335. ab eodem Imperatore relegatus in Galliam: Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicaenus, eo annuente anno 328. in sedes suas restituti: ipse scelestissimus Arius anno 327., & nondum biennio a solemni eius proscriptione transacto, revocatus ab exilio: ob quae, aliaque plura Imperator, tanquam fautor & patronus Arianorum, audiit apud Rufinum, Luciferum Calaritanum, aliosque nonnullos. Sed quodnam manifestius impietatis indicium, quam post baptismum a Silvestro susceptum, spreto sacrosancto signaculo, iterum tingi ab Ariano Antistite Eusebio, conditumque testamentum non aliis fidere, quam presbytero cuidam Ariano, ut scribunt non tantum Socrates lib. 1. cap. 26. & Sozomenus lib. 2. cap. 32., verum etiam Card. Baronius, qui ad annum 337. opinatur presbiterum illum fuisse Acacium cognomento Luscum, qui in sede Episcopali Caesareae in Palaestina successit Eusebio Pamphili? Contra, nos Constantinum a labe Arianismi omnino existimamus immunem. Ac praeter communem pietatis & religionis eius opinionem, de qua dicturus sum proxima Exercitatione, ducor auctoritate SS. Hilarii in lib. 1. ad Constantium, & Epiphanii Haer. 69. necnon Nicolai I. Rom. Pontificis, Patrumque Oecumenicae Synodi Chalcedonensis. Hilarius enim pietatem ac fidem summopere in Con-

II. *Constantini Arianismum exploditur.*

 stan-

stantino commendat, Epiphanius testatur sinceram fidem semper ex animo retinuisse, Nicolaus I. scribit ad Michaelem Graecorum Imperatorem quotidie inter sacra mysteria Constantinum commemorari inter Orthodoxos principes, qui Ecclesiam Dei exaltaverunt; & PP. Chalcedonenses rati sunt, non posse a se magnificentius Marcianum Augustum laudari, quam si illi tanquam novo Constantino acclamarent. Inter haec autem praeclara de Constantino testimonia eminent quae in Epistola ad Solitarios prodit beatissimus Athanasius, qui licet a Constantino in exilium pulsus, summis tamen laudibus ipsum Constantinum prosequitur, affirmatque se Treviros relegatum ex calumniis Eusebianorum, & Arium admissum ob eius simulationes atque periuria, quae tamen postea Imperator perspecta habuit, & haeresiarcham recte damnatum asseruit, dum effusis visceribus disruptum iacere cognovit. Sed quid plura? ex ipso Athanasio in lib. de Synod. atque ex Sozomeno lib. 2. Hist. Eccl. cap. 32. perspicuum est, nunquam Arianos ausos, quoad vixit piissimus Imperator, contra Nicaenam fidem mussitare, nec palam *Omousion* reiicere, quod norint Augustum in Orthodoxa Fide constantissimum permanere. Quare nimia eius facilitas, & comitas, qua passus est se ab Episcopis Arianis circumveniri, in causa fuere ut videretur ad illorum partes declinare. Enimvero dum relegavit Athanasium, ad praetorium prius venire iussit Episcopos, inter quos Eusebius Nicomediensis, Theognis, Patrophilus, Eusebius Caesariensis principem adeuntes calumniati sunt, frumentum ab Athanasio navesque detentas, ne illud Alexandria Constantinopolim veheretur; ipsumque Athanasium se pauperem, nec rei frumentariae curatorem contestantem, Nicomediensis Episcopus perquam opulentum esse, viribus & auctoritate pollentem, reumque perduellionis impudentissime deieravit. Atque haec ex lib. 2. Sozomeni cap. 28. immo ex ipsa S. Athanasii Apologia poterunt evidenter agnosci. Eusebius vero Nicomediensis, ac Theognis Nicaenus, Synodo, quae iuxta Canonem 5. Nicaenum bis quotannis celebrabatur, agebatque potissimum de Clericis eiectis, obtulerunt poenitentiae libellum, ac simulantes se in eamdem fidem unanimiter conspirasse, primum ab ipsa Synodo, deinde huius interpellatione, a Constantino restituti fuere. Legite Sozomenum lib. 2. cap. 16. & Philostorgium lib. 3. cap. 7. Eadem ratione Arius revocatus fuit ab exilio, oblato nempe Patribus Synodi libello, quo callide fidem simulavit, iisdemque PP. illum ut poenitentem, & Nicaeno assentientem Symbolo commendantibus Imperatori, additis etiam officiis precibusque Constantiae a Licinio relictae, quae, ut verbis utar Rufini lib. 1. cap. 11. *Augusti solatiis utebatur*. Quae cum ita sint, & Ariani errorem perfidiamque suam corde premerent, reciperent oretenus *Homousion*, & cum Orthodoxis communicarent; quid, obsecro, affert admirationis, si Imperator talis indolis, talibus fraudibus circumventus praebuit au-

aures calumniis, & ab Episcopo Ariano baptizari permisit, & Ariano quoque presbitero moriens suum credidit Testamentum? in quo tamen (teste Theodoreto lib. 1. Hist. Eccl. cap. 32.) *ad Alexandrinam sedem Athanasium revocari mandavit*, idque praesente Eusebio, & ne fieret magnopere dissuadente: quod utique pietatis fideique religiosissimi Principis egregium est argumentum.

III. *De Anno & die, quibus Augustus decessit.*

III. In fide itaque Orthodoxa obiit Constantinus in rure proximo Nicomediae, quod *Achironam* vocabant, anno Christi 337. die 22. Maii, ipso Pentecostes solemni Festo, circa meridiem. Ita Idatius in Fastis: *Feliciano & Titiano Coss. Constantinus Augustus ad coelestia regna ablatus est* XI. *Kal. Iunias*. Ita Socrates lib. 1. cap. 39 *Vixit Imperator Constantinus annos sexaginta quinque: triginta unum regnavit: mortem obiit Feliciano & Titiano Coss. ad undecimum Kal. Iunias, anno secundo septuagesimae octavae Olympiadis*. Ita Rufinus lib. 1. cap. 11. Sozomenus lib. 2. cap. ult. Eutropius lib. 10. & Hieronymus in Chronico, qui aiunt Constantinum annos 31. imperasse: cum enim regnare coeperit anno 306. VIII. Kal. Augusti, ut demonstratum est alibi, si addantur anni 31 Imperii, evidens erit, Constantinum ex hac vita migrasse anno 337. Neque his adversantur Eusebius, Epiphanius, Victor, aliique affirmantes Constantinum tenuisse principatum annos 32. siquidem testatur ipsemet Eusebius ad complementum anni tricesimi secundi aliquot deesse menses: statuto autem initio imperii in anno 306. die 25. Iulii, & obitu in anno 337. die 20. Maii, evidentissimum est tenuisse imperium annis 31. mensibus 9. diebus 28. Et quantum ad annum attinet; constat in Codice Theodosiano, titulo de *Annona & tributis*, haberi Constitutionem IV. datam Thessalonicae, Imperatore Constantio VIII., Idus Decembris, *Feliciano & Titiano Coss.*, atque in eodem Codice tit. *de distrahendis pignoribus*, exstat Rescriptum Constantii Augusti ad Egnatium Faustinum, datum iisdem Consulibus, pridie Idus Decembris. Nondum ergo Consulatus Feliciani & Titiani, idest, annus 337. transierat, quando filii Constantini consequuti fuerant imperium. Quantum vero ad diem spectat, levis oritur difficultas, propterea quod quaedam sub nomine Constantini inveniantur Rescripta, iisdem Coss. post XI. Kal. Iunias emanata. At sciendum est, post Constantini mortem, nuncios ad Caesares filios suos pervenisse, qui in Pannonia eo temporis versabantur, atque inter se ita diviserunt Romanum orbem, ut Constantino natu maximo cesserit Gallia, Hispania, Britannia, & pars Africae: Constanti natu minori obvenerit reliqua Africa, Italia, Illyricum, Graecia, Macedonia, & regio Ponto Euxino finitima: Constantius Thraciam, Asiam, Orientem, & Aegyptum sortitus fuerit. Ita diviso Romano Imperio, tres Constantini Filii, Constantinus, Constantius, & Constans, *Augusti* nuncupa-

ti sunt V. Idus Septembris, ut Idatius adnotavit in Fastis. A die itaque 22. Maii, usque ad 9. Septembris Rescripta nomine Constantini, quasi adhuc viveret & regnaret, consignata fuere: quod animo perpendens doctissimus Eusebius lib. IV. Vitae ipsius cap. 67. inquit: *Cum is solus ex omnibus Imperatoribus regem omnium Deum, & Christum eius omnibus vitae actionibus pie sancteque coluerit: iure sane etiam hunc honorem solus adeptus est, ut Dei voluntate, quod in eo morte sepultum erat, tamen apud homines regnaret, ut ista scilicet ratione nobis Deus significaret, animorum regnum his, qui non prorsus obduruerunt, nunquam consenescere, nunquam emori.*

De funere Constantini, deque ipsius apud Gentiles, & Christianos aestimatione.

CAPUT XI. I. ANNUM, diemque Emortualem Augustissimi piissimique Caesaris Constantini statuimus, superiori Exercitatione, simulque demonstravimus quam longe abfuerit ab impietate Ariana; tametsi nimia illa facilitate, quam utrum commendare vel reprehendere debeamus, ignoro penitus in exilium S. Athanasii, atque in revocationem Arii, & Eusebii Nicomediensis praebuerit assensum. Ad enarrandum modo demortui funus, & Romani populi gravissimum acerbissimumque moerorem, atque ad expendendam felicitatis eius opinionem, honoresque & laudes, quibus ipsum prosecuti sunt Gentiles, convertenda est dissertatio.

II. *De magni Constantini funere.*

II. Itaque ubi Constantinus efflavit animam, milites & universus stipatorum chorus, laceratis vestibus, corporibusque ad pavimentum proiectis, & collisis ad solum capitibus, lugubres voces cum magno luctu, & clamoribus edebant; atque identidem vita functum, dominum, principem, imperatorem, ac parentem vocabant. Centuriones, manipulares, servatorem & custodem suum liberalem & beneficum inclamare non desistebant: totus exercitus pastorem suum, ducem, commilitonem; pars populi circumvolitans occultum animi vulnus apertis vociferationibus contestabatur; pars vero demisso vultu, passisque capillis incedebat silentio ostentans acerbitatem doloris. Sublatum e lecto corpus, & in aurea arca inclusum, undique veste circumtectum purpurea, militum proceres edito in loco deposuere, undique super candelabra aurea cereis accensis; atque duces, comites, omniumque principum coetus, pristinum morem & consuetudinem servantes, statis temporibus introibant, & iacentem in feretro, ac si sederet in solio, humi procumbentes venerabantur. Constantius praefectus Orientis, qui audita dulcissimi parentis

tis infirmitate venerat Nicomediam fruiturus ultimo eius aspectu, frustratus desiderio, Constantinopolim funus devexit exequias praecedens. Praeibant turmatim militum cohortes, pone sequebatur infinita hominum turba, Imperatoris funus hastatis & armatis militibus cingebatur. Postquam ad Apostolorum Ecclesiam perventum est, arcam illic deposuerunt, ac populus frequentissimus una cum sacerdotibus sacrificia offerentibus, non sine lacrimis, pro illius anima preces fundebat. Ex his ab Eusebio narratis commendatur praesens Catholicorum ritus, in defunctorum exequiis servatus. Nequaquam tamen Constantius ausus est mandare tumulo paternum cadaver intra Constantinopolitanam Basilicam Apostolorum, sed tumulum illi erexit in Atrio: quod animadvertens eloquentissimus Ioannes Chrysostomus hom. 26. in 2. Epistolam ad Corinth. ait: *Hic* (scilicet in urbe Constantinopoli) *Constantinum magnum filius ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet: quodque Imperatoribus sunt in aulis Ianitores, hoc in sepulcro Piscatoribus sunt Imperatores; atque illi quidem veluti Domini interiores loci partes obtinent, hi autem veluti accolae & vicini, praeclare secum agi putant, si ipsis vestibuli ianua assignetur.* Quae verba Chrysostomi plurimum Pontificum dignitatem amplificant. At quo doloris sensu Romae nuntium mortis exceptum fuit? Istic Senatus Populusque nullum doloris & lamentationis modum servavit: balnea, & fora rerum venalium clausa fuerunt, publica spectacula remota; & quasi apud se Imperatorem haberent, pictis Imaginibus omnem exequiarum cultum exhibuere. Pingi etiam curarunt Constantini effigiem super coelestes orbes in aetereo superum coetu requiescentem, & excusi fuerunt nummi exhibentes hunc Caesarem velata facie in quadriga adscendentem ad astra: num a Gentilibus, num a Christianis iidem nummi fuerint procusi, ignoratur; utrique enim Constantini memoriam post eius obitum coluerunt.

III. Et Christiani quidem complures illum tanquam Sanctum habuere, Ecclesia Graeca praesertim. In Kalendariis enim Graecorum ad diem 22. aut 21. Maii haec leguntur, *Sanctorum & magnorum Imperatorum, & parium Apostolis, Constantini & Helenae.* Illius sepulcro, & simulacris exhibitum Duliae cultum, innuit Theodoritus lib. 1 Hist. Eccl. cap. 32. scribens: *Incredulus ea intuens, quae nunc ad eius loculum & statuam geruntur, credat iis, quae scripta sunt, & Domino qui dixit: Glorificantes me glorificabo, & qui me spernunt, ipsi spernentur.* Edita quoque ad Constantini tumulum miracula narrat Nicephorus lib. 8. cap. 55. his verbis: *Magna gloria bonorum conciliator Deus Virum illum, veluti fidelem ministrum accumulavit, sanationum & miraculorum gratia, & urnae, & statuae ipsius, quae in porphyretici marmoris*

III. *Qua veneratione Christiani prosequuti fuerint Constantini memoriam.*

ris columna posita est, immissa, ut deinceps nulla aegritudo contrectatis eis non cederet. Neque haec ignoravit Philostorgius, qui lib. 2. cap 17. inquit: *Imaginem Constantini in porphyretica columna stantem sacrificiis placabant, lucernis accensis ac suffitibus honorabant, vota etiam faciebant ut Deo, & supplicationes ad depellendas calamitates peragebant.* Quae tamen Scriptoris parum Christiani sunt verba: erat enim Philostorgius Anomaeus, animoque erga Orthodoxos infenso. Igitur apud Graecos Constantini Sanctitas celeberrima fuit, & comprobata fastis ac menologiis, Scriptorum testimonio, & fama miraculorum. Ecclesia tamen Latina Constantinum, quod noverim, nunquam inter Sanctos recensuit: illius tamen nomen in sacris dyptichis, teste Nicolao I. in epist. ad Michaelem Imperatorem, cum Orthodoxis Imperatoribus impraetermisse commemoravit. Lactantius de Mort. Persec. eumdem Constantinum *sanctissimum, & imperiali fastigio dignissimum* appellavit: & Augustinus lib. v. de Civ. Dei cap. 25. *Bonus Deus* (inquit) *ne homines, qui eum crederent propter aeternam vitam colendum, has sublimitates & regna terrena existimarent posse neminem consequi; nisi daemonibus supplicaret, quod hi spiritus in talibus multum valerent: Constantinum Imperatorem, non supplicantem daemonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere civitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romae filiam, sed sine aliquo daemonum templo, simulacroque concessit. Diu imperavit: universum Orbem Romanum unus Augustus tenuit, & defendit: in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandaevus aegritudine & senectute defunctus est: filios imperantes reliquit &c.*

IV. *Refelluntur Iuliani Apostatae in Constantinum calumniae.*

IV. Eumdem Constantinum etiam Gentiles Historici summis laudibus prosequuntur: atque dicitur ille ab Eutropio lib. x. *Civilibus artibus & liberalibus disciplinis deditus, affectator iustitiae & amoris, quae omnino sibi & liberalitate & docilitate quaesivit.* Victor in Epitome, licet in eo carpat laudum cupiditatem, *Commodissimus*, nihilo tamen minus inquit, *rebus multis fuit; calumnias sedare legibus sincerissimis, nutrire artes bonas, praecipue studia litterarum: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes, & querimonias provinciarum.* Infinitus forem, si vellem Constantini laudes oratione complecti. At illas obscurare studuit nepos eius Iulianus, vexavitque Constantini memoriam, primum quod amplissimos magistratus contulerit barbaris: deinde quod comam nutrierit, vestemque gestaverit muliebrem: tertio quod non lauream coronam habuerit, sed auro gemmisque contextam, quod in Eliogabalo insectabatur Lampridius. Sed hae calumniae satis refutantur ex quo ab homine apostata, daemonum cultore, & hoste

Chri-

Christiani nominis infensissimo, spreta necessitudine, conflatae sint. In ipsum quoque Iulianum quadrant probra ipsa quammaxime; quippe qui Mamertinum, hominem subagrestem, crudelem, iniquum, nec vita, nec splendore, nec litteris, nec armorum exercitio, ulli eorum, quibus Constantinus detulit magistratus, comparandum, idem Iulianus evexit ad Consulatum: atque ipsemet sertum gestavit margaritis ornatum, ad femineae vanitatis ludibrium. At Constantinus laureas coronas contempsit, quod sciret ex superstitione manasse; ac nollet frontem redimire frondibus sacratis Apollini. Passus illi capillus iuxta morem Christianorum, quibus impurus Apostata scommatibus dicteriisque caprinos pilos obiectat. Demissa etiam vestis, quae inanium Deorum desertorem decebat, sed armis quoque assuetus, quibus hostes omnes innumeris bellis perdomuit. Cedunt itaque in laudem principis gloriosissimi vel ipsae imposturae, quibus illum caninis dentibus Iulianus dilaceravit.

De Vrbe Constantinopoli.

CAPVT XII.

I. FVNVS Constantini, ipsius laudes, & praeclara de illo Scriptorum testimonia superiori Exercitatione ennarrantes, aedificatam ab eodem Imperatore urbem, Romani, ut in V. de Civitate Dei Magnus Augustinus aiebat, sociam imperii, & quasi Romae filiam, idest, Constantinopolim commemoravimus, De qua urbe non illud inquirendum est modo cur appellata fuerit *Constantinopolis*; cum vel sola huius nominis pronuntiatione quisque percipiat, ab ipsomet Constantino hoc illi accessisse vocabulum, quemadmodum ab Antiocho, ab Alexandro, ab Hadriano, appellationem sortitae sunt Antiochia, Alexandria, Hadrianopolis: sed id potius investigandum est, quod Chronologorum torquet ingenia, quando nempe consignanda sit eiusdem urbis nativitas, & dedicatio; & hoc etiam addendum, quae sacra aedificia ibidem Imperator construxerit augustissimus. Erit igitur de natali, de encaeniis, & de ornatu Constantinopolitanae urbis praesens Exercitatio.

II. *De Natali Vrbis Constantinopolitanae*

II. Quo anno condita fuerit Constantinopolis, iure quaeritur; nam Chronicon Alexandrinum fundatam ait, *Ianuario & Iusto Coss.* idest imperii Constantini 22. Dominicae Aerae 328. cui chronologiae adhaerens Petavius scribit ad eumdem annum: *Circa hoc tempus Constantinus Byzantii situm, opportunitatemque contemplatus, instaurare ac munire aggreditur, ibique sedem Imperii constituere*. Panvinius in Fastis conditum putat *Coss. Basso & Ablavio*, scilicet anno Christi 331. Imperii Constantini 26., idque comprobare nititur Marcellini Comitis testimonio. Harduinus in Notis ad

ad 4. Themistii orationem, aedificatam putat cum Auctore Chronici Alexandrini, praedicto anno 328. anno 325. extructam sentit in sua Critica ad Annales Baronii Cl. Antonius Pagius: Cangius anno 326. quidam post mortem Faustae, quae contigit anno 327. eo quod Zosimus scribat obitum eiusdem Faustae & Crispi Caesaris urbis natalibus praecessisse: nonnulli demum anno 333. quoniam Philostorgius id refert ad imperii Constantiniani vicesimum octavum annum. Subscribendum nos arbitramur sententiae Pagii, quoniam Iulianus Augustus orat. 1. inquit: *Posteaquam vero Dominus omnium Constantius constitutus est, cum ex immoderata eius cupiditate, qui ante dominabatur, velut siccitate quadam summa esset pecuniarium inopia, ac cum omnes in Palatii penetralibus congestae & reconditae forent, ille claustris summotis repente omnes effudit. Tum sui nominis urbem infra decem annos extruxit.* Post mortem itaque Licinii iugulati, ut habetur in Fastis Idatianis, *Coss. Paulino & Iuliano*, idest anno 325. Constantinus summae rerum potitus, & solus regens Imperii habenas aedificandae urbi appulit animum, in eaque construenda perficiendaque decennium insumpsit. Consentit Iuliano Sozomenus lib. II. cap. 3. scribens, Constantinum *celebrata festivitate publica Vicennalium suorum, ad Ecclesiarum instaurationem omne studium suum contulisse, urbemque Bizantium ante hac appellatam, magnopere amplificasse, & ingentibus cinctam muris, variisque aedificiis exornatam, reginae Vrbium Romae exaequando Constantinopolim nominasse*. Anno itaque 325. quo constat Vicennalia Constantini Nicomediae celebrata fuisse, iacta fuerunt Constantinopolis fundamenta: aliorumque sententiae ita cum hac nostra conciliandae sunt, ut vel de perfectione, vel de ampliori civitatis ornatu contraria Veterum testimonia exponantur. Praetermitto Byzantium antiquissimam Traciae urbem, magna clade, quod esset Licinii sedes, ab ipso Constantino vastatam, atque ante annos 120. a Severo in ditionem redactam, in limine Europae ad Propontidem sitam esse, loco, terra, marique percommodo, adeo ut Byzantinis, & Chalcedonensibus de Conditorum suorum nobilitate certantibus, hoc ab Apolline responsum datum fuerit ex Tripode, Chalcedonem *a caecis* conditam, Byzantium autem a *viris oculatissimis*, atque id ob disparem utriusque civitatis situm; hoc, inquam, praetermitto, ut post natale Constantinopolis exponam eius encaenias, sive dedicationem.

III.
De eiusdem Vrbis Encaeniis.

III. De hac etiam discrepant Eruditi, propterea quod Cassiodorus scribat dedicatam Constantinopolim *Pacatiano & Hilariano Coss.* hoc est, anno Christi 332. Suidas anno 362. a Monarchia Augusti, anno Iuliano 16. post Antonii & Cleopatrae obitum inchoata, idest anno Christi 321. Theophanes, cui & Nicephorus assentitur lib. VIII. cap. 16., anno Mundi 5816., Christi iuxta eorum Chronologiam 316. Codinus anno Imperii Constantini 22. scilicet, Christi 327.

Sed

Sed firmissima certaque est sententia referens Constantinopolitanae urbis encaenia ad undecimam diem mensis Maii anni 330., imperii Constantini 25. quam sententiam propugnant ad eumdem annum Baronius & Pagius, Norisius in Appendice ad Hist. Donatistarum, Petavius lib. XI. de Doctrina temp. cap. 44. Aperte enim id eruitur primo ex Fastis Idatianis, in quibus legitur, *Galliano & Symmacho Coss. dedicata est Constantinopolis die V. Idus Maias*: deinde ex characteribus horum encaeniorum, quae habentur in Chronico Alexandrino, & apud Cedrenum, aliosque, asserentes dedicatam Constantinopolim *V. Idus Maias*, *feria* 2. *Indict.* 3. *Ciclo Solis* 3, *Lunae* 8. *litera D.* qui omnes sunt, inquit eruditissimus Norisius, certi characteres anni 330. De die tantum dissentire videtur Cardinalis Baronius scribens citato in loco: *Porro in Menologio decima die mensis Maii natalis dies novae Romae Constantinopolis in Ecclesia publice annis singulis recitandus descriptus reperitur, licet apud Zonaram undecima mensis Maii absoluta legatur*. Verum dies magis, quam annus, certus est; & Menologia correctiora diem undecimam habent, non decimam, ut clarissimus Petavius animadvertit. Sane undecima die dedicatam novam Romam perspicuum est primo ex nota Kalendarum, *V. Eidus Maias*: secundo, ex feriae adnotatione, cuius gratia insigne illius urbis est Luna falcata, quoniam exorta est die lunae; anno quippe 330. dies Maii decima incidit in dominicam, non in feriam secundam. Tertio, ex Horologio Ecclesiae Constantinopolitanae, cui, observante Scaligero, ad diem XI. Maii e regione adnotatum erat, *Natalis urbis Constantini*, & *sacrosancti Martyris Mocii*. Haec sunt Constantinopolitanae urbis encaenia, quae lege Theodosii solemnioribus feriis fuerunt apposita, ut constat ex Cod. Theodos. lib. II. *de Feriis*. Mirabile autem est dictu, hanc urbem 12. seculo ab eius ortu, idest, anno Ch. 1453. captam fuisse a Mahumete II. Rege Turcarum, quorum etiamnum tyrannide praemitur, ac novam illam Romam expertam fuisse consimile fatum Romae veteri, quae 12. item saeculo ex quo condita fuerat a Romulo, idest anno V. C. 1163. Aerae Christ. 410. capta ac diruta fuit ab Alarico Gothorum rege. Falsa tamen fuit Valentis Mathematici vaticinatio, qui Constantino interroganti, quo anno Constantinopolitana civitas tenere debuisset imperium, magna temeritate respondisse fertur, imperaturam per annos 616. nimirum usque ad annum Domini 946.. Sed a falsis Mathematicorum vaticiniis ad vera urbis decora revertendum.

IV. Mitto quae lib. II. enarrat Zosimus, ad pulcritudinem urbis spectantia, forum distentis porticibus inclusum, fornices ex marmore Proconnesio, Palatium Romano patum absimilem, Forum maximum, Circum ad omnem elegantiam perpolitum, amplissimasque aedes, ob quas illae apud Claudianum Romae veteris querimoniae, IV. *De sacro eiusdem urbis Ornatu.*

Par Roma mihi, divisaque sumpsit
Aequales aurora togas, Aegyptia rura
In partem cessere novae.

Enimvero ea tantummodo commemorabo quae ad idolorum subversionem, & religionis incrementum conducunt: Castoris & Pollucis statuas locatas in porticibus Circi: Tripodem Apollinis Delphici expositum ventorum ludibrio: Simulacrum Rheae matris Deorum ex monte Dindymo abductum, positumque ad Fori maximi extremam partem, Musarum Dearumque statuas in regiis aedibus, spectantium curiositati, & contumeliis expositas, *adeo ut* (verba sunt Eusebii lib. III. cap. 54.) *ad ludibrium contemptumque spectatorum paterent expositi, hic Pithyus Apollo, illic Sminthius, & in ipso quidem Circo Tripodes Delphici, Musae autem Heliconides in Palatio*. Contra ad Fori fontes collocavit Boni Pastoris Imaginem, itemque Danielis effigiem una cum leonibus aere expressam. In eminentissima Palatii aula affixit ingentem Crucem ex auro & gemmis elaboratam. Templum Apostolorum in immensam altitudinem erexit, Ecclesiam omnium nobilissimam aedificavit in Hestiis, Basilicam aliam elegantissimam, amplissimamque extruxit nomine Irenes, tria Christo Salvatori dicavit Templa, Sanctis Mocio, Acacio, & Agathonico splendida delubra construxit; erectaque porphyretica columna, quam ex urbe Roma asportari curavit, in ea statuam suam aeream locavit, atque in malo aureo, quod manu dextra ornatum cruce gerebat, haec verba iussit incidi, *Tibi, Christe Deus, urbem hanc commendo*. Ad eiusdem columnae basim hos versus imprimi iussit:

Tibi, Christe, mundi Domine, rectorque optime,
Vrbem hanc tibi quae serviat, modo subdidi,
Et Sceptra, Romanamque omnem potentiam:
Haec tu malis defende semper ab omnibus.

Sed legite Eusebium lib. III. Vit. Const. Nicephorum lib. Hist. 7. Cedrenum in Comp. Hist. & Zonaram parte Annal. tertia: nam ego de Vrbis Constantinopolitanae natali die, de encaeniis, de eius ornatu haec perpauca dicebam.

De Indictione Constantiniana.

CAPVT XIII. I. CONSTANTINOPOLITANAM VRBEM anno 330. Imperii Constantini 25. dedicatam postrema Exercitatione cum aliis argumentis studuimus evincere, tum illo, quod ex nota Indictionum depromitur, asserentes praedicto anno celebrata eiusdem urbis Encaenia, quoniam in Chronico Alexandrino, aliisque veteribus mo-

monumentis *Indictione* 3. adnotantur. Quoniam vero id Indictiones Constantinianas ignorantibus esse debet obscurum ac perdifficile; ac praeterea Indictionum notis Romanorum Pontificum Epistolae, atque Theodosiani, & Iustinianei Codicum leges quamplurimae inveniuntur signatae; statui de ipsis Indictionibus a Constantino, cuius historiam exornamus, denominatis, instituere orationem, explicatoque *Indictionis* vocabulo, de anno, quo coepit Indictio, de die, a qua inchoari debet, & de eius supputatione, disserere.

II. *De Vocabulo Indictionis:*

II. Indictionem Graeci ἐπινέμησιν vocant, quo vocabulo significatur *largitio*. Hinc Scaliger lib. v. de Emendat. Temp. Indictionem appellatam existimat ab editione spectaculorum quinquennalium, decennalium, & vicennalium; quoniam Imperatores Quinquennalia celebraturi, tributa, & debitorum residua tollebant, vel relaxabant, unde & lustra dicta sunt, in nummis per literam A. expressa. S. Eligius Noviomensis Episcopus refert Serm. 2. commentum quorumdam existimantium *Indictionem*, quae cyclum quindecim annorum complectitur, nihil esse aliud, quam Tributum, quod primo lustro indicebatur solvendum ex auro, secundo ex argento, tertio autem ex aere; quam opinionem merito omnes despiciunt, amandantque inter fabulas. Onophrius noster in Fastis animadvertens Constantinianae tantum Indictioni datum esse, ut per illam tempora signarentur, atque ipsa in perpetuum devenirent usum, huius vero originem referri ad annum Christi 312. quo ante Maxentii proelium Constantino signum Crucis affulsit, putavit *Indictionem*, quasi Indicationem appellari ab eiusdem Crucis indicio, quam etymologiam nemo fere probavit, tametsi omnes ab anno 312. Indictiones supputandas magno consensu testentur. Petavius denique lib. xi. de Doctr. Temp. cap. 41. ait, Indictionis nomine significari quidem annonas, & tributa, quorum canon quotannis indicebatur, sed omnino esse incompertum, cur πεντεκαιδεκαετηρὶς illa indictio sic nominata. Atque de *Indictionis* vocabulo haec tantum.

III. *Variae de origine Indictionum Sententiae.*

III. Perplexa autem est, & nimium obscura Indictionum origo. Enim vero Auctor Chronici Alexandrini Indictiones inchoandas scribit ab anno primo Monarchiae Iulii Caesaris, quam incipit a Consulatu Lepidi & Planci, ibique inscribit, ΑΡΧΗ' ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΟΣ: At Maximus & Georgius Monachi initia Indictionum statuerunt in anno secundo Augusti, Mundi iuxta illorum computum 5460. enumerantque annos Augusti a pugna Actiaca, unde forte frivola illa nominis derivatio apud Cedrenum Constantinum Porphyrogenetam, & alios Graeculos, ut Indictio dicta sit quasi Ἰνακτὼν, ab Actio promontorio, & Caesaris Augusti victoria: quae cum anno 15. eiusdem Augusti contigerit, scilicet anno V. C. 723. ac 31. ante Aeram Christianam, sequitur ex Graecorum illorum sententia, principia Indictionum statuenda esse in anno V. C. 724. C. Augusti 16. ante Aeram communem 30. Scaliger vero, cuius paullo supra meminimus, in 5. de Emendatione

Temp. & in Eusebianis Animadversionibus, necnon Christmannus in libro de Connexione Annorum, duplicem distinguunt Indictionem, unam *Caesarianam*, quam idem Scaliger lib. III. Canonum Isagoc. appellat etiam Antiochenam, alteram autem Constantinianam: ac primam inchoatam scribunt anno Periodi Iulianae 4666. scilicet anno 48. ante communem Aeram Christianam, in quem annum revera primus Aere Antiochenae incidit, supputandus ab Octobri transacto; alteram Indictionem constituunt anno 312. in Quinquennalibus Constantini, sive anno 360. post primam Indictionem Caesarianam. Hi ergo, & qui subsecuti sunt, Baronius, Petavius, Calvisius, aliique viri doctissimi, in eo conveniunt, quod Indictionem Constantinianam incipiendam docent anno Christi 312. sed in computo Scaligeriano merito refutatur, quod ait celebrata tunc fuisse *Quinquennalia* Constantini, cum certum sit ea incidisse in annum 310. quemadmodum & Vicennalia in annum 325. ut constat ex praecedentibus Exercitationibus. Scaliger enim in eo lapsus est, quod initia Imperii Constantini affixit anno 307. ex quo errore factum est, ut Quinquennalia in 312. & Vicennalia in 327. referret. In Chronico etiam Alexandrino foedi occurunt anachronismi: ibi enim primus annus Monarchiae Iulii Caesaris figitur in Consulatu Lepidi & Planci, qui Coss. prodierunt anno V. C. 712. cum Caesar occisus sit anno 710. Idibus Martiis, atque ante primum annum Monarchiae & Dictaturae eiusdem Caesaris collocatur Consulatus Hirtii & Pansae, qui anno V. C. 711. Consulatum gesserunt post necem Caesaris. Ceterum anno V. C. 705 ante Christum 49. quo Coss. Claudio Marcello, & Cornelio Lentulo, Caesar Dictaturam iniit, optime a Septembri nota primae Indictionis apponeretur: sed anno V. C. 724. & 16. Augusti competeret Indictio quarta, non prima: quod Maximi, aliorumque Graecorum commenta refellit.

IV. *De anno, a quo Constantiniana Indictio inchoatur.*

IV. Erroribus itaque dispunctis, indubitatum est exordium Indictionum locandum esse in anno Christi 312. Kalendis Septembris, ita ut annus proximus 313. Kalendis Ianuariis signandus sit, *Indictione prima.* Quod demonstratur primo ex Fastis Siculis, sive ex Chronico Alexandrino, ubi ad secundum Constantini & Licinii Consulatum legitur, Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχὴ, *Indictionum Constantinianarum hinc sumitur initium*. Constat enim praedictum Consulatum anno 312. esse alligatum. Deinde demonstratur, quoniam Epiphanius in Anchorato annum 91. Aerae Diocletianae, & Consulatum Gratiani Augusti III. & Equitii, idest, annum Christi 374. signat *Indictione secunda*. Annus Christi 368. quo Valentinianus & Valens alterum Consulatum gessere, in Codice Theodosiano lib. II. tit. 28. *de Indulgentiis* adnotatur *Indictione XI.* & annus Christi 407. quo prodierunt Consules Honorius septies & Theodosius iterum, signatur *Indictione V.* Synodus Tyria celebrata anno 518. die 16. Septembris praefert *Indictionem XII.* Hierosolymitana coacta anno 536. post Consulatum Beli-

lisa-

lisarii XIII. Kal. Octobris, *Indictionem XV.* Quae omnia si quis ad abacum rationalem sederit, percipiet optime cohaerere, si Indictionum initia collocentur anno Domini 312. Constantini 7. Kalendis Septembris.

V. Dixi autem, *Kalendis Septembris*: Etenim hinc revera Indictiones Constantinianas supputandas tradit S. Ambrosius in Epistola ad Episcopos Aemiliae his verbis: *Indictio enim Septembri mense incipit*: & praelaudatum Chronicum Alexandrinum: *Indictiones porro numerari coeptae a prima die Gorpiei mensis, idest, Septembris.* Hanc rationem non solum in omnibus Epistolis Gregorius Magnus, verum & alii Romani Pontifices diu secuti sunt; nam S Gregorius VII. creatus an. 1073. scripsit Epistolam ad Rodulphum Sveviae ducem, quae dicitur data Capuae *Kalendis Septembris, Indictione incipiente XII.* Bedae tamen aetate mos obtinebat, ut a die 24. Septembris Indictiones inchoarentur; nam ille de Ratione Temporum cap. 46. scripsit: *Incipiunt Indictiones ab VIII. Kalendas Octobris, ibidemque terminantur.* Sectabantur rationem hanc Galli, ut constat ex Synodo IV. Parisiensi, & ex Capitularibus Caroli Magni. Hinc ad confusionem tollendam triplex distingui solet Indictio Constantinopolitana, quae incepit a *Kalendis Septembris*, Caesarea, quae progreditur *ab VIII. Kal. Octobris*, & Pontificia seu Romana, quae *a Kal. Ianuariis*: sed liquet ex nuper dictis, Constantinopolitanam usque ad aetatem S. Gregorii VII. a Pontificia non fuisse diversam. Doctissimus quoque Iacobus Gothefridus in Chronologia Codicis Theodosiani fallitur multas Indictiones secernens, inter quas ait Italicam ab anno Domini 312. & Orientalem ab anno 313. deduci; siquidem inter Orientalem & Italicam nullum est discrimen, nisi quod vetus Indictio incipit a Kalendis Septembris anni 312. hodierna a proximis Kal. Ianuariis. Consurgit ex dictis canon certissimus ad investigandam Indictionem cuiusque anni. Quum enim Indictio sit Cyclus & revolutio annorum quindecim, quibus exactis redit ad unitatem; constituto Indictionum exordio in anno 313. *Kalendis Ianuarii* iuxta morem Romanum, redit prima Indictio annis 328. 343. 358. & sic deinceps; adeo, ut annus correctionis Gregorianae 1582. concurrat cum *Indictione decima*, & praesens annus 1751. cum *Indictione decima quarta*. Sed haec arithmetici potius calculis, quam oratione clarescunt.

V. *De die, unde incipiunt Indictiones.*

De Constantini donatione.

CAPUT XIV.

I. SUPERIORI Exercitatione, Lectores humanissimi, Constantinianae Indictionis dissertatio paullo abstrusiorem, utinam non molestum ingratumque me reddidit: sed nunc allatam molestiam uberiori iucunditate compensabo; excutiam enim vulgarem fabulam de ea donatione, quam fertur Constantinus sacro renatus lavacro fecisse Romano

mano Pontifici Silvestro, Palatii Lateranensis, proprii diadematis, chlamydis purpureae, urbis Romae, omniumque totius Italiae, & Occidentalis regionis provinciarum; ut legitur in eiusdem Donationis diplomate Tom. 1. Concil. pag. edit. Labbeanae 1534. Iure autem peto, ne me parum in Ecclesiam Romanam studiosum quisquam existimet, si donationem illam commentitiam ostendero, quandoquidem non tantum Novatores, verum etiam Hieronymus Paulus Canonicus Barcinonensis, Cardinalis Baronius, Emmanuel Schelestratenus, aliique Pontificiae Potestatis propugnatores acerrimi Donationem illam commentitiam existimant; ut mittam quos nonnulli arrigentes nares suspiciunt, eruditissimos autem negare non audent, Petrum de Marca, Natalem Alexandrum, Tillemontium, Norisium. His vero praemissis, tria brevitate, quam postulant dissertationis angustiae, praestabo: Ostendam fictitium esse ipsius donationis diploma: dicam quando, & a quibus existimatur esse confictum: exponam cur Silvester omnium Romanorum Pontificum prior Tiara coronatus pingatur.

II. *Demonstratur donationem Constantinianam esse commentitiam.*

II. Diploma itaque Constantinianae donationis confictum, subditumque esse, idem Baronius ad annum 324. invicta ratiocinatione demonstrat; quoniam in eo decernitur Romano Pontifici dignitas, ac primatus supra quatuor sedes Patriarchales, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam; quod non tantum eo nomine falsum est, quoniam Romanus Pontifex non Imperatoria liberalitate, sed Institutione divina est Caput universalis Ecclesiae; sed etiam ea ratione, quod post Concilium Chalcedonense celebratum anno 451., Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, & Iuvenalis Ierosolymitanus iura Patriarchalia primum tentarunt arripere, ut aperte constat ex S. Leonis Magni Epistolis: imo quomodo in ea donatione, quae facta dicitur anno 324. potuit Imperator meminisse Sedis Constantinopolitanae, quum Byzantinae urbi anno tantum 330. accesserit nomen Constantinopolis? Neque hoc tantum momento, quod palmare ac perentorium est, donatio illa exploditur & reiicitur; sed etiam accurata diplomatis lectione, cum ibi quot verba, tot fere appareant notae suppositionis. Quid enim sibi vult numerosa illa titulorum congeries ab ingenio & aetate Constantini prorsus abhorrens, quae Edicto ad hunc modum praefigitur: *Caesar Flavius Constantinus fidelis mansuetus beneficus Alemanicus Gothicus Sarmaticus Germanicus Britannicus Hunnicus Pius felix victor ac triumphator, semper Augustus*? quid insulsius subscriptione illa, *Datum Romae sub tertio die Kalendarum Aprilium, Domino nostro Flavio Constantino quater, & Gallicano, viris clarissimis Coss.* cum quarti Constantini Consulatus collega fuerit Licinius, non Gallicanus, exhibeantque Fasti Consulatum illum ad annum 315.? Quid ineptius, quam Constantinum dedisse Silvestro coronam capitis sui ex auro purissimo gemmisque contextam, quando

do singulis compertum est, Regum & Imperatorum diadema fuisse fasciam candidam & purpuream, quam & Constantinum gestasse testatur in Epitome Victor, quamquam diademati illi Constantinus inseruit aureum phrygium, gemmasque, ob quam causam Iulianus ipsi muliebris ornatus cupidinem exprobravit? Mitto fabulam alibi refutatam de lepra, baptismatis lavacro sanata: privilegium datum Clericis, ut ornati incederent ut milites in Castris Caesareis, & in equis candido amictu manipulisque ad instar sacrorum ministrorum phaleratis perambularent, aliaque plura, quae legentium oculis statim obiiciuntur. Addo falsum esse collatum a Constantino Pontifici dominium omnium provinciarum Occidentalium, cum nunquam eo dominio Pontifices Romani potiti fuerint. Addo Constanti ex Testamento Patris obtigisse Illyricum, Italiam, atque Africam; quae si antea donata fuissent Pontifici, religiosissimus princeps non legitimam adiisset hereditatem. Addo Constantium an. 357. post Magnentii exitium, insidentem aureo carpento triumphasse, neminem vero triumphalem pompam agere in civitate non sua. Sed quid plura! Omnibus compertum est, non a Constantino, sed a Pipino & a Carolo Magno Pontifices principatum amplissimum, quem nunc possident, obtinuisse. Pipinus enim an. 754. excussa Constantini Copronymi dominatione, eiectoque Aistulpho rege Langobardorum, Exarchatum Ravennae, urbesque, quas ille occupaverat, Apostolicae Sedi concessit, atque ita instituit Romani Pontificis principatum. Hinc factum est, ut cum antea Romae imperium exercerent Imperatores, & delegati ab ipsis praefecti, ac iidem Romani Pontifices Romam urbem servilem, & Augustis subiectam faterentur, ut apparet ex epistolis Gregorii Magni ad Mauritium, & Agathonis ad Constantinum Pagonatum: post donationem illam Pipini coeperunt Pontifices Romam civitatem suam, & Romanam gentem populum suum appellare: quod fecit primus omnium Stephanus II. (cui facta donatio) in litteris 3. 4. & 6. ad Regem Pipinum: tum Paulus successor Stephani epist. 2. & 7. ad eumdem Regem; deinde Hadrianus I. epistola 4. ad Carolum Magnum Pipini filium, & quotquot postea sequuti sunt Romani Pontifices: ideoque antiqua illa Constantini donatio eorumdem Pontificum confessione, falsa, supposita, & commentitia deprehenditur.

III. *Quinam donationem Constantinianam confinxerint?*

III. Quem vero Impostorem existimaris tale facinus perpetrasse? Cardinalis Baronius a Graecis donationis Edictum insigniter depravatum contendit, utpote qui licet illum fictitium putet, censet tamen Romanam Ecclesiam ante collata illi a Francorum Regibus privilegia potitam rerum dominio; & quoniam Ioannes Diaconus ipsum donationis Edictum e Graeco Exemplari in Latinam linguam reddidit: eleganter usurpat illud Maronis Aen. 2. *Quidquid id est, timeo Danaos, & dona ferentes*. Consentit Baronio Severinus Binius, fictumque diploma putat a Theodoro Balsamone eo consilio, ut Patriarcha-

charum Constantinopolitanum ostenderet antiquissimum. Contra vero doctissimus Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 12. verisimilius putat, donationem Constantini anno 767. excogitatam fuisse, consensu Pipini regis, a Ioanne Subdiacono & Pamphilo legatis Apostolicae Sedis, ad retundendam pertinaciam Constantinopolitanorum, qui ab eodem Pipino repetebant regiones Italiae, quas ipse Romanae Ecclesiae attribuerat: omnesque Protestantes cum Basnagio ad annum 324. num. 13. afferunt negari non posse, quin ea donatio prodierit ex Latinorum officina, eo quod aperte faveat Romanis Pontificibus, iis Episcopos Constantinopolitanos, omnesque Ecclesias subiiciens. At persuasum est mihi, donationem, de qua agimus, neque a Theodoro Balsamone, neque a Legatis Apostolicae Sedis, neque a Latinorum aliquo Romanis Pontificibus devoto fuisse confictam: non primum, quia illius donationis meminerunt Leo IX. & Isidorus Mercator apud Petrum de Marca citato cap. 12. qui ante Theodorum Balsamonem floruerunt: non secundum, quoniam Legati Pontificis non adeo erant stolidi, ut diplomati inscriberent, concessum Romano Pontifici principatum super quatuor Sedes Patriarchales a Constantino, cum illum iure divino ei competere credant; nec Pipinus ad suam donationem corroborandam ad imposturam istiusmodi confugisset: non tertium, quia Edictum donationis Constantinianae deprimit maiestatem Romani Pontificis, non extollit, dum illi quatuor aequiparat Patriarchas, excepta praelatione, quam illi attribuit sola Imperatoris munificentia. Quare cum diploma confictum sit ad extollendum Patriarcham Constantinopolitanum, quem fingit extitisse nondum aedificata Constantinopoli, a nemine autem eius donationis fiat mentio ante saeculum 8. mihi haud infirmum est argumentum, ab imperito quodam Graeculo, eodem vertente saeculo, editam esse, maxime quod primum Graeco, quam Latino idiomate, in lucem prodiit.

IV.
Cur Silvestri Imagines coronatae pingantur.

IV. Verum enim vero, si falsum sit, Constantinum coronam suam auream pretiosis ornatam gemmis dono dedisse Silvestro, cur iste omnium Romanorum Pontificum primus eadem corona pingitur redimitus? Respondet Daniel Papebrochius in Conatu ad Pontificum Chronologiam apud Bollandum Vol. 8. SS. Maii: *Omissis fabulis, dici posse videtur, quod constituta per Constantinum Ecclesiastica pace, Silvester vel propria electione, vel ipsius mandato, Pileum sumpserit, Romano more symbolum libertatis, eumque aureo phrygio, seu diademate ornatum inferne, qua caput tangit, ad significandum Regale Sacerdotium, Sacerdotum omnium principi collatum a Christo: cui Bonifacius VIII. alteram coronam imposuit, exprimi eo volens utriusque Regni corporalis, & spiritualis praerogativam Pontifici competentem. Triplicis denique coronamenti Tiaram assumpsisse legitur Urbanus V. numeri mystici forsitan causa.*

Ex

Ex quibus potius refellitur, quam fulciatur Donatio Constantiniana; siquidem beatissimus Silvester unam tantum coronam in symbolum Regni spiritualis assumpsit, non vero etiam alteram, quae ei competisset ratione illius donationis; de qua, ut eam ostenderem commentitiam, huc usque disserui.

Leges Constantini describuntur.

I. NEMINEM futurum arbitror, qui ob refutatam Exercitatione superiori Donationem Constantinianam, sibimet persuadeat, invictissimum piissimumque Imperatorem in Romanam Ecclesiam, Religionemque Catholicam immortalibus beneficiis cumulandam, minime fuisse propensum. Ea quippe Donatione reiecta, quam esse singulare commentum, barbaro stilo, insulsis amplificationibus, fictisque privilegiis consutum nullus prorsus ignorat, multa alia suppetunt regiae huius Imperatoris erga nos beneficentiae monumenta, ac praesertim saluberrimae leges pertinentes ad Fidei nostrae incrementum: de quibus ne prolixe de Constantino disserens graviora videar praetermisisse, pertractabo in praesentia, ea methodo, ut primo quae ad evertendam idololatriam, templaque attinent erigenda, deinde quae latae fuere pro Clericis, postremo autem loco quae spectant ad Christianae Reipublicae incolumitatem, historica narratione commemorem. CAPUT XV.

II. Ubi itaque Constantino supernum Gratiae lumen affulsit, & Christi religionem veram esse mirabili Crucis apparitione cognovit, serio de evertenda idololatria, & superstitione abolenda cogitavit. Atque ut mittam quae ex Actis Silvestri Graeco conscriptis (quae subdita esse non dubito) prodit lib. 7. cap. 34. Nicephorus, Constantinum, dum Romae commoraretur, convocato Senatu in Basilicam Ulpiam, sitam olim in Foro Traiano, sanxisse ne in posterum dii esse dicerentur, vel crederentur, utque omnes Christum tanquam verum Deum regnantem in coelis adorarent & colerent, Senatores vero summopere illi esse adversatos, quod eum viderent religionis patriae desertorem; sed populum incredibili perfusum laetitia, quadragies Deum Christianorum verum esse Deum exclamasse: ut, inquam, haec omittam; servavit nobis diligentia Eusebii lib. II. cap. 47. Vit. Constantini huius Edictum ad Provinciales omnes Orientem incolentes, ubi execratur impiam oraculorum Apollinis divinationem, quam appellat vim quamdam adulterinam & adumbratam, per quam Ethnici in errorem inducebantur; damnat illatos Martyribus cruciatus; & vult liberam cuique esse facultatem Christianam religionem amplexandi. Addit eodem libro Eusebius leges promulgatas, ne quisque vel statuas erigere, vel supervacaneas divinationes moliri, vel idolis sacrificare auderet, Templa autem Christianorum ubique gentium erige-

II. Leges adversus Idololatriam factis corroboratae.

rentur, atque ea de causa pecuniis largiendis minime parceretur; easque e regio etiam thesauro promerentur, datis insuper ad omnes Ecclesiarum praesides amplissimis litteris, quarum exemplar profert eo loci doctissimus Eusebius? Noc solis decretis, imperatoriisque sanctionibus, verum etiam re & exemplo Christianam religionem promovere studuit Augustissimus Imperator. Enim vero praeter idolorum simulacra ludibrio spectatorum exposita, ut dixi pertractans de Encaeniis Vrbis Constantinopolitanae, dirutum est Constantini iussu celeberrimum Templum Veneris collocatum inter arbusta in summo vertice montis Libani, ubi pudore prorsus exuto viri ac mulieres daemonem turpissima colebant libidine: deiectum aequatumque solo delubrum Aesculapii apud Aegeas, ubi Ethnici gloriabantur hominum corpora a numine ibidem noctu apparente liberari a qualibet infirmitate; sublatum quoque Pan illum multorum ore celebratum, quem Pausanias Lacedaemonius, & civitates Graeciae post bellum contra Medos dedicaverant: & ne persequar singula profanorum numinum fana, omnia claudi & everti iussit religiosissimus Constantinus, ut scribunt Hieronymus in Chronico ad annum 329. Theodoritus lib. v. Hist. cap 21. Orosius lib. VII. cap. 28. necnon Eunapius in Vita Aedesii, atque ipsemet Constans filius Constantini lege 2. de Paganis tit. 6. Cod Theodos. promulgata *Marcellino & Probino Coss.* ideft anno 341. & lege eiusdem Principis de Sepul. Viol. tit. laudati Codicis, emanata *Coss. Fl. Valerio Dalmatio & Marco Aurelio Zenophilo*, videlicet anno 333. Dirutis vero templis idolorum, & superstitiosis sacrificiis inhibitis, quis oratione complecti potest sedulam operam, & prope divinam munificentiam, qua Constantinus Christianorum Ecclesiis aedificandis incubuit? In sola enim urbe Roma (neque enim repetam sacra Constantinopolis aedificia) construxit Basilicam Principis Apostolorum, cuius etiamnum pars superest in Vaticano, alteram S. Crucis in atrio Sessoriano, ubi prius colebantur Veneris & Cupidinis simulacra, tertiam S. Martyris Agnetis, in qua Constantia eius soror, una cum filia eiusdem nominis suscepit baptismum, quartam S. Laurentii in Agro Verano prope viam Tiburtinam; ac praeterea Ostiensem, Albanensem, Capuanam, Neapolitanam, celeberrimam in Galliis S. Mariae descriptam a Gregorio Turonensi de Gloria Martyrum cap. IX. Hierosolymitanum Templum Resurrectionis, Martyrion a Cyrillo Catech. 14. appellatum, amplissimum in monte Olivarum nomine matris suae Helenae, tectumque auro & argento in eiusdem Helenae memoriam ad sacrum Bethlemiticum antrum; aliaque plura, quae amplo volumine descripsit, illustravitque vir eruditissimus Ioannes Ciampinus.

III. *Constantini leges pro Clericis.*

III. Iamvero, quoniam ex dictis inferri potest Imperatoris Constantini studium, pietas, ac magnificentia in construendis Ecclesiis, ad latas pro Clericis leges sermonem convertamus necessum est. Imprimis anno 313. tertium cum Licinio gerens Consulatum, dum moram ageret Me-

Mediolani litteras dedit ad Anulinum praefectum Africae, productas ab Eusebio lib. x. Hist. Eccl. cap. 5. quibus iussit, ut a decurionibus, aut quibuslibet aliis bona Ecclesiarum detinentibus confestim earumdem Ecclesiarum rectoribus restituerentur, novisque beneficiis cumulans Ecclesiasticum ordinem, Clericos ab omnibus publicis functionibus declaravit immunes, allata hac ratione: *Ne errore aliquo, aut casu sacrilego a cultu summae Divinitati debito abstrahantur, sed ut potius absque ulla inquietudine propriae legi deserviant: quippe his summam venerationem divino Numini exhibentibus, maximum inde emolumentum videtur accedere*. Praeterea Crispo Caes. & Constantino Caes. II. Coss. nempe anno 321. promulgavit legem, qua unicuique datur licentia, ut decedens Ecclesiae, huiusque administris quidquid optat, relinquat: quae lex est 4. de Episcopis & Ecclesiis lib. XVI. Codicis Iustiniani. Adhaec Coss. Gallicano & Symmacho, anno scilicet 330. Sardicae Nonis Februariis edidit Rescriptum ad Praefectum Numidiae, quod legitur in eodem Cod. Theod. l. 7. de Episcopis: *Lectores divinorum apicum, & Hypodiaconi, ceterique Clerici, qui per iniuriam haereticorum ad Curiam devocati sunt, absolvantur. Et de cetero ad similitudinem Orientis, minime ad Curiam evocentur, sed immunitate plenissima potiantur*. Quum praeterea lege Papia caelibes non possent ex aliorum testamentis quidquam percipere, nisi intra diem centesimum contraherent matrimonium, quod & clericis & virginibus votum continentiae concipientibus adversabatur; Constantinus cum sexies esset Consul cum Constantino Caesare filio suo, nempe anno 320. legem tulit, qua Papia abrogatur, caelibesque aequam capessendi conditionem habent, ac si matrimonii foedere fulcirentur. Atque his, aliisque quantum Constantinus Augustus Clericorum consuluerit honestati, poterit quam facillime unusquisque percipere; me enim properans ad finem oratio compellit, ut ceteris omissis, leges nonnullas ad communem omnium Christianorum tranquillitatem pertinentes recenseam.

IV. *Communes Christianis omnibus leges.*

IV. Inter istas merito principem tenet locum Edictum promulgatum Mediolani Constantino & Licinio ter Coss. idest. anno 313. Idibus Ianuariis, quo Christianis restituit pristinam religionis libertatem, iisque amotis omnibus conditionibus indulsit, ut suum institutum citra omnem inquietudinem & molestiam servarent, iussitque ut illis omnia loca, ad quae convenire consueverant, absque ullo praetio, & citra ullam prorsus ambiguitatem & controversiam redderentur; quo Edicto, exstante apud Eusebium lib. x. Hist. Eccl. cap. 5. ac materna lingua, qua editum fuit, apud Lactantium de Morte Pers. cap. 48. apparet quando cessavit immanissima persecutio, & Ecclesiae pacis lucidissimum sidus affulsit. Sequitur lex emanata pro Confessoribus, qui persecutionis tempore vel ad metalla damnati fuerant, vel in insulas deportati, vel publicis mancipati operibus, ut subito

to libertatem adepti, & expertes cuiuslibet ignominiae, propria recuperarent officia, & pristino honoris gradu fruerentur, vel si quietam vitam agere mallent, immunes deinceps ab omnibus functionibus permanerent: quae legi possunt apud praelaudatum Eusebium lib. II. Vitae Const. cap. 2 Commemoranda demum est de sublevandis omnibus egenis lex praeclarissima, promulgata Romae pridie Nonas Iulias Probiano & Iuliano Coss. nimirum anno 322. ut quisquis reperiretur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, antequam calamitati fiat obnoxius, adiuvetur per Fiscum, ut videre est in Codice Theod. l. 2. de Alim. His ergo legibus saluberrimis, aliisque pluribus latis pro aequitate & iustitia, contra Gladiatorum insaniam, contra avaritiam Praefectorum, contra Gentilium turpitudines & sacrificia, contra Augurum divinationes, contra eos qui constante matrimonio retinent concubinas; necnon de die Solis sanctificando, atque de tollendo Crucis supplicio, quo olim a Romanis plectebantur malefici, tanta erga nos clementissimus Imperator liberalitate, beneficiorumque amplitudine se gessit, ut nullus eum superare possit, sive quae pro Dei cultu, & religionis Christianae incremento sancivit, sive quae pro Clericorum immunitate & decore, sive quae pro totius Reipublicae incolumitate, & salute, attendantur: de quibus hactenus.

De inventione Crucis, & de S. Helenae obitu.

CAPUT XV. I. TEMPLA, quae Imperator Constantinus regia & augustissima munificentia construxit, mihi superiori praelectione commemoranti, occurrerunt memoriae, quae Helenae piissimae Matris suae nomine Ierosolymis, & aliis Palaestinae locis aedificari curavit. Hinc vero rursus de Helena pertractandi, de qua post legitima eius connubia vindicata prorsus siluimus, exhibetur occasio, nec omnino importuna, quum nondum egerimus de Inventione SS. Crucis, quae tempore Constantini, & ipsius Helenae opera dicitur contigisse. Hoc itaque erit huius Exercitationis argumentum, quo sufficienter exposito, pauca de Helenae obitu subiiciemus.

II. *Argumenta, quae Crucis inventionem oppugnare videntur.*

II. Nihil est apud nos vulgatum magis ac notum, quam imperante Constantino Ierosolymis salutiferam Christi Crucem fuisse adinventam, quod Romana Ecclesia etiam solemni celebritate commemorat V. Nonas Maias, ut app.. et ex Latinorum Martyrologiis. Id tamen ab iis, qui maiorum nostrorum traditiones irrident, in dubium vertitur, & quidem momentis compluribus, quae primo adspectu videri possunt gravissima ac difficillima. Quorum primum petitur ex silentio Eusebii, qui etsi res sub Constantino gestas accurate descripserit, & Historiam Ecclesiasticam magno studio collegerit, Helenam quoque summo prosecutus fuerit honore, de Crucis tamen inventione silen-

filentium habet altiffimum. Accedit alterum depromptum ex filentio ipfius Conftantini, qui fcribens ad Macarium Ierofolymorum Epifcopum epiftolam, quae exftat apud laudatum Eufebium lib. III. Vitae Conft. in laudes erumpit reperti nuper Sepulcri Dominici, nulla facta Inventae Crucis mentione. Illud enim non levem fcrupulum inicit, quod Graeci inventionem Crucis non habent in Menologiis, fed tantummodo Exaltationem xviii. Kalendas Octobris. Vlterius Hiftoriam de S. Crucis Inventione reicit, vel faltim dubiam declarat S. Gelafius Papa in Concilio Romano cap. de Authenticis & Apocr. libris, five dift. 15. Gratiani, ubi legitur: *Item Scriptura de Inventione Crucis Dominicae, & alia Scriptura de Inventione Capitis Ioannis Baptiftae, novellae quaedam revelationes funt, & nonnulli eas legunt: fed cum haec ad Catholicorum manus adveniunt, beati Pauli Apoftoli praecedat fententia: Omnia probate, quod bonum eft, tenete*. Maiorem adauget fufpicionem diverfitas narrationis; nam S. Paulinus Nolanus Epifcopus in epiftola II. ad Severum, & Sulpitius lib. II. Hift. Sacrae tradunt repertis Chrifti & latronum crucibus, dominicam innotuiffe refurrectione extincti cadaveris illi admoti; Rufinus autem, Theodoretus, Socrates, & Sozomenus narrant, non mortuum revocatum fuiffe ad vitam, fed mulierem feminecem priftinae reftitutam incolumitati. Poftremo abhorret a vero, Crucem Domini una cum crucibus latronum fuiffe conditas: neque enim eas fimul terrae mandarunt Iudaei, quoniam ii cadavera damnatorum fepeliebant una cum inftrumentis fupplicii, nullaque mortuorum offa inerant in loculo, unde cruces dicuntur defoffae: neque illas fimul condiderunt Romani milites, qui Iudaeorum confuetudinem fepeliendi inftrumenta fuppliciorum nequaquam fervabant. Inventam itaque Crucem fub Conftantino, ac trecentis annis in tumulo absque putredine fuiffe fervatam, negant praemiffis cavillationibus heterodoxi.

III. *Afferitur SS. Crucis Inventio.*

III. Verum perdifficile non eft veritatem eiusdem inventionis fuadere, & haereticorum refellere obiectamenta. Extremae etenim dementiae eft praefracte id negare, quod unanimiter tradunt Hiftorici: Sanctiffimae autem Crucis Inventionem narrant Rufinus lib. I. cap. 7. & 8. Severus Sulpitius lib. II. Theodoretus lib. I cap. 18. Socrates lib. I. cap. 13. Sozomenus lib. II. cap. I. & Nicephorus lib. VIII. cap. 29 Quibus fruftra opponitur difcrepantia in miraculo, quo Crux Dominica innotuit, enarrando, cum tefte praelaudato Nicephoro utrumque contigerit, fanitas nempe mulieris feminecis, & extincti cadaveris refurrectio. Deinde demonftratur eadem S. Crucis Inventio PP. locupletiffimis teftimoniis, Cyrilli Ierofolymitani, Ioannis Chryfoftomi, Ambrofii, atque Paulini; ceteros enim iuniores brevitatis gratia praetermittimus. Et Cyrillus quidem, qui fuit fub Macario Diaconus, florutque eo tempore, quo Helena adiit Hiero-

Hierosolymam, in epistola scripta anno 351. ad Constantium, ut illum certiorem redderet admirabilis Crucis apparitionis, quae contigit Ierosolymis, in coelo splendidissime refulgente, inquit: *Ac tempore quidem dilectissimi Deo, ac beatae memoriae Constantini patris tui, salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est*. Quis vero Cyrillo haec scribenti ad Augustum de ligno Crucis aetate sua, atque in eadem urbe adinvento, detrahere fidem audebit? Chrysostomus quoque oratione 84. in Ioanne, *Cum tres Cruces*, inquit, *inventae essent, par est, & quia media erat, & propter titulum, Domini Crucem agnitam, nam latronum cruces titulum non habebant*, ubi, etsi Chrysostomus quomodo Crux distincta fuerit non singificat, atque opinatur agnitam fuisse ex titulo, Inventionem tamen tanquam rem certissimam exploratissimamque commemorat, & idcirco laudat Titulum, quoniam de Titulo orationem instituit. Ambrosius idem ac Chrysostomus refert in funere Theodosii, sed stilo fusiori: *Venit ergo Helena*, inquit, *coepit revisere loca sancta; infudit ei Spiritus ut lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pungnae, ubi est victoria! Quaero vexillum salutis, & non invenio*: Et infra: *Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quae ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta haeret mulier: sed certam indaginem Spiritus Sanctus inspirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quaerit ergo medium lignum: sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem: invenit quod in medio patibulo praelatus erat titulus*, I. N. R. I. *Hinc collecta est series veritatis: Titulo crux patuit salutaris*. Meminit etiam clavorum, quos Helena misit ad filium: sed de his diximus in Historia Evangelica. Paulinus autem in praecitata ad Severum Epistola narrat, Helenam Christianos doctrina ac sanctitate plenos viros, & nonnullos quoque peritissimos Iudaeorum propriae, de qua gloriantur, impietatis iudices, accitos Ierosolymam congregasse: omnium una de loco testificatione confirmata, iussisse operam effossionis accingi: tres pariter repertas cruces, quae Domino & Latronibus fixae steterant: gratulationi anxiam accessisse dubitationem, ne forte pro Cruce Domini eligeretur latronis patibulum: illatum deinde cadaver recenter mortui, & ad salutaris Ligni contactum, morte profuga, funus excussum, & corpus erectum. Vides & Patres & Historicos in Inventionis narratione convenire, quamquam discrepare videantur in Crucis agnitione, num adpositione Tituli, num resurrectione mortui, num alio miraculo facta fuerit: quae tamen facile conciliantur, neque enim simul evenisse repugnat.

IV.

IV. *Solvuntur obiectiones.*

IV. Neque aliquid negocii faceſſunt adverſariorum cavillationes. Nam primum petitum ex ſilentio Euſebii retorquetur in ipſos oppugnatores: ſiquidem licet de Inventione Crucis non loquatur in Vita Conſtantini, in Chronicis tamen ait: *Helena Conſtantini mater, divinis admonita viſionibus, beatiſſimum Crucis lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Ieroſolymam reperit*. Quae verba ſunt quidem in aliquo Codice male collocata ad annum Conſtantini 15. quum ad annum 25. aut 26. potius ſint referenda, ſed germana eſſe, non inſititia fatentur quoque Centuriatores Magdeburgenſes. In epiſtola etiam ad Macarium videtur Conſtantinus huius Inventionis meminiſſe, dum ait iam illuceſcere ſervis Dei *inſigne illud ſanctiſſimae Paſſionis monimentum, quod terrae viſceribus abditum tot, tamque multis annorum converſionibus delituerat*: quae verba doctiſſimus Bellarminus lib. II. de Imag. cap. 27. accommodat Cruci; quamquam enim Baſnagius more ſuo, procaci ſcilicet atque impudenti ad annum 326. num. 9. ſcribit: *Intolleranda haec eſt Bellarmini ſive inſcitia, ſive audacia, dum e ſepulcro Crucem fabricat*. Nihilominus neminem ignorare puto, ſepulcrum non eſſe *monimenta paſſionis*, ſed monumenta cadaverum. Graeci autem ideo in Menologiis ſtata die Crucis Inventionem non habent, quoniam illam adnumerant inter Feſta mobilia; celebrant enim tertia die a Reſurrectione Domini reſurrectionem Crucis, quae e terra ſurſum emergens, coepit miraculis corruſcare: exſtatque de ipſa Crucis reſurrectione inſignis Oratio Sophronii Epiſcopi Ieroſolymitani, quam latine edidit Achilles Statius. Cetera autem obiecta non moror: non depromptum ex decreto Gelaſii & ex diſt. 15. quoniam eo tantum monemur, ut novellas hiſtorias, quarum prodeunt ſaepenumero plurimae, ad trutinam revocemus, atque ad Eccleſiae traditionem, tanquam ad Lydium lapidem expendamus: non Auctorum diſcrepantiam, quoniam haec, ut vidimus, nulla eſt, ac ſi etiam aliqua in re diſſentirent, nos ea, in quibus conveniunt, non in quibus diſcrepant, approbamus: non morem ſepeliendi Iudaeorum, nam quis latronum cadavera crucesque condiderit, & num in loculo, unde effoſſae ſunt iſtae, reperta ſint oſſa, nemo eſt qui affirmet, nemo qui neget: non demum ligna a putrefactione ſervata, ſiquidem cruces compactae erant e quercu duriſſima, tumuli in Golgotha petroſi & aridiores, & voluntas Numinis ea incorrupta ſervavit, ut hanc Inventionem illuſtriori miraculo decoraret. Haec de SS. Crucis Inventione.

V. *De obitu S. Helenae.*

V. Dicamus perpauca de S. Helenae obitu. Quo anno deceſſerit, incertum penitus; non enim Euſebius illius mortem deſcribens, notam Conſulatuum adpoſuit. Ait duntaxat, Helenam octogeſimum fere annum aetatis ſuae confeciſſe, ideſt, ſeptuageſimum nonum expleſſe, ut lib. VIII. c. 31. ait Nicephorus. Romae e vita migravit, extra urbem Via Lavicana, in Baſilica SS. Marcellini, & Petri, marmo-

mo-

moreo Mausoleo recondita. Splendidissimis condecorata fuit exequiis, quales decebant tanti Imperatoris parentem. Impressa aurea numismata cum eius effigie, quibus appellata etiam post mortem *Diva, Augusta, Imperatrix*. Vrbs quoque Drepani, in eius honorem *Helenopolis* appellata, ita & *Helenopontus*, ut habetur in Novella Constitut. 28. Post biennium una cum urna Constantinopolim delata fuit, ubi erecta sacra Helenae aedes, maiori Templo coniuncta: de qua Iustinianus Imperator in Authentic. Coll. 1. tit. 3. Falli propterea arbitramur Sigebertum, qui ad annum 849. scribit, sacrum Helenae corpus a Theagiso Monacho Roma in Rhemensem dioecesim fuisse translatum. Constantinopoli asportatum Venetias traditur. S. Helenae memoria in Martyrologiis Bedae, Vsuardi, Adonis, & Ecclesiae Romanae colitur XV. Kalendas Septembris; apud Graecos autem XII. Kalendas Iulias.

Fuerit ne Constantinus primus Imperator Christianus.

CAP. XVII. I. ENARRATIS hactenus rebus gestis ab invictissimo, felicissimo, augustissimoque Imperatore Constantino, eiusque piissima, & beatissima matre Helena, cuius superiori Exercitatione obitum commemoravimus; nihil expendendum superest de hac, in qua versamur, Exercitationum Historicarum secunda parte, nisi gravis, & in utramque partem agitata controversia: An ex Romanis Imperatoribus praelaudatus Constantinus fuerit revera primus, qui Christo nomen dederint, atque Orthodoxam amplexi sunt religionem. Sunt enim plerique viri doctissimi existimantes primum Imperatorem Christianum fuisse Marcum Iulium Philippum Traconitidem: qui anno Christi 244. *Coss*: *Peregrino & Fulvio Aemiliano*, trucidavit Gordianum, & eius loco arripuit Imperium: anno autem V. C. 1000. Chr. 227. ludos seculares magna pompa celebravit, adscito in consortium imperii, & Augusti appellatione condecorato filio decenni, cui pariter Iulii Philippi nomen accesserat, ut duobus Augustis, Patre, atque Filio imperantibus, iidem ludi maiori solemnitate agerentur. In hac vero dilucidanda quaestione, primum quae pro Philippo militant, deinde quae pro Constantino, producam; ac tandem quae mihi arrideat sententia, liberrime pronuntiabo.

II. *Momenta, quae demonstrant primum Imperatorem Christianum fuisse Philippum.*

II. Ac Philippum fuisse Christianum, principio demonstrant *Acta S. Pontii Martyris* a Valerio eius contubernali conscripta, edita vero emendatiora a Stephano Baluzio in 2. Miscellaneorum volumine: in quibus Actis legitur, Pontium, dum illum Philippi ad sacrificandum Idolis invitarent, Christum illis felici eventu annunciasse, adeo ut a Fabiano Romano Pontifice iidem Augusti principes

cipes regenerati fuerint baptifmi falutari lavacro. Traduntur vero fimilia in *Actis Domnini Martyris* editis a Mombritio, ubi Conftantinus dicitur primus poft Philippum, a Fabiano baptizatum, Chriftianus effectus. Atque haec quidem Acta fi genuina forent, rem aperte conficerent; fed illorum auctoritas a Criticis compluribus excutitur, & parvipenditur. Sequitur teftimonium Eufebii, qui lib. VI. Hift. Eccl. cap. 34. ait, *Philippum una cum filio, uti Christianum*, κατέχει λόγος, *fama eft, in poftrema Pafchae vigilia precationum in Ecclefia participem fimul cum reliquo populo fieri voluiffe*. Quamquam vero hoc in loco Eufebius folam famam laudat, tam ficti tenacem, quam veri nuntiam; demonftrat tamen vigentem aetate fua de fide Philippi opinionem, ac praeterea verba illa, *fama eft*, ad precationes in Ecclefia cum multitudine factas, non ad Chriftianam Philippi fidem, funt referenda. Idem Eufebius citato lib. VI. cap. 36. laudat Origenis epiftolas ad Philippum, & ad coniugem fuam Severam: ex quibus perlectis tam Hieronymus de Script. Eccl. cap. 53. quam Vincentius Lirinenfis cap. 17. Commonitorii, Philippum Chriftianum effe non dubitarunt, ac Hieronymus in eo folummodo lapfus eft, quod Severam Philippi coniugem, matrem illius appellavit: quod indicio eft, non ex hiftoria Eufebii de his epiftolis Hieronymum pertractaffe, fed illas ipfummet perlegiffe. Ne autem ftatim ab Eufebio difcedamus, in Chronico ad annum 246. inquit: *Philippus Philippum filium fuum confortem regni fecit, primufque omnium ex Chriftianis Imperatoribus Chriftianus fuit*, & ad annum 252. *Decius cum Philippum patrem & filium interfeciffet, ob odium eorum in Chriftianos perfecutionem movet, qua Laurentius Diaconus Romae martyrium pertulit*: quae funt iis, quae ex hiftoria proferebantur, lucidiora. Accedit ingens Hiftoricorum numerus, qui unanimi confenfu Philippum Chriftianum dixere, Orofius lib. VII. cap. 20. Auctor Chronici Alexandrini, Caffiodorus & Ifidorus Hifpalenfis in Chronicis, Haymon lib. VI. hift. cap. 11. Ado Viennenfis in 6. M. Aet. Hermannus Contractus ad annum 247. Nicephorus Calliftus lib. V. cap. 25. M. Antonius Sabellicus in Aen. 7. lib. VII. Baronius ad annum 246. Severinus Binius in Notis ad Vitam Fabiani, Ioannes Ciampinus in differt. de duobus Emblematibus, Daniel Huetius in Origenianis lib. I. cap. 3. Nat. Alex. in Hift. Eccl. 3. faeculi cap. ultimo. Quid fingulos commemoro, vobifque aures vellico? Philippum fuiffe primum Imperatorem Chriftianum tradunt Hiftorici, & Scriptores praeftantiffimi propemodum infiniti.

III. *Agitur de Conftantino.*

III. Contra, primum Romanorum Imperatorum, qui crediderunt in Chriftum, fuiffe Conftantinum, videtur apertiffime afferere ipfemet Eufebius, quem paullo fupra pro fententia oppofita laudavimus: is enim in Vita Conft. lib. IV. cap. 62. aperte tradit, *Eum fo-*

lum ex omnibus, qui unquam fuerunt, Imperatoribus, in Christi martyriis renatum & consummatum esse. Expressius id commonstrat Lactantius Firmianus ita Constantinum alloquens initio divinarum Institutionum, *Qui primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis & veri & cognovisti & honorasti*. Lactantio consentit Severus Sulpitius haec scribens lib. II. Hist. Sacrae: *Tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum principum Christianus fuit*. Ambrosius item in Orat. de Obitu Theodosii, alias serm. 34. de Constantino inquit: *Quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit*. Quibus similia tradunt Theodoretus lib. v. H. E. cap. 39. Epiphanius Diaconus Act. 6. Conc. 2. Nicaeni, aliique viri gravissimi. Quorum auctoritate permoti, fretique potissimum ea ratione, quod Philippus anno 247. Ludos seculares celebravit, qui absque idololatria minime peragebantur, negant illum Christianum fuisse, atque hunc honorem primum inter Caesares Constantino adtribuendum esse contendunt, Pomponius Laetus in Epitome Vitarum Caesarum, Iosephus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, Sethus Calvisius ad annum 246. Samuel Basnage ad an. 244. num. 7. & 8. Spanhemius dissertatione 9. de praestantia & usu numismatum, pluraque adducit in sua Critica ad annum 247. eruditissimus Antonius Pagius, quae hanc opinionem confirmant, demonstrantque, saltim ante saeculares ludos Philippum religionem Christianam minime fuisse amplexatum. Sed legite de hoc argumento Cl. Viri, & Collegae nostri Thomae Vincentii Moneliae, quem honoris caussa nomino, perpolitam, numerisque omnibus absolutam dissertationem.

IV.
Eligitur Sententia media.

IV. Inter has duas sententias arridet mihi summopere media, quam propugnant Huetius, Alexander, Vekenius, aliique Viri doctissimi, asserentes Philippum a S. Fabiano utique fuisse initiatum sacris Baptismi undis, sed occulte, ne res suae aliquid caperent detrimenti, atque ea de caussa sese coram populo tanquam cultorem idolorum gessisse, religionemque occultasse; Antiochiae autem, ubi ingens erat Christianorum multitudo, sub Babyla Episcopo, etiam inter lapsos, & in ordine poenitentium stetisse, & facta exomologesi precationum in Ecclesia fuisse participem, procul tamen a Romanorum conspectu, in medio Christianorum coetu, & detractis Imperatoriis insignibus; si tamen verum est, quod Eusebius vociferante fama intellexit, vulgavitque in sexto Eccl. Historiae libro. Si enim Philippus palam religionem Christianam professus esset, non id latuisset Scriptores Ethnicos, nec Lactantius Severus, Sulpitius, aliique praelaudati publica monumenta, notissimisque historias sectantes, scripsissent Constantinum fuisse primum Principum Romanorum, qui Christi fidem susceperint. Alia autem ex

par-

parte, nisi Philippi religio ac baptismus quibusdam innotuisset, non id litteris prodidissent doctissimus Eusebius, S. Hieronymus, S. Vincentius Lirinensis, quos deceptos fuisse Origenianis ad Philippum, & ad Severam epistolis, eumdemque Imperatorem inter Christianos connumerasse, eo tantum indicio adducti, quod ad illum litteras dedit Origenes, nunquam mihimet persuadeam, cum ea ratio frivola sit, & neminem, qui mente penitus non careat, possit quomodolibet permovere; propterea quod & Iustinus Martyr, & Apollinaris Hieropolitanus, & Theophilus Antiochenus, & alii permulti ad Imperatores Idololatras scripsisse dicuntur, ac ulterius potuerit Origenes Philippo de studio ac favore in Christianos agere gratias: ideoque vel in epistolis Origenis occurrebant religionis Philippi apertiora argumenta, vel certe non illinc, sed aliunde Hieronymus, & Vincentius eamdem Philippi religionem deprehenderant. Vitat vero media haec sententia superiora argumenta facillime: quippe Eusebius lib. IV. Vitae Constantini cap. 62. ait, hunc principem omnium Imperatorum primum renatum & consummatum *in Christi Martyriis*, idest, in Ecclesia, in omnium conventu, solemnibusque ceremoniis administrato sibi baptismate: quae utique baptismo clam e manibus Fabiani suscepto a Philippo non adversantur: ac Lactantius, Sulpitius, Ambrosius, aliique eatenus docent, Constantinum primum Romanorum Principum credidisse in Christum, eumque honorasse, & magni meriti locum reperisse; quoniam non erubuit Christi crucem, non occultavit religionem, non simulavit fidem, sed Salvatoris nostri praeceptum illud implevit: *Qui me confessus fuerit &c.* De Ludis autem secularibus, quibus videtur haec sententia nostra oppugnari, nec non de aliis adversus illam oppositionibus, agendum Exercitatione proxima.

Obiecta adversus praecedentem Exercitationem.

I. ANTE Fl. Constantinum credidisse in Christum, saltem occulte, Imperatorem Philippum praecedenti Exercitatione affirmabamus. Sed in contrarium urgeri possunt non contemnenda momenta, quorum praecipuum est, a Philippo Ludos seculares indictos, celebratosque fuisse. Ex Romana Historia accepimus post Christum natum istiusmodi Ludos celebrasse Claudium, se quater, & L. Vitellio Coss anno V.C. 800. Ae. Ch. 47. deinde Domitianum, dum gereret Consulatum XIV. cum L. Minucio Rufo, anno V. 841. Dionysiano 88. postea Severum & Antoninum Caracallam, Coss. L. Fabio & Annio Libone, anno V. C. 957. Christi 204. ac tandem Philippum, se iterum cum Philippo Caesare Coss. nempe anno Urbis 1000. & Vulgaris Aerae 247. vix quadragesimo tertio anno a praecedentibus Lu- CAP. XVIII.

 dis

dis transacto. Iam vero quam gravis hinc adversus Christianam Philippi religionem difficultas emergat, animis haud invitis attendite.

II. *Argumentum ex Ludis Secularibus depromptum.*

II. Quomodo, inquiunt, Christiana religio cum Ludis secularibus potest consistere? Hi ludi absque immolatione victimarum minime peragebantur, iuxta traditum ab Oraculis ritum,

Ast ubi mortalis longissima venerit aetas,
Vitae centenis denis redeuntibus annis,
Sis, Romane, memor, nec te ulla oblivio fallat,
Sis memor ut facias diis immortalibus, illo
Rem sacram in campo:

quem pristinum ritum servasse Philippum tradunt Victor Aurelius, & Iulius Capitolinus: quorum primus de Caesaribus cap. 28. ait: *Philippum ludis omnium generum annum Urbis millesimum celebrasse, & Pontificum lege hostias fuisse mactatas*: Alter in Gordiano cap. 33. inquit: *Fuerunt sub Gordiano Romae Elephanti 20. & 2. alces 10. tigres decem, leones mansueti 60. leopardi mansueti 30. belbi, idest, hyoenae, 10. Gladiatorum fiscalium paria mille, Hyppopotamus, & Rhinoceros unus, Archoleontes 10. Camelopardali 10. Onagri viginti, equi feri 40. & cetera huiusmodi animalia innumera & diversa, quae omnia Philippus Ludis secularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & praeterea efferas, parabat ad triumphum Persicum; sed votum publicum nihil valuit: nam omnia haec Philippus exhibuit secularibus ludis, atque Circensibus, cum millesimum ab V. C. annum in Consulatu suo, & filii sui celebravit:* His consentit Eusebius scribens in Chronico: *Ob quam solemnitatem innumerabiles bestiae in Circo magno interfectae, Ludique in Campo Martio Theatrales tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante, celebrati.* Huius argumenti haec summa est: Dici nequit Christianus, qui ludos seculares cum immolatione victimarum celebravit: Philippus Ludos, &c. Ergo, &c.

III. *Solvitur precedens argumentum.*

III. Nulla foret huius argumentationis vis, si eam sententiam amplecteremur, in quam inclinat Antonius Pagius. Philippum Christo nomen dedisse Ludis transactis: sed respondendum arbitramur, Philippum spectacula duntaxat theatralia populo exhibuisse absque cultu idolorum, & sacrilegis victimarum immolationibus. Ac primum id affirmo innixus testimonio Orosii lib. VII Hist. scribentis: *Immolatas ex more hostias nullus auctor ostendit*, Actorumque S. Pontii Martyris, quae edidit Cl. Baluzius, *Sacrificia idolorum* (dico Philippi) *declinantes, spectacula tantum pro conclusione millesimi anni, quo natalem urbis celebrabant, fieri imperarunt*. Est etiam doctissimorum Virorum sententia, Zosimum lib. II. cap. 4. ubi ludos celebratos pro incolumitate reipublicae recenset, exhibitos a Philippis praetermisisse, quod facti essent absque illa solemnitate sacrificiorum, a qua putabant inco-

incolumitatem Romanae Vrbis pendere. Praeterea non video, quomodo ex Victore & ex Iulio Capitolino immolata sacrificia inferantur. Victor celebratos dicit ludos omnium generum, quod intelligi potest, quantum ad theatralia spectacula. Addit quidem denuntiatum eo tempore prodigiis portentisque, maiorem curam habendam esse Romanae civitatis, quoniam, *Cum pontificum lege hostiae mactarentur, suis utero maris feminarum genitalia apparuere:* Sed non ait, victimam illam iubente Philippo, vel in triduo Ludorum fuisse immolatam: immo scribit, Philippum, cum haruspices ex illo ostento portenderent vitia in posterum potiora, honestissimam legem de pueris meritoriis removendis tulisse. In Epitome autem idem Victor cap. 28. scribit, *Philippum patrem ludis secularibus petulantius cachinnantem, filius quamquam adhuc tener, vultu notavit aversato.* Quae commonstrant Philippum etiam ea spectacula vehementer irrisisse. Ex Iulio autem Capitolino nihil aliud inferes, nisi ingentem multitudinem bestiarum, quas occidit in Circo, non immolavit ad aram: cumque eaedem bestiae paratae essent ad triumphum Persicum, in quo profanis Numinibus vota solvenda erant, maluit Philippus ut ludis destinarentur, quam triumpho, id, quod religiosum illius animum manifestat. Neque in tanto animalium numero commemorat Capitolinus oves, capras, boves, anseres, ac praesertim sues, aprosque, solitos in Ludis secularibus immolari, ut ostendunt Septimii Severi numismata; sed belluas tantum maiores, ad spectaculorum, ludorumque pompam reservatas. Sed de Ludis secularibus, & deprompto ex illis argumento, dictum satis.

IV. Nunc ad aliud proponendum, solvendumque accedamus oportet. Nulla, qui Philippum fuisse Christianum negant, pergunt ratiocinari, nulla fulcitur auctoritate sententia, adstruens eiusdem Philippi Christianam professionem. Quicumque enim huic sententiae adhaesere, illam ex historia, & ex Chronico Eusebii excripserunt. At quid in Historia Eusebius? *Hunc* (ait de Philippo lib. VI. cap. 34.) *habet fama, Christianum existentem, in postrema Paschae vigilia precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse.* Nihil eo loci praeter famam, vulgique rumorem. In Chronicis habentur utique apertiora, sed ea fortasse inseruit Hieronymus, qui eidem Chronico plura adiecit, ut ipsemet testatur in praefatione: At Hieronymus, inquit Scaliger, deceptus est verbis, quae Graece leguntur de Origene apud eumdem Eusebium lib. VI. cap. 36. φέρεται δὲ αὐτοῦ, καὶ πρὸς αὐτὸν βασιλέα Φίλιππον ἐπιστολὴ, καὶ ἄλλη πρὸς τὴν τούτου γαμετὴν Σευήραν. Quae totidem verbis Hieronymus prodit in Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo. Sed quanta fides debeatur Hieronymo constat ex eodem Catalogo, ubi de Seneca ait: *Quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illae epistolae provocarent, quae leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecae*

IV. *Profertur aliud argumentum.*

cae

cae ad Paulum . Quemadmodum de Conversione Senecae, ita de Conversione Philippi Imperatoris, Hieronymus falli potuit. Legito Antonium Pagium ad annum 244. num. 7. Proferuntur pro baptismo Philippi etiam S. Pontii Martyris Acta; Sed haec iudicio Criticorum existimantur supposita. Nullo ergo idoneo testimonio asseritur, Philippum Imperatorem fuisse Christianum.

V. *Obiectio diluitur.*

V. Ad haec respondemus, Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. 34. apertis rotundisque characteribus significare Philippum esse Christianum: ea enim verba, *Fama est*, si denotare velis auditionem incertam, ad publicas in Ecclesia precationes, impositamque Philippo a Babyla Antiocheno Episcopo poenitentiam, non ad eiusdem Philippi Christianismum referenda esse, demonstrat ipse orationis contextus. Quae vero habentur in Chronico ad annum 246. *Philippus primus omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit*, adeo aperta sunt, ut nequeant aliqua ratione convelli. Sed addidit, inquiunt, ista Hieronymus. Sit ita: Sed num Hieronymus dicendus est adeo imprudens, ut alieno Operi pro suo lubitu, nulloque fultus praesidio haec inseruerit? Deceptus est, regerunt, Epistolis ab Origene scriptis ad Imperatorem Philippum, huiusque uxorem Severam. Negamus nos, Hieronymum tam habetis fuisse ingenii, ut ex sola inscriptione Epistolarum Philippum existimaverit Christianum; eas ulterius perlegisse credimus, atque ex lectione validiora iis, quae titulus praefert, hausisse momenta. At repetunt, nonne consimili ratione lapsus est, dum Senecam inter Christianos, & inter Sanctos recensuit? Dissimilis prorsus est ratio, & retunditur, ac in adversarios telum hoc retorquetur. Ferebantur aetate Hieronymi in ore omnium Epistolae Pauli ad Senecam, & Origenis ed Philippum. Ille tamen apocryphae & suppositae, istae legitimae ac genuinae; Si primae germanae extitissent, recte Hieronymus ex illis percepisset Senecam esse Christianum; erravit autem, quoniam quae putabantur germanae, fictitiae erant, & subditae: Ergo, quoniam Epistolae Origenis ad Philippum commentitiae non erant, sed genuinae & germanae, lapsus in errorem non est, ex illis inferens, Christianum fuisse Philippum. Ex errore itaque Hieronymi obvio & excusabili, utpote nato ex Epistolarum Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum existimata germanitate, erui non potest error alter circa baptismum Philippi, quemadmodum ex aliqua interpolatione Actorum S. Pontii, non recte infertur, falsa esse quaecumque in iis continentur: plura enim etiam in apocriphis scriptis habentur, quae si aliunde comprobari valeant, magna temeritate negantur.

VI. *Duo alia obiecta eliduntur.*

VI. Obiiciebat praeterea Scaliger, magnam Christiano nomini irrogari iniuriam ab iis, qui latronem Arabicе, Domini sui Gordiani interfectorem inter Christianos connumerant. Addunt aliqui, utrumque Philippum, postquam ab exercitu occisi fuerunt, senior Veronae, & Iunior Romae, ambos, ut narrat Eutropius, relatos fuisse inter Divos:

vos: seniori etiam ter Consuli, idest, anno 248. procusos nummos, cum figuris ante aram sacrificantibus, & cum inscriptione, *Iovi conservatori*. Sed in his diluendis non immorabor; nemo enim ignorat, inter fideles principes extitisse olim David, qui Vriam necari iussit, ut Bersabeae frueretur amplexibus, & in Evangelica Lege Theodosium, qui ad ulciscendam mortem Praefecti Thessalonicensis, cives eiusdem civitatis ad septemmillia trucidari mandavit, nec quemquam latet, Philippum occulte Christianam religionem professum, tanquam idololatram audisse apud Ethnicos, qui illi cum idololatriae symbolis praedicta numismata dedicarunt, eiusque celebrarunt apotheosim. Quae dicta sint de primo Christiano ex Romanis Imperatoribus.

De historia Paphnutii.

Caput XIX

I. VNA cum dissertatione de primo Romanorum Imperatorum, qui Christo nomen dedisse dicendus est, res a Constantino Magno gestas posteriori Exercitatione, absolvimus. Modo ad celeberrimos Viros, qui Nicaenae Synodo interfuere, nostra revertitur dissertatio. Floruisse eos inter Paphnutium, unum ex Confessoribus, quos Maximinus dexteris oculis effossis, & sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat, eumque patratis miraculis celeberrimum, in magna veneratione apud Constantinum fuisse, diximus pertractantes de Episcopis, qui ad praelaudatam Synodum convenerunt. Neminem autem vestrum latere puto eiusdem Paphnutii historiam, quae pertinet ad continentiam, vitamque coelibem Clericorum ob varias doctissimorum virorum opiniones non levibus obnoxiam difficultatibus. Eam itaque ad memoriam revocare, expendere, & de ea nostrum, qualecumque sit, iudicium proferre opus est.

II. *Exponitur Paphnutii Historia.*

II. Historia Paphnutii his verbis a Socrate traditur lib. I. cap. II. *Visum erat Episcopis novam legem in Ecclesiam inducere, ut quicumque in sacrum ordinem allecti essent, idest Episcopi, presbyteri, & diaconi, ab uxorum, quas cum laici essent, matrimonii iure sibi copulaverant, concubitu abstinerent. Cumque hac re in medium proposita singulorum sententiae rogarentur, surgens in medio Episcoporum Paphnutius vehementer vociferatus est, non esse imponendam Clericis & Sacerdotibus grave hoc iugum, honorabiles nuptias, & thorum immaculatum, esse dicens; ne ex nimia severitate damnum potius inferrent Ecclesiae. Neque enim omnes ferre posse tam districtae continentiae disciplinam, ac forsitan inde eventurum esse, ut cuiuscumque uxoris castitas minime custodiretur. Castitatem autem vocabat congressum viri cum uxore legitima. Satis esse, ut qui in Clerum fuissent ad-*

scri-

scripti, iuxta veterem Ecclesiae traditionem iam non amplius uxores ducerent; non tamen quemquam seiungendum esse ab ea, quam antehac, tunc cum esset laicus, legitime duxisset. Atque haec dixit ipse non modo coniugii, sed muliebris congressus penitus expers: quippe qui a puero in monasterio educatus fuisset, & ob singularem castimoniam ab omnibus celebratus. Ceterum universus Sacerdotum coetus Paphnutii sermonibus assensus est.

III. *Adversus praedicatam historiam argumenta.*

III. Non tantum Socrates hanc historiam mandavit litteris; verum etiam Sozomenus lib. I. cap. 22. Gelasius Cyzicenus lib. II. cap. 32. Cassiodorus Hist. Tripartita lib. II. cap. 14. & Nicephorus Callistus lib. VIII. cap. 19. Verissimam illam putant Spensaeus, Medina, Mendoza elaboratissimo in Canones Illiberitanos Commentario, Dupin in nova Scriptorum Eccl. Bibliotheca, doctissimus Petrus de Marca lib. I. Concord. cap. 8. Natalis Alexander in Hist. Eccl. Saec. IV. Christianus Lupus in Scholiis ad Canonem 3. Nicaenum & ad 13. Trullanum, aliique Viri eruditissimi ac praestantissimi; compluribus tamen historiam illam negantibus, inter quos eminent sapientia ac dignitate, Baronius ad annum 324. & Bellarminus lib. I. de Clericis cap. 20. Horum fulcra & momenta sunt, quae sequuntur. Primo nulla fides adhibenda est Socrati, tum quia addictus Novatianis; tum quia fuit, teste Photio, parum in dogmatibus accuratus; tum quia nec Rufinus, a quo plura hausit Socrates, nec Eusebius, qui Nicaenae Synodo interfuit, neque eiusdem Synodi Acta historiae istiusmodi meminerunt. Praeterea iuxta monitum Cl. Viri Ludovici Thomassini de Veteri & Nova Disciplina p. I. lib. II. cap. 60. ubi de Orientali Ecclesia agitur, potior fides adhibenda est Epiphanio & Hieronymo, quam Socrati. At Epiphanius h. 59. inquit: *Sacrosancta Dei Ecclesia, eum, qui adhuc in matrimonio degit, & liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit, sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus, quod in illis locis praecipue fit, ubi Ecclesiastici canones accurate servantur.* Deinde quia nonnullis adhuc in locis presbiteri, diaconi, & hypodiaconi liberos suscipiebant, respondet Epiphanius, id non fieri *ex Canonis auctoritate, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere & connivere solet, cum scilicet qui se ad eas functiones applicent, non facile reperiuntur.* Quae utique non respondisset S. Epiphanius, si ex indulgentia PP. Nicaenorum cuique ex Clericis uti matrimonio iam contracto fas esset. S. autem Hieronymus in Epistola ad Pammachium ait: *Episcopi, presbyteri, & diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in eternum pudici.* Idem in libro I. adv. Iovinianum ait, *non posse*

posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios facit: atque adversus Vigilantium: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiae, quid Aegypti, & Sedis Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Ad haec, mentitur, inquiunt, Socrates, dum ait visum PP. novam legem inducere, & sententiam illos mutasse, ubi Paphnutius asseruit, ex antiqua Ecclesiae traditione maioribus Clericis solum prohiberi, ne matrimonium ineant, non autem usum initi eis interdici: quomodo enim lex nova, quomodo vetustae opposita traditioni, quae semper viguit in Ecclesia Romana, quae Africanae Ecclesiae constitutionibus antiquissimis comprobatur, & quae paullo antea ab Illiberitana Synodo, cui Osius Nicaenae pars magna interfuerat, fuit canone 33. confirmata? Postremo, ut loco citato ratiocinatur Eminentissimus Bellarminus, tantum abest, ut Nicaeni PP. maioribus Clericis uti iam initis coniugiis indulserint, quin canone tertio Clericis prohibens συνείσακτον superinductam habere mulierem, expresse commemoravit mulieres, quibuscum Clerici degere permittuntur, idest, *vel matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas tantum personas, quae suspicionem effugiunt*, ubi dum nulla fiat mentio de uxore, plane ipsa explosa esse conspicitur. Ex quibus omnibus inferunt, praedictam Paphnutii historiam esse Graeculorum quoddam commentum.

IV. *Defenditur Socrates, & praecedentia argumenta solvuntur.*

IV. Nobis tamen videtur, perperam, quantum ad ipsam Paphnutii historiam attinet, mendacii, & falsitatis redargui. Primum quia cur Socrates id confingeret, nulla causa potest excogitari; neque enim cum Novatianorum errore, quo idem Socrates dicitur inquinatus, narratio Paphnutii habet aliquam connexionem, neque in historia describenda, factisque enarrandis opus est magna Ecclasiasticorum dogmatum scientia, qua ipsemet Socrates a Photio Cod. 28. dicitur laborasse. Vixit enim Socrates ea aetate, in qua recens adhuc erat memoria rerum in Synodo Nicaena gestarum, atque in iis, ceterisque describendis, teste Valesio, summum adhibuit studium ac diligentiam; ideoque potuit aliquid nosse, quod Rufinus praeterierit silentio. Sed nec solus de Paphnutio scribit Socrates, verum etiam, ut supra diximus, Sozomenus, Cassiodorus, Nicephorus, & qui data opera Historiam Concilii Nicaeni conscripsit, Gelasius presbyter Cyzicenus. Is historiam illam se edidisse & exornasse profitetur ex antiquissimo libro in membranis descripto, qui fuerat Dalmatii Archiepiscopi Cyziceni: cuius venerandi Codicis auctoritate, imperante Basilisco, confutavit Euthychianos, qui iactabant Decreta Nicaena sibi ipsis favere. Quare Gelasius a Socrate non exscripsit, & Socratis narratio habet ex historia Gelasii maximum fulcimentum. Atque hoc primo argumento prioris pro sententia opposita paullo supra producti vis tota con-

confringitur. Sequitur alterum, quo & Socrates defenditur, & ad secundam & tertiam oppositionem patet responsio. Licet enim summopere sacrorum ministrorum commendanda est continentia, eaque semper viguit in Ecclesia Romana, in Africana item, & in aliis quampluribus, ut colligitur ex Epiphanio, & Hieronymo; tamen non erat lex universalis, & Ecclesiastico canone definita, ut qui uxorem duxerant priusquam assumerentur in Clerum, ab illius concubitu penitus abstinerent: sed verissimum est, quod lib. v. cap. 22. tradit ipsemet Socrates: *In Oriente cuncti suamet sponte, etiam Episcopi ab uxoribus abstinent, nulla tamen lege & necessitate constricti. Multi enim illorum Episcopatus etiam sui tempore liberos ex legitimo coniugio susceperunt*. Ac principio id fatetur Haer. 59. num. 4. S. Epiphanius, tametsi factum asserit absque Canonis auctoritate, propter hominum ignaviam, & ob nimiam populi multitudinem, quia scilicet non facile reperiebantur, qui se altaris ministerio applicarent. Deinde cum cives Ptolemaidis peterent a Theophilo Alexandrino circa an. 410. ut sibi in Episcopatum consecraret Synesium, is respondit, habere se uxorem, a qua seiungi nollet, ut in Aegypto Episcopi faciebant, etsi nulla lege cogente: & nihilominus Synesius Episcopus consecratus est, ea conditione, ut coniugem retineret, gignendisque liberis daret operam: unde idem Synesius scribit ep. 105. *Mihi & Deus ipse, & lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit; quare hoc omnibus praedico ac testor, neque me ab ea prorsus seiungi velle, neque adulteri instar, cum ea clanculum consuescere*. Quum itaque ex praecitata Tommassini regula, etiam Synesio, dum agitur de Ecclesia Orientali, fides sit adhibenda; perspicuum est, legem illam, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi a propriis abstinerent uxoribus, servatam in Occidentali Ecclesia, & paullo ante in Synodo Illiberitana confirmatam, in Oriente fuisse novam, nec Socratis de Paphnutio historiam tanquam adulterinam esse repudiandam. Tandem, quod sententiam nostram corroborat, & postremam Bellarmini argumentationem elidit, Canone 3. Nicaeno non prohibetur Episcopo, Presbytero, & Diacono legitimae, & ante sacrum ordinem susceptae uxoris consuetudo; neque enim uxor est mulier *συνείσακτα*, *subintroducta*, sive, ut vertit Rufinus, *extranea*, vel una earum, quae non effugiunt suspicionem, de quibus aperte loquitur Canon. Si autem Concilium de uxoribus loqueretur, creditis ne Episcopos Orientis passuros consuetudinem, de qua loquitur Epiphanius, & Theophilum Alexandrinum impositurum manus Synesio? Creditis ne Synodum Quinisextam Canone 13. adversus Nicaenum Concilium decreturam fuisse, non prohibendum maioribus Clericis usum coniugii ante ordinationem suscepti? Id ego non credam.

De

De turpissima Arii morte.

CAPUT XX.

I. PAPHNUTII historiam, quam salva continentiae Clericorum laudabili ac saluberrima consuetudine, & quantum ad Occidentalem Ecclesiam spectat, inviolabili lege, & institutione primaeva, superiori Exercitatione propugnavimus, atque Nicaenorum Patrum definitionem prohibentem maioribus Clericis *subintroductas* mulieres, quae effugere nequeunt suspicionem, non aequo animo tulisse credo impurissimum, sceleratissimumque haeresiarcham Arium, qui, teste S. Epiphanio Haer. 68. septingentas Deo consecratas Virgines depravaverat, & cum extraneis mulieribus familiarissime versabatur. Quum autem ad mentem nostram redierit homo impurissimus, & iniquissimus; illius miserrimo exitu, atque turpissima morte, absolvemus secundam hanc praelectionum nostrarum partem; ne in tertia, (quae erit de aliis viris illustrioribus, qui ad Nicaenam Synodum convenerunt,) & praesertim de beatissimo Alexandrinorum Episcopo Athanasio, importuna nefarii hominis acta filum instituendae dissertationis abrumpant.

II. *De restitutione Arii, & constanti Alexandrinorum oppositione.*

II. Constantinum a labe Arianae haereseos Cap. X. vindicantes diximus, Arium opera Constantiae Augustae, quae Licinii uxor fuerat, post biennium, anno scilicet 327. revocatum fuisse ab exilio, neque id vitio Imperatoris vertendum esse, quoniam Episcopi, qui iuxta Canonem 5. Nicaenum bis in anno ad Synodum conveniebant, ut resipiscentem, nec Oecumenico Concilio adversantem, eidem Constantino officiosis epistolis commendarunt. Etsi autem tunc ab exilio Arius revocatus fuit; adhuc tamen prohibitus est, ne ingrederetur Alexandriam, ut inquit lib. II. c. 16. Sozomenus. Verum cum ad Encaenia Templi Hierosolymitani Episcopi, qui Tiriensem celebraverant Synodum, convenissent, quorum pars maior erat Eusebianorum, & Arianis patrocinantium, celebrarunt *Constantio & Rufo Albino Coss.* idest anno 335. Concilium Hierosolymitanum, in quo Arium cum suis in communionem receperunt; dedere operam, ut idem Arius oblata Imperatori Constantino subdola Fidei confessione, qua profitebatur Filium genitum ante saecula, sed *Omousii* supprimebat vocabulum, gratiam Imperatoris iniret; atque conscripta ad Ecclesiam Alexandrinam, omnesque alias per orbem constitutas epistola Synodali, suo, & religiosissimi Imperatoris nomine iusserunt, ut ubique in coetum fidelium reciperentur Ariani, quos aliquandiu, uti aiebant, improba invidentia extra Ecclesiam detinuit. De hac Pseudo-Synodi Epistola legendi Socrates lib. I. cap. 19. & S. Athanasius libro de Synodis, & in sua Apologia. Existimat eruditissimus Valesius Arium in commu-

nionem a Synodo Hierosolymitana receptum, non esse Arium illum haeresis fontem, & sectae principem, quem iam vita functum existimat, sed Arium alterum ignobiliorem, quem & nos alibi diximus in Arianorum grege extitisse; sed falsissimam esse opinionem Valesii constat tum ex Athanasio, qui cit. libro de Synodis loquitur de illo Ario, qui *Thaliam* composuit imitatus Sotadem poetam Aegyptium, tum ex iis, quae de Arii morte paullo infra subiicientur. Commendanda est interim Alexandrinorum civium fides ac magnanimitas: nam post exilium Episcopi sui Athanasii, reditum haeresiarchae, qui fretus Hierosolimitani Concilii litteris concesserat Alexandriam, tristissimo ac molestissimo ferentes animo, tantos excitavere tumultus, ut Constantinus imperiali edicto ad se Arium Constantinopolim evocaverit, ac rursus Synodum Episcoporum coegerit, ut quid de Ario deliberandum esset, decernerent. Ex Rufino lib. 1. cap. 12. Sozomeno lib. II. c. 19. & ex praelaudata S. Athanasii Apologia haec excripsimus, & narravimus.

III. *Eusebianorum molitiones; damnatio Marcelli Ancyrani, & Arii periurium*

III. Interim Eusebiani, cum Arium ab Alexandrinis non receptum novissent, & Imperator timeret, ne adhuc alienus esset a Fide, Synodum in causa Marcelli Ancyrani Constantinopoli celebrarunt, atque Imperatoris iussu inquirere de ipsa Arii fide eodem congressu festinarunt, frustra illorum molitiones avertere, & Synodum dissolvere adnitente Constantinopolitano Episcopo Alexandro, qui ipsorum Eusebianorum studium erga haeresiarcham optime agnoverat. Et Marcellus quidem damnatus est, & Episcopatu privatus, quasi librum Asterii Sophistae & Ariani refellens, in oppositam Sabellii & Photini haeresim prolapsus fuerit: sed quamquam gravis fuerit de fide Marcelli suspicio, & hanc plurimum adauxerit Eusebius Caesariensis libris adversus eumdem Marcellum conscriptis, a fide tamen, quam in Nicaena Synodo propugnaverat, nunquam desciviffe, demonstrat ipsius Marcelli confessio, quam obtulit Iulio Romano Pontifici, relata ab Epiphanio Haer. 72. comprobat iudicium trecentorum Episcoporum, sive Sardicensis Synodi, quae illum absolvit, & confirmant egregia pro ipso Mancello S. Athanasii suffragia in epistola ad solitariam vitam agentes. Haec enim iis, quae adv. Ancyranum praesulem faciunt, debent praeponderare. Verum, etsi in Marcellum Eusebiani illi Episcopi ius omne, aequitatemque servassent, id enim in praesentia non quaeritur; suo tamen erga Arium studio, ac patrocinio, Fidem Orthodoxam pessundedissent; nisi vigilantissimus Institutor, ac Pastor, cuius est illa verax, & fidelis promissio, *Portae inferi &c.* cassos irritosque hostium conatus reddidisset. Statuerant hi, in communionem Arium esse recipiendum, atque Imperator ad se haeresiarcham arcessens, exegerat ab eo jusjurandum, quo Definitionibus Nicaenae Synodi praeberet assensum; idque veterator ille callidissimus & vaferrimus sacramento affir-

affirmavit, chartam gestans, in qua suam perfidiam descripserat; atque manu pectus tangens iuravit illud ipsum, quod scriptum erat, se credere, turpissimaque aequivocatione Caesari illusit. Ita Principis quoque mandato indictum est Episcopo Alexandro, ut proximo die Dominico Arius cum suis in communionem in templo pacis admitteretur.

IV. Attendite, quaeso, singularem Christianae Fidei triumphum, memorandam periurii poenam, confusionem haereticorum maximam, communem Catholicorum exultationem. Ingressus die Sabbati Alexander templum, profusis lacrimis Deum oravit, ut si fides Arii falsa erat, & simulata confessio, ad sacram Synaxim accedere illum non sineret; se potius dimitteret, ne id cerneret, e mortalium conspectu; fuitque eadem Iacobi Nisibis Episcopi, qui tunc Constantinopoli forte aderat, supplex oratio, eademque fidelium universorum. Ergo die sequenti, quem festum & Dominicum fuisse diximus, Arius triumphantis instar, magna suorum caterva stipatus, fretus Eusebianorum patrocinio, ad sacram Irenis Aedem procedebat, comitesque parati erant fores templi confringere, si eas occlusisset Episcopus: quando ad usum alvi ad proximam latrinam secedens, vix pronus factus, crepuit medius, & vita simul, & communione fraudatus, disruptis effusisque visceribus, humi exspiravit. Vidissetis, Lectores ornatissimi, Eusebianos verecundia & rubore suffusos exanime cadaver efferre, silere penitus, recedere, abscondi: contra, Alexandrum, Iacobum, plebemque fidelem, respirare, laetari, gratias persolvere, hymnos praecinere: rumorem statim spargi per totam urbem, deinde universum orbem pervadere; & Caesarem Constantinum mirari aequitatem divinorum judiciorum, Eusebianorum calliditatem, Arii periuria, tergiversationem, perfidiam, atque ad propugnandam Fidem Orthodoxam vehementius incendi. Contigere haec in urbe Constantinopoli *Coss. Nepotiano & Facundo*, anno Imperii Constantini 31. Aerae Christianae 336. ac recte Gregorius Nazianzenus Orat. de Laud. Athanasii, & Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum, Iudae proditori compararunt Arium, cum utriusque par fuerit sacrilegium, par in Dei Filium impietas, par genus mortis, atque supplicium; quod & Christianus Poeta apud Baronium ad an. 336. ita carmine expressit:

IV. Describitur Arii obitus.

———————— Ruit Arius alvo
Infelix, plus mente cadens, lethumque peremptus
Cum Iuda commune tulit, qui gutture pendens
Visceribus curvatus obit: nec poena sequestrat
Quos par culpa ligat, qui Maiestatis honori
Vulnus ab ore parant: hic prodidit, ille diremit
Sacrilega de voce, &c.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE S. ATHANASIO.

CAPUT I. I. NON solum Imperator Constantinus filius Constantii Chlori, Auctor Ecclesiasticae Pacis, Christianorum Caesarum princeps, splendidissimum pietatis probitatisque exemplum, cuius res magnifice, sancte, fortiterque gestas, transactis praelectionibus nostris, Lectores ornatissimi, prosequebamur; verum etiam eximium Ecclesiae columen, acerrimus hostis Arianorum, ac beatissimus Alexandrinorum Antistes Athanasius pro Orthodoxa Fide, pro serpentium haeresum exstirpatione, pro incolumitate fidelium, percelebrem & egregiam navavit operam. Aequum est igitur, ut tertiae huius Exercitationum nostrarum partis, ipsius Athanasii meritis, scriptisque, faceremus humili & obsequenti animo exordia; eodemque e Superum sedibus, ubi magno fulgore coruscat, nos iuvare ac fovere non dedignante, de ipsius aetate, factis, librisque dissertationem aggrediamur.

II. *Athanasii nomen: quae de puerili ipsius lusu narrantur: tempus nativitatis eius investigatum.*

II. Athanasius iure optimo ἀπὸ τῆς Ἀθανασίας, scilicet, *ab immortalitate* nomen sortitus, quo anno in lucem editus fuerit, difficillimum est definire. Socrates ex Rufino lib. I. Hist. Eccl. cap. 13. narrans Athanasium, cum admodum puer esset, & sacrum quemdam ludum cum aliis aequalibus pueris exerceret, Sacerdotii, sacrorumque rituum imitando disciplinam, & quamdam praeferendo quasi Episcopi dignitatem, puerulis aliis catechumenis, & nondum initiatis contulisse baptismum, quod initio duntaxat Episcopatus S. Alexandri potuit contigere, coniecturam aliquam nobis suppeditaret asserendi, natum fuisse Athanasium ineunte Saeculo IV. anno scilicet, 301. *aut* 302. Etsi enim in Chronicis, Alexandrino, & Hieronymiano, habetur, Alexandrum renunciatum fuisse Episcopum anno I. *Olimp.* 273. *Constantini* 15. *&* *Aer. V.* 321. imo iuxta Aubertum Miraeum Alexandri inauguratio non contigerit ante annum *Ch.* 324. certissimum tamen est, quod ad annum 311. num. 25. scribit Antonius Pagius, demonstrantque in Vita Athanasii percelebres Operum eius editores Monachi S. Mau-

Mauri, evectum fuisse Alexandrum post obitum Achillae ad Alexandrinam Cathedram, vertente anno 313. siquidem teste Eusebio Caesariensi lib. 7. Hist. Eccl. S. Petrus Achillae praecessor martyrium subiit anno Ch. 311. sive nono Persecutionis Diocletianeae, die 25. Novembris: ac post Petri mortem Ecclesia Alexandrina anno uno permansit suo viduata Pastore, eamque Achillas postmodum rexit quinque duntaxat mensibus. Quare cum Alexandro Episcopatum gerente praedicto anno 313. Sanctus Athanasius inter pueros adhuc impuber luderet, post initia Saeculi quarti frui coepit lucis huius usura.

III. *Exploditur fabula Baptismi ab Athanasio inter pueriles lusus collati.*

III. Verum haec chronologica supputatio innititur Ludo Athanasiano, quem cordati viri in dubium revocarunt, & nos quoque magna laborare suspicione fatemur. Primo enim ex Rufino ad Socratem, et Socrate ad Scriptores alios fabulosa ea narratio manavit; Rufinus vero a re gesta integro pene saeculo distans, & sero quorumdam auditu permotus, credulus etiam, & supra quam historico necessum est, facilis, atque narratiunculis oblectatus, in errorem potuit induci. Deinde si Alexander, uti existimamus, Episcopatum indeptus est anno 313. hoc anno Athanasius gerebat aetatis suae annum saltim duodevigesimum, cum Episcopus sit consecratus anno 326. natus saltim annorum 30. iuxta vetustissimam consuetudinem, qua nemo ante illam aetatem, qua Christus iniit praedicationis officium, praeficitur regendis Ecclesiis, quemadmodum definiunt Ecclesiastici Canones apud Gratianum distinct. 77. necnon in primo Decretalium tit. 14. Neque enim ullus unquam, sive Arianorum, qui Vatiniano odio Athanasium prosequebantur, sive Orthodoxorum Praesulum, qui custodiendae veteris disciplinae rigidissimi erant, sit Athanasium iuniorem aetate Episcopatum arripuisse, quemadmodum legitur de Hieronymi fratre Pauliniano. Si autem recipiatur Alexandrini Chronici auctoritas, atque Episcopatus Alexandri in anno Ch. 321. constituantur initia; nulla ratione fieri potuit, ut eodem anno Athanasius impuber luderet inter pueros, & anno 325. Diaconatus munere fungeretur, atque anno proximo 326. esset Episcopali charactere condecoratus. Quamobrem ex Consecratione Athanasii in Episcopum, atque ex aetate, quam ad Consecrationem istam Ecclesiae disciplina requirit, colligimus, Sanctum Athanasium in lucem hanc prodiisse circa annum 295. qui est 31. ante collatum illi Ordinem Episcopalem.

IV. *Eruitur ex dictis responsio ad obiectionem Haereticorum quorumdam.*

IV. Hinc vero ii, qui imbuuntur Theologica Disciplina, obiicientibus heterodoxis rata esse Sacramenta, quamvis irrisorie, & mimice administrentur, idque comprobantibus ex facto Athanasii, qui pueriles lusus prope litus maris exercens contulit pueruli nondum initiatis Sacramentum regenerationis Christianae, repetere possunt, esse narrationem illam inter historiolas, nugasque aniles reiiciendam, haereticosque homines imperitis fucum facere, & venditare fabellas. Tametsi Theologi, qui *Scholastici* nuncupantur, de historicis monumentis aliquando pa-

parum solliciti, respondere soleant, idcirco S. Alexandrum baptisma a puero Athanasio collatum, tanquam firmum ratumque habuisse, quoniam ipsum interrogans percepit, pueros illos *omnia secundum religionis nostrae ritum servasse*, eaque peragendi serio animo intendisse, *quae per Episcopum in Ecclesiis fieri mos erat*, uti litteris tradidit praelaudatus Rufinus: quae utique si vera foret historia, & Alexander baptismum illum probasset, quod falsum esse nuper evincimus, scite, apposite, sapienterque reponerentur. Sed ab Athanasio puero, & adolescentulo, ad ipsum cooptatum in Clerum, & Antistitis dignitate insignitum narratio nostra progreditur.

V. *De Athanasii disputatione cum Arianis, quam arbitramur supposititiam.*

V. Athanasium magnae spei adolescentulum inter Clericos Alexandrinos connumeratum, sacrarum litterarum studiis fuisse eruditum, & virilem ingressum aetatem ab Alexandro constitutum Diaconum, ductumque Nicaeam ut in Concilio, quod ibi congregatum erat, ei foret adiumento, tradunt citatis in locis Socrates ac Rufinus: quibus cum historici alii consentiant, non est cur nos fidem abrogemus. In sacro etiam Episcoporum consessu, cum in Athanasio magna disserendi peritia, & singulare ingenii eniteret acumen, in se provocasse Arianorum odium & invidentiam, enarrantibus Historicis ultro lubenterque assentimur. Disputatio tamen Athanasii contra Arium in Concilio Nicaeno habita, atque inter Sancti illius orationes typis edita, iudicio Baronii ad an. 325. num. 51. Natalis Alexandri de Script. Sec. 4. art. 8. necnon Andreae Riveti lib. 3. Critici Sacri cap. 5. omniumque recentiorum, qui ex hisce fontibus biberunt, Athanasio supponitur: tum quia ipsamet disputatio non contra Arium Nicaeae, sed contra Arianum quemdam in itinere dicitur fuisse peracta, tum quia Haereticus ibi cum Orthodoxo pugnans aperte negat Spiritus Sancti divinitatem, id, quod surculus quidem est Arianae perfidiae, sed tempore Nicaenae Synodi nondum eruperat: tum demum quia ea disceptatio Vigilii Tapsensis Episcopi praesefert stilum, rationemque dicendi.

VI. *Ostenditur quo revera tempore Athanasius renuntiatus fuerit Episcopus Alexandrinus.*

VI. Vt ut vero de praelaudata disputatione opinemur; Athanasius post Synodum Oecumenicam in patriam reversus, beato Alexandro, qui post quinque menses migravit ad Superos, Clero, universoque populo plaudentibus, Episcopus substituitur, anno, ut paullo supra dicebam, 326. Falluntur autem apertissime tam Socrates & Sozomenus, qui Alexandri mortem, & ordinationem Athanasii referunt post reditum Arii, & Teognii ab exilio, tum qui istam definite constituunt in anno Christi 333. Enimvero S. Epiphanius Haer. 69 tradit, nondum unius anni spatium a magno Concilio fuisse evolutum cum Alexander decessit, eique suffectus est Athanasius: Theodoretus lib. 1. cap. 16. inquit, egregium illum Episcopum, qui tam strenue contra Arium decertaverat, quinto mense post Concilium Nicaeae celebratum, finem fecisse vivendi: atque ipsemet Athanasius in 2.

Ape-

logetica Oratione, *Ceterum* (inquit) *ea in Synodo damnata est haeresis Ariana , & Meletiani aliquo modo recepti sunt: ac nondum quinque menses praeterierant , quum beatus Alexander mortem obiit .*

VII. Habetis itaque Episcopatus S. Athanasii certissimam Epocham: aliasque Chronologicas notas ad ipsum spectantes brevissime attingam , & annum emortualem definiam . Athanasius igitur in Synodo Caesareensi variis calumniis impetitus est anno 334. Constantinopoli novis accusationibus lacessitus , pulsusque in exilium an. 336. Restitutus sedi suae a Constantino Iuniore anno 337. Innovatis calumniis secunda vice depositus anno 341. Absolutus Romae in Synodo a Iulio P. Romano coacta , ab omnibus sibi intentatis criminibus anno 341. In integrum restitutus decreto Synodi Sardicensis anno 347. Condemnatus iterum Mediolanensi Arianorum conventu , ac sede sua deturbatus 355. Revocatus imperante Iuliano , sed rursus in eum Arianis una cum Gentilibus conspirantibus exul factus anno 362. Iovinianum Imperatorem convenit Antiochiae anno 363. Sub initia imperii Valentis , qui regnare coepit anno 367. ad supplicium necemque quaesitus , in cryptis sepulcrisque delituit. Fractus tandem laboribus aerumnisque succubuit , & sanctissimam animam Deo reddidit an. 373. Episcopatus sui anno 46. ut aperte constat ex epistola Proterii Alexandrini Episcopi ad S. Leonem M. R. Pontificem ; tametsi Socrates lib. 4. cap. 20., unde in errorem abducti sunt plurimi , statuat S. Athanasii obitum *Gratiano II. & Probo Coss.* nimirum ante biennium , & anno Christi 471. Ex his vero Chronologicis praenotionibus potest unusquisque vestrum percipere , quam iucunda , & utilia futura sint , quae de Athanasio remanent enarranda .

VII. *S. Athanasii res gestae notis Chronologicis breviter proponuntur , ac dies obitus definitur .*

De tribus Synodis contra Athanasium creatis .

Caput II.

I. Quae ab anno 326. primo Episcopatus Sanctissimi Alexandrini Praesulis Athanasii usque ad annum eius emortualem 373. (quo temporis intervallo magni illius Antistitis epocham superiori diatriba definivimus) insidiis , fraude , calumniis , atque atrocissimis machinamentis adversantium ipsi Arianorum contigere dum cogitatione repeto , opportune mihi memoriae occurrit , nullum esse adversus falsidicos calumniatores asylum , nullumque praesidium , nisi quod Homilia 5. in Mattheum aiebat Grecorum PP. eloquentissimus Ioannes Chrysostomus , imitatione illius , qui in manu Egyptiae mulieris pallium dimisit , vestem in manus insimulatorum proiicere , fugamque arripere cum meliore velamento iustitiae. Quod cum fecerit Athanasius , ut exercitationibus proximis enarrabo , non abs re conflatas in eum calumnias expendere , non quidem omnes , id enim ne-

quit una exercitatione comprehendi, sed in tribus Conciliis Palaestino, Tyrio, ac Mediolanensi, reliquis ad proximas praelectiones rejectis.

II. *De Synodo Caesareae in Palestina contra Athanasium celebrato.*

II. Vix ergo Athanasius cathedram Alexandrinam conscenderat, cum Ariani in vulgus spargere coeperunt, a sex, vel septem Episcopis clanculum, & in obscuro loco fuisse electum; tamersi, ut idem Athanasius demonstrat in secundo Apologetico, tota Alexandrina civitas ac universa provincia in unum quasi in speciem unius corporis animique coacta, clamoribus, precibus, votisque publicis, sibi Athanasium Episcopum dari vehementissime postulassent. At quid non audet vesana haereticorum audacia, furor, hostilitas, temulentia? Adeo illum confictis criminibus dehonestare & lacerare curarunt, ut tandem a Constantino aeque pio, ac facile principe, impetraverint rescriptum celebrandi ad causam Athanasii expendendam Palaestinum Concilium. Coactum istud fuit *Optato & Paulino Coss.* anno Constantiniani Imperii 29. & Christianae Aerae 334. Selecta Civitas Caesarea, olim Turris Stratonica, & Appollonia appellata 50. milliariis dissita Hierosolymis; ubi Eusebius Arianis impense addictus Episcopali munere fungebatur. Constituti agendae Synodi curatores, & coryphei, Eusebius Nicomediensis, Theognius Nicaenus, & Theodorus Heracleensis, quos addictissimos fuisse Arianis alibi diximus; Conscripta capita accusationum praecipua, quibus Athanasius deponeretur; atque ipsemet Athanasius litteris Constantini iussus, ut Eusebianorum, Arianorumque, scilicet hostium suorum iudicio semetipsum subiiceret, quod recte prudenterque facere detrectavit. Rem ita enarrat Episcopus Cypri Theodoretus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 28. interprete Henrico Valesio: *Accusatores iterum conductos ad Imperatorem adducunt, insignem illum virtutis athletam* (Athanasium) *multa infanda patrasse vociferantes: Eorum duces erant Eusebius, ac Theognius, & Theodorus Perinthius, est autem Perinthus civitas, quae nunc Heraclea vocitatur: affirmantes ea esse intolerabilia, ac ne simplici quidem auditu ferenda. Persuadent igitur Principi, ut Caesareae in Palaestina Synodum cogat, ubi plures erant infensi Athanasio, ibique causam illius iubeat iudicari. Imperator vero fidem illis habens, ut sacerdotibus* (*fraudolenta enim eorum consilia penitus ignorabat*) *id fieri praecepit. Verum divinus Athanasius cum perspectam haberet iudicum malevolentiam, ad Concilium non venit.* Similia habet lib. II. cap. 25. Sozomenus.

III. *De Synodo Tyria adversus Athanasium.*

III. Recusante Athanasio ad Synodum ab Eusebianis coactam accedere, ii validiorem calumniandi ansam arripientes, praeter alia crimina etiam tyrranidis & contumaciae eumdem Athanasium insimularunt. Neque spe sua frustrati sunt prorsus; Imperator enim alioqui clementissimus, magnopere exasperatus, sed alia ex parte coniectans Caesaream ob illius urbis Antistitem suspectam esse Athanasio, Tyri vetustissimae in Phoenicia civitatis, quae nunc in ruinis iacet, Tur-

carum Imperatori cum paucis incolis subiecta, aliam Synodum congregari mandavit, scripsitque ad Athanasium, satis illi indignationem animi sui manifestans, eique ut Tyrum pergeret districte praecipiens. Haec Synodus celebrata est *Coss. Constantino, & Albino*, anno Imperii Constantini 30. & Vulg. Aerae 335. Oro vos, ut indignationem vestram compescere studeatis. Quis enim aequo animo ferat obiectas viro sanctissimo criminationes? Praeter veterem iniquissimam turpissimamque insimulationem, quod Athanasius imposuisset Aegyptiis linearum tunicarum tributum, quam insimulationem studuerant mendacii convincere Apis & Macarius Alexandrinae Ecclesiae presbyteri: praeter intentatum crimen insidiarum adversus Imperatorem, & repletae auro arculae, quam Philumeno ad necandum principem misisse Athanasium calumniabantur, quod falsum penitus Imperator ipse deprehenderat: praeter haec, inquam, tria horrenda plurimum, & execranda facinora Eusebiani Episcopi obiecere Athanasio, iubentes ut obiectis criminibus responderet.

IV. *Crimina S. Athanasio intentata.*

IV. Primum Athanasio illatum in Tyria Synodo scelus fuit ex parte Ioannis Episcopi Callinicûs in Syria (Curopum nunc Turcae vocant) nec non Meletiani Ischyrae, quod Athanasius mysticum calicem confregisset, depositoque praedicto Episcopo, huius subvertisset cathedram, Ecclesiamque Pelusii, urbis sitae in adversa Nili parte, cuidam Marco commisisset regendam; Euplumque, Isacium, Achillam, Pachomium, & Hermaeonem, Episcopos Pelusiensi foedere coniunctos, militari custodiae traditos afficere ausus esset verberibus. Crimen alterum, de quo Athanasius redarguebatur, erat, quod clericum quemdam Arsenium nomine interfecisset, huius dissectum brachium malefici causa apud se retineret: atque ad fidem calumniae conciliandam, cuiusdam cadaveris abscissam dexteram, conditam sale, & lignea capsula inclusam, quasi necis & maleficii apertissimum argumentum, in Synodali congressu palam exposuere. Flagitium tertium Athanasio exprobratum, erat, vim intulisse virgini, quae ipsum hospitio receperat, superinducta quoque pretio muliercula, quae coram Patribus querebatur, sibi munera libidinis causa hospitem exhibuisse, noctuque compressisse invitam ac reluctantem. Accusatus est itaque in Tyrio Concilio Athanasius crudelitatis, homicidii, maleficii, adulterii.

V. *Obiectorum criminum refutatio.*

V. Absit vero, Lectores humanissimi, a mente cuiusque vestrum vel minima scelerum istorum suspicio. Nam quod ad confractum calicem, Ischyram, ceterosque Meletianos attinet, esse improbum, nefarium, apertissimumque mendacium, ea quae diximus de Schismate Colluthi evidentissime evincunt. Arsenius vero, tametsi Eusebiani in cuiusdam Monasterii, cui Prines factioni suae adhaerens praeerat, latebris abdidissent; accipiens Athanasium sui causa in discrimen abductum, noctu arrepta fuga, pridie quam iudicium fieret, Tyrum appulit: & in medium Synodi ingressus, se vivum, ambasque manus habentem ostendit Iudicibus. Tertia itidem accusatio falsa, & calumniae plena, deprehensa

 est

est: nam cum Timotheus presbyter Alexandrinus se Athanasium simulans, impudentissimae mulieri dixisset, *Ego ne tibi vim intuli? Ego ne tantum flagitium perpetravi?* ea vero audacter, & perfricata, & inverecunda fronte reponeret, ipsum revera esse, simulque illati stupri locum ac tempus repeteret; vel ipsi accusatores hostesque infensissimi coacti sunt fateri manifestam atrocitatem calumniae.

VI. *Athanasii in Synodo Tyria damnatio & depositio.*

VI. Ceterum, uti Reparatori generis nostri evenit, quem, licet nullam in eo caussam se invenisse testaretur Romanus Praeses, addixit tamen teterrimo Crucis supplicio, vociferantibus omnibus, qui circa Episcoporum subsellia erant, Athanasium tollendum esse, utpote maleficum, violentum, & sacerdotio indignum, cum ii, qui Constantini mandato Synodo intererant, veriti ne facto in eum impetu cuncti in ipsum violentas manus iniicerent, clam e Concilio subduxissent, ac ipsemet Athanasius perspiciens se in urbe Tyro absque vitae periculo commorari non posse, profectus esset Constantinopolim: Synodus absentem damnavit, eique abrogavit Episcopatum, indixitque, ne posthac habitaret Alexandriae, ne forte illic agens tumultus, ut aiebant, seditionesque excitaret.

VII. *De Synodo Mediolanensi adversus S. Athanasium celebrato.*

VII. Ab eo tempore S. Athanasius nunc sedi suae restitutus est, nunc iterum vertere solum coactus, propterea quod magno quidem adversariorum conatu iactaretur, sed Imperatorum quoque Constantini & Constantis, necnon Romanorum Pontificum Iulii, ac Liberii interdum gratia atque patrocinio sublevaretur. Imperante demum Constantio, *Arbetio & Lolliano Coss.* idest anno Christi 355. coacta est Synodus Mediolanensis, ad quam pauci ex Oriente, plures ex Occidente convenerunt Episcopi; quibus idem Constantius minas, & gladium intentavit, eos in condemnationem Athanasii compellens. Reclamarunt tamen Catholici, ac proinde ob Athanasium in exilium pulsi sunt Eusebius Vercellensis Scythopolita, Dionysius Mediolanensis in Cappadociam, Lucifer Calaritanus in Palaestinam, & Liberius R. P. in Beraeam Thraciae urbem: quod, me ob temporis angustias tacente, ex Fragmentis Hilarii, ex Epistola Athanasii ad Solitarios, e Socrate lib. II. cap. 36. ex Sozomeno lib. IV. cap. 9. atque ex Epistola Synodica, quae exstat 2. Volum. Conciliorum pag. 773. Edit. Lab. addiscere maiori proventu potestis, Lectores spectatissimi.

De Conciliis, in quibus S. Athanasius ab omni criminatione purgatus fuit.

CAPUT III. I. Si quis vestrum animadvertens latam in Alexandrinum Praesulem Athanasium depositionis & exilii sententiam: neque ab uno Eusebianorum Antistitum, nec una duntaxat vice, nec repugnante Principe gloriosissimo, qui Romanum moderabatur Imperium; sed ab Episcopis compluribus, atque in Palaestino, in Tyrio, & in Me-

diolanensi Concilio, quae coacta fuere Augustorum Caesarum auctoritate, in suspicionem obiectorum criminum, virum innoxium, strenuissimumque Catholicae fidei athletam adduceret; oro, obtestorque, ut is memoria repetat demonstratam super. Cap. criminationum falsitatem, veterem Eusebianae factionis simultatem, calumniandi licentiam, gratiam apud Constantinum, initam fraude atque simulatione, & Constantii religionem labe Arianicae perfidiae contaminatam. Non tamen Athanasii causa adeo in pessum abiit, adeo ruit, ut Deum deseruisse videatur hunc Ecclesiae suae pugilem, propugnatoremque invictissimum: sed uti in tribus Pseudo-Synodis damnatum illum descripsimus, nunc in tribus aliis legitimis atque Orthodoxis, Alexandrino nimirum, Romano, & Sardicensi, vindicatum, purgatumque videbimus.

II. *De Synodo Alex. in causa Athanasii.*

II. Discussa in Tyrio Conciliabulo, ac paullo post in Constantinopolitano a paucis Eusebianae partis Episcopis Causa beati Athanasii, dolisque adversariorum circumvento Imperatore, huius edicto eumdem Athanasium an. 336. mense Februario, Trevirim Galliae Belgicae urbem, ad Mosellam fluvium conditam, relegatum fuisse, tradentibus Socrate lib. 1. cap. 36. ac Sozomeno lib. II. cap. 33. neminem vestrum fugit, Lectores ornatissimi. Vbi etiam Constantinus proximo an. 337. e vivis excesserat, eiusque tres filii V. Idus Septembris renunciati fuerant Augusti; Constantinus Iunior imperatoriis litteris Athanasium ab exilio revocavit, quem anno 338. ineunte Alexandriam revertentem incredibili omnium laetitia, & maximo cum honore fuisse receptum, narrante id Cap. 1. secundi libri Teodorito, & ipsomet Athanasio in altera Apologia, puto neminem penitus ignorare. Sedi itaque suae restitutus, principio studuit a semetipso illatas sibi calumnias Episcoporum procul arcere; idque egit Synodo finitimarum Ecclesiarum coacta, anno Iulii Romani Pontificis tertio, Christianae Aetae 339. *Constantio II. & Constante Coss.* Hac in Synodo, quoniam paullo antea Eusebiani Romam miserant ad Iulium Pontificem legatos, Macarium nempe presbyterum, & Mercurium, ac Hesychium Diaconos, ut Iulius ratam haberet Conciliabuli Tyrii contra Athanasium sententiam; Synodica Epistola ad eumdem Iulium directa est, in qua novae Arianorum criminationes eliduntur, atque exsufflantur.

III. *Praedicti Concilii Alexandrini Epistola Synodica Athanasium ab aliis criminationibus egregie vindicat.*

III. Post Athanasii enim reditum, eius hostes ipsius neci & dedecori vehementiori furore inhiantes, tria alia crimina illi intentarunt; primum scilicet, Antistitem magno Alexandrinorum civium exceptum moerore, plurimorum caedes patrasse: alterum, damnatum a Synodo, absque Synodo contra Ecclesiasticos Canones temere pristinam sedem repetiisse: tertium denique, subreptum ab Athanasio frumentum, quod pauperrimis Aegypti & Lybiae viduis, Constantini liberalitate distribuebatur. At Epistola illa Synodica atroces istas criminationes ad Romani Pontificis aurem perlatas, aperte refellit, elidit, ac dissipat. Testimonio quippe omnium per Eegyptum & Lybiam

biam Episcoporum Pastor Romanae Ecclesiae certior est factus, nullam ab Athanasio caedem excogitatam, nullum traditum vinculis, nulli irrogatum exilium: Sed ab Aegypti Praefecto, ipsorum accusatorum opera, Alexandrinorum plures Athanasio devotissimos, dum is procul aderat, carceri mancipatos fuisse, adeo ut Eusebiani in Athanasii crimen, culpamque transferrent, quae ipsi patraverant. Retexit deinde Epistola illa Sinodica Acta Tyria, inania, dolosa, factiosa, tyrannica; demostratque Eusebianorum Conventiculum, cui praefuit Comes, adfuit Speculator, cunctaque per vim publicam ac metum gesta fuere, nequaquam nomen Synodi promereri, ideoque falsum esse depositum Athanasium Synodali Decreto. Ad haec ostendit in frumenti distributione nullam esse Athanasio partem, nisi operam, laboremque; cumque illud Aegyptiae & Lybicae viduae perciperent, idque ipsae faterentur, nec ulla esset de non accepto alimento querelam, satis apparere Arianorum in Athanasium sycophantias. Haec Epistola omnium Episcoporum Lybiae, Pentapolis, & Aegypti subscriptione firmata, de qua legendi sunt Socrates, Sozomenus, ac Theodoretus, existimanda est illustre pro Athanasii aequitate & innocentia Apologeticum monimentum.

IV. *De Romano Concilio sub Iulio.*

IV. Dum interim Eusebiani, in Synodo Antiochena coacta anno Christi 341. occasione Encaeniorum, quae iussu Imperatoris celebrabantur, ad quam Synodum 90. Episcopi ex Caelo-Syria, Phoenicia, Palaestina, finitimisque regionibus convenerant, Athanasium ab exilio reversum, utpote nulla Synodali definitione absolutum, rursus damnassent, subrogato in eius loco Gregorio quodam Cappadoce; Iulius Romanus Pontifex, qui anno 336. die 27. Octobris Marco suffectus fuerat, missis ad Eusebianos legatis, eos ad Romanam Synodum quamprimum celebrandam vocavit; ut de illatis Athanasio criminibus rationem redderent, iisdemque legatis diuturniorem moram agentibus, & re infecta tandem redeuntibus, Romanam ipsam Synodum congregavit, anno Episcopatus sui sexto, Augustorum quinto, & Aer. V. 341. *Marcellino & Probino Coss.* Atque in Synodo damnati fuerunt Eusebiani, Acta illorum rescissa, Athanasius ab universis calumniis luculentissime vindicatus, & sedi suae restitutus, in communionem quoque receptus Marcellus Ancyranus: de cuius fide alibi pertractabitur.

V. *De Concilio Sardicensi, & de numero Episcoporum, qui eidem interfuere.*

V. De superius commemorato Gregorio Cappadoce in Alexandrinam sedem intruso, & fuga, quam Athanasius Romam versus arripuit, dicendum nobis erit proximioribus praelectionibus, ne silentio mittam Synodum aliam percelebrem, in qua discussa iterum fuit, atque agitata causa ipsius Athanasii. Haec est Synodus Sardicensis, ab Illyrici urbe Sardica, quam Sophiam Turcae, Bulgari Triadizzam vocant, appellationem sortita. Celebrata est anno Christi 347. Iulii Rom. P. 12. *Coss. Eusebio & Rufino*; ad eamque convenc-

venerunt, si fides habenda est Gratiano Canone 21. dist. 17. Episcopi sexaginta: Si Theodoreto lib. II. Hist. Eccl. cap. 7. ducenti & quinquaginta; si Sozomeno lib. III. cap. 12. ex Occidentis quidem partibus trecenti circiter Episcopi, ex Oriente vero septuaginta sex, inter quos etiam Ischyras, cui ab inimicis Athanasii Episcopatus Mareoticae delatus fuerat: Verum ex Athanasio, qui eidem Synodo interfuit, in 2. Apologia aperte constat, accessisse ad ipsum Sardicense Concilium, ex Italia Antistites septuaginta octo, ex finitimis Italiae insulis Episcopos quatuordecim, ex Galliis triginta quatuor, ex Africa triginta sex, ex Aegypto nonaginta duos, ex Cypro duodecim, & quindecim ex Palaestina; omnes numero ducentos & octoginta: unde colligimus magis ad veritatem accessisse Theodoretum, quam Sozomenum, Gratianum vero, nisi alucinatum fateri velimus, eos tantummodo Antistites commemorasse, quorum nomina in aliquo Sardicensium Canonum Codice descripta adinvenerit.

VI. *Cur Eusebiani Sardicensi Synodo non interfuerint.*

VI. Porro in Sardicensi Synodo, de qua rursus agendum erit, decreto, quod praelaudati omnes Episcopi calculo suo comprobarunt, S. Athanasius absolutus est, & sedi suae restitutus, idemque definitum de Marcello Ancyrano, & de Asclepa Gazensi, & conditi 20. Canones, seu regulae regiminis Ecclesiastici. Concilio autem adesse renuere Athanasii hostes Eusebiani; rationemque huius abscessus tradunt iidem Sardicenses Praesules in Epistola Synodica apud Theodoretum lib. I. Hist. Eccl. cap. 8. ubi interprete Valesio haec leguntur: *Fugerunt non solum propter calumniam, quam adversus istos confinxerant, verum etiam eo quod advenisse cernerent, qui ipsis diversa crimina obiiciebant. Ferrum enim & vincula proferebantur. Aderant homines ab exilio reversi, & ab iis, qui in exilio adhuc detinebantur, missi quidam comministri nostri. Aderant cognati, & amici eorum, qui per ipsos fuerant interempti; & quod gravissimum est, aderant Episcopi, quorum unus ferrum & catenas proferebat, quas opera ipsorum gestarat; alii vero mortem per calumnias ipsorum illatam testabantur. Alii gladiorum plagas ostendebant: alii fame se ab illis vexatos querebantur. Alii addebant virginum denudationes, Ecclesiarum incendia, comministros nostros in custodiam detentos; atque haec omnia nullam aliam ob causam, quam ob infaustam haeresim Ariomaritarum. Nam qui communionem eorum recusabant, ista perpeti cogebantur.* Haec illi cum cernerent, eosque facinorum suorum puderet, ad urbem quidem Sardicam adventaverant, ut adventu suo omnem a se amoverent suspicionem; sed cum vidissent eos, quibus calumnias struxerant, & quos variis oppresserant calamitatibus, conscientiae suae terrore perculsi fugam arripuerunt, & ea, quae admiserant scelera, fugiendo cofirmarunt. Ita in Synodis Alexandrina, Romana, & Sardicensi, quod enarrandum erat, probitas patefacta est Athanasii.

De

De Gregorio Cappadoce Sedis Alexandrinae invasore.

CAPUT IV. I. IN Antiochena Eusebianorum Synodo celebrata, ut diximus Exercitatione praeterita, an. Ch. 341. damnato rursus, & ab Episcopali sede deturbato Athanasio, propterea quod depositus sententia Tyriae Synodi, ad regendam Alexandrinam Ecclesiam absque Synodali decreto redierat, suffectum fuisse Gregorium quemdam Cappadocem, Ecclesiastica narrat Historia. De ipso nunc Gregorio scelestissimo sedis alienae invasore verba facturus, ita narrationem distribuere constitui, ut primum quis fuerit ipse Gregorius, deinde quomodo arripuerit Alexandriae Episcopatum, ac demum quale discrimen Athanasius ea occasione subierit, probe unusquisque vestrum intelligat; atque hinc in Arianos indignationem, in Christianam plebem commiserationem, & in Athanasium existimationem praeconceptam, animo magis magisque inserat, augeatque.

I'. *Gregorium Cappadocem non fuisse legitimum Alexandriae Episcopum demonstratur.*

II. Gregorius Cappadox electus in Pseudo-Synodo Antiochena Alexandrinus Antistes labente anno, ut nuper diximus, 347. Constantii & Constantis Augustorum quinto, Iulii R. P. sexto, & Marcellino & Probino Coss. intrusus, extraneus, invasor, non legitimus Pastor, est reputandus: primum quia Arianus erat, ab Arianis selectus, & consecratus ab Arianis: tum quia nemine eum postulante, non Alexandrino Clero, non plebe, non finitimis Episcopis, fuit constitutus: deinde quia duos Praesules sedes una non capit: ad haec quia ubi Alexandrinam invasit cathedram, eum Orthodoxi omnes Antistites a communione segregarunt, & in ipsum proclamarunt anathema; quae ex altera S. Athanasii Apologia, eiusque Epistola ad solitariam vitam agentes, aperta sunt. Quamobrem Iulius Romanus Pontifex statim ac Gregorii ordinationem intellexit, ita per epistolam Eusebianos Episcopos increpavit: *Prorsus ignoro, qua ratione facta sint, quae facta sunt. Primum enim, si verum dicendum est, non decebat, cum nos ad celebrandam Synodum litteras mitteremus, aliquos praeoccupare iudicium Synodi. Deinde non decuit novos istos modos in Ecclesiam induci: ubi enim est istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi traditio Apostolica, in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriae Athanasio existente, immittere Gregorium peregrinum & externum hominem, neque Alexandriae baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum a presbyteris, eumque Antiochiae creare Episcopum, atque exinde deducere Alexandriam, non cum presbyteris aut diaconis civitatis, non cum Aegypti Episcopis, sed cum militibus?*

III.

III. Postrema haec verba Iulii Romanae Ecclesiae Pontificis ad memoriam revocant nostram illegitimum trucemque modum, quo Gregorius profectus est ad occupandam sedem Alexandrinam: quod priusquam enarrem levis lapsus adnotandus est Theodoriti, ex quo tamen eruimus, quandiu Athanasii Cathedram scelestissimus Invasor possederit. Theodoretus igitur reditum Athanasii sub Constantio commemorans lib. II. Hist. Eccl. cap. 12. inquit. *Constantius Athanasium plurimum admiratus Alexandriam misit. Mortuus iam erat Gregorius, ab ipsis Alexandrinis interfectus. Quare viso Pastore suo, Alexandrini publica convivia celebrare, ac festos dies maximo splendore agere coeperunt, honorem exhibentes Athanasio, & Deum laudibus extollentes. Verum brevi interiecto tempore, Constans quidem ex hac vita migravit.* Hoc in loco Theodoretus scribens Gregorium ab Alexandrinis fuisse interfectum, hunc aperte confundit cum altero eiusdem Ecclesiae invasore Georgio, quem Alexandrini imperante Iuliano trucidarunt, ut scribunt Socrates lib. III. cap. 2. Ammianus Marcellinus lib. XXII. & S. Epiphanius Haer. 76. quod & nos suo loco enarrabimus. Theodoretus item litteris tradit, Gregorium exiguo tempore occupasse Episcopatum Alexandrinum, atque ab Arianis trucidato Gregorio curam Gregis fuisse Georgio commissam, qui solus tanquam lupus, aut pardus in oves grassatus sit &c. tametsi Gregorius revera Alexandrinum Episcopatum tenuerit usque ad Synodum Sardicensem, nempe usque ad annum 347. tum vero Georgius ab Eusebianis intrusus sit, Athanasius autem Alexandriam sit reversus anno 349. quo anno Constantius litteris Constantis compulsus Antiochiae Athanasium excepit, & propriae sedi restituit; utique ante mortem Constantis, quem a Magnentio occisum 14. Kal. Februarii, *Nigriniano, & Sergio Coss.* anno scilicet 350. ineunte, constat ex Fastis Idatianis. Sed illuc, unde sese divertit, revertitur nunc historica dissertatio.

IV. *De truculento Gregorii ingressu.*

IV. Gregorium igitur profectum fuisse Alexandriam una cum *Sebastiano Duce* misso ab Imperatore Constantio, cum ingentibus militum copiis, ut Athanasium non expellerent modo, verum etiam mactarent, atque interficerent, scribit praecit. lib. II. cap. 13. Theodoretus: Ducemque illum Sebastianum, quem Historicus στρατηγὸν vocat, fuisse *Magistrum militum*, censet eruditus Sirmundus. At Aegypti Ducem, non Magistrum militum fuisse Sebastianum ipsum, in adnotationibus ad hunc locum, atque ad librum 23. Ammiani Marcellini animadvertit Cl. Henricus Valesius; quamquam revera Graecum vocabulum στρατηγὸς significet praetorem, ducemque militiae, ideoque male a Valesio reprehendatur interpretatio Sirmundi. Verum cum Socrates lib. II. cap. 11. scribat deductum Gregorium Alexandriam a *Syriano Duce cum quinque millibus armatorum*, haud vereor, quin ubi Theodoritus habet, Σεβαστιανὸν ἐξέπεμψε στρατηγὸν, amanuensis incuria mendum irrepserit, & restituendus sit Συριανὸς ὁ στρατηγὸς

commemoratus a Socrate. Itaque Gregorius stipatus militibus, quibus sese adiunxere qui Ariano favebant dogmati, in Vrbem Alexandrinam irrupit, non Episcopus, sed Praedo, non pastor, sed lupus, non amicus sed hostis. Vtinam haberem nunc Athanasii copiam delectumque verborum, & vobis Alexandrinae Ecclesiae calamitatem oppressionemque narrarem! Idem Athanasius hanc oppressionem cunctis Orthodoxis significans praemittit quae leguntur Capite xix. Iudicum de Hebraea muliere Iudaicae stirpis, & Sacerdotis uxore: cuius corpus violatum, constupratum, in partes dissectum, missum fuit ad omnes Israeliticas Tribus, ut in unum coeuntes ruerent in arma, admissum scelus, illatumque dedecus vindicaturae. Describit Alexandrinae plebis moerorem, luctum, querelas, preces, vota, & defluxus ad templa: Describit immissos a Philagrio praefecto, Gregorii conterraneo, & religionis nostrae transfuga, homines Ethnicos, Iudaeosque protervos, immanes, sceleſtissimos, ut cum gladiis, fustibus, armis perderent universos Athanasio adhaerentes: Describit data in introitum Gregorii templa in praedam rapinasque Ethnicorum, direptaque omnia in domorum cellis reposita, proiecta frumenta, vini oleique copiam effusam, cereos Ecclesiarum idolis accensos, thura fumantia daemoniis, presbyteros in carcerem coniectos, virgines ad Praesidis tribunal raptatas, harumque trigintaquatuor, in ipso die Parasceves, in Ecclesia, eadem hora denudatas, flagrisque immaniter caesas; verbo dicam, acerbissimam persecutionem, depopulationem maximam, plurimamque mortis imaginem.

V.

De S. Athanasii fuga.

V. Sollicitos vos, timidosque cerno de salute Athanasii. Sed recreet vos, exhilaretque historicus Socrates, cuius haec sunt verba praecitato cap. 11. *Qua ratione Athanasius, cum Ecclesia expelleretur, manus eorum, qui comprehendere ipsum volebant, effugerit, dicendum arbitror. Iam dies vergebat in vesperam, & populus in Ecclesia pernoctabat, eo quod collecta exspectaretur. Venit repente Dux, & instructa militum acie Ecclesiam obsidet: Quae cum vidisset Athanasius, operam dedit, ne populus illius causa damnum aliquod pateretur. Mandat igitur Diacono, ut orationem populo indiceret: statimque praecepit, ut Psalmus recitaretur. Cum autem in recitatione Psalmi suavis concentus totius multitudinis extitisset, per unam ex Ecclesiae ianuis omnes egressi sunt. Quod cum fieret, milites quidem quieti stetere; Athanasius vero in media psallentium turba evasit incolumis: atque ita ab imminente periculo liberatus Romam se contulit.* Eadem narrat praecit. in loco Theodoretus, ac melius ipse Athanasius, qui periclitatus est, ac praeter omnium opinionem servatus, laudata Epistola ad Orthodoxos.

VI.

Quinam Psalmus, dum fugit Athanasius, caneretur in Templo.

VI. Sciscitanti modo, quinam psalmus caneretur, dum fuga elapsus est Athanasius, respondeo falle psalmum 135. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius:* que

quae postrema verba singulis versibus repetuntur; idque colligitur ex verbis Athanasii, *Mandavi Diacono, ut psalmum recitaret, utque populus responderet* ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ: *Quoniam &c.* compertumque mihi est ex Epistola 63. Basilii ad Clericos Neocaesarienses, atque ex lib. IX. Confess. S. P. Augustini cap. 12. eo ordine solitos olim cantari psalmos, ut versum unum Diaconus, alterum universus populus modularetur. At quoniam in praesenti discrimine Divina Providentia nobis Athanasium servavit incolumem; relictis invasore Gregorio, furente multitudine, flammisque absumpta S. Dionisii Basilica, absolvimus Exercitationem verbis ipsius Athanasii: *Clam excessimus, Deum ipsum glorificantes, quod non prodidissemus plebem; sed illa ante dimissa, salutem nobis quaerere, & manus insidiatorum effugere potuissemus.*

De Fuga Sancti Athanasii.

I. VEREOR, Lectores spectatissimi, ne quis vestrum fugam Athanasii superius commemoratam accurata diligentique animadversione expendens, egre ferat Antistitem illum, ut Syriani Ducis cruentas manus effugeret, Alexandrinam Vrbem, plebemque Christianam sibi concreditam in magno rerum discrimine, in tanta Vrbis calamitate, in Arianorum truculentissima, immanissimaque persecutione, deseruisse. Me quippe non latet, id criminis in Praesulem illum egregium Arianos Episcopos intentasse, Leontium Antiochiae, Narcissum Neroniadis, & Georgium Laodiceae, qui cum ad Athanasium damnandum minus ideoneas esse deprehenderent confictas criminationes, hoc etiam telo, quasi derelictae plebis commiseratione permoti, illum omnino perdere excogitarunt. Nunc, quoniam a me agitari caussam Athanasianam nemo vestrum ignorat, de hac etiam quaestione disserere patiamini, num Athanasius fugam arripiens aliquam promeruerit chirurgitionem. CAPUT V.

II. Ac principio videtur gravi crimini obnoxius Episcopus, qui persecutione saeviente commissum sibi gregem deserendo, saluti suae tantummodo consulit, studetque imminentia pericula eludere atque evitare. Id enim Christi admonitio, id Apostolicum praeceptum, id Patrum documenta, ipsaque ratio demonstrant. Enim vero non pastorem, sed mercenarium Dominus illum esse declarat Ioan. cap. 10. *qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus.* Quae verba magnus Augustinus expendens inquit: *Cum plebs manet, & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit, nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus?* Sane quod Epistola prima cap. 31. docet praelaudatus Ioannes, debere *nos pro fratribus animas ponere*, quoniam Dei Filius

II. *Argumenta, quae demonstrare videntur Episcopis fas non esse fugam arripere.*

animam suam posuit pro nobis, iis pastoribus maximopere congruit, qui fideles, quoniam eis ad Christianam salutem indigebant, deserere voluerunt; quod grassante pestilentia fecit SS. Carolus Borromaeus Mediolanensium Antistes, atque aetate nostra pijssimus Episcopus Massiliensis. Et quidem si Pastor, in praesentissimo vel persecutionis, vel belli, vel alterius publicae calamitatis periculo abscedat; quis periclitantibus auxilium, quis indigentibus opem, quis trepidantibus fortitudinis exemplum, quis in fide haesitantibus afferet doctrinae pietatisque stabilimentum? Quae cum ita sint, annon culpandus videtur Praesul Alexandrinus, qui Syriano Praetore cum militum copia civitatem suam invadente, militibus templa domosque subripientibus, Ethnicis idololatriam innovantibus, Gregorio Pseudo-Episcopo minas, anathema, caedesque intentante, Arianis instaurantibus nefariam proscriptamque haeresim, inter Cleri dispersionem, inter plebis tumultus, inter sacrarum aedium incendia, inter virginum, viduarumque ululatus, evasit, erupit, discessit?

III. *Quomodo sese Athanasius defenderit.*

III. Non alium pro Athanasio advocabo patronum, quam ipsummet Athanasium, qui de fuga sua eloquentissimam conscripsit Apologiam. In qua primum ostendit fas esse interdum fuga se a manibus persequentium eripere, veterum Patriarcharum exemplo; Mosis nempe, qui fugit in terram Madian, non veritus, ut in Epist. ad Hebraeos cap. XI. inquit Apostolus, *animositatem regis*: Heliae, qui se subtraxit Achabi & Iezabelis indignationi; & Davidis, qui in spelunca delituit, ut Saulis declinaret insidias. Profert deinde Apostolorum exempla, quos semet occultasse propter metum Iudaeorum legitur in Evangelica Historia, ac praesertim Pauli, qui ne a satellitibus Aretae Damasci praesidis comprehenderetur, demitti voluit per murum in sporta. Addit Christi Reparatoris nostri opera, quae ad eruditionem nostram scripta sunt, fugam in Aegyptum dum Haerodes Ascalonita illum perdere ingenti bimulorum indicta clade tentavit: fugam e Herosolymorum amplissimo sanctissimoque templo, dum Iudaei in eum tanquam blasphemum legis osorem, lapides iacere parati erant; fugam in Ephrem, parvam in tribu Ephraim urbem, deserto proximam, dum Caiphae Concilium post Lazari resurrectionem, ipsum morti tradendum esse decrevit. Nec praetermittit Athanasius Dominicam sententiam, quae habetur in Evangelio Matthaei cap. 10. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*: quam in Liturgia, & *Officii*, uti appellant, lectionibus repetit Ecclesia, in eiusdem Athanasii festo die, una cum Apologiae, cuius synopsim exhibeo, parte minime contemnenda.

IV. *Rationes aliquae ab Athanasio productae.*

IV. Rationes quoque perspicuas eximius Ecclesiae Doctor producit: Quarum prima est, non semper fugam esse argumentum formidinis inanisque timoris, quum saepenumero ii, qui fugam arripiunt, gravioribus subiiciantur aerumnis, nec semper mortis imago

pe-

poenarumque horror, sed ipsa religionis causa, & reipublicae salus ad fugiendum compellat. Sequitur ratio altera, Deum aliquando sanctissimis viris in ipsa fuga magnam copiam beneficiorum fuisse elargitum, ut Abrahamo, Iacob, & Moysi, quorum unum patrem omnium credentium elegit, alterum magnopere locupletavit, hunc vero constituit Israelitici populi redemptorem. Accedit tertia, praeordinari a Deo Sanctorum fugam ad Ecclesiae utilitatem, atque incrementa, quemadmodum Apostolorum Principem eduxit e carcere, ut ad Romanam instituendam Ecclesiam progrederetur, ac inde praedicatione ac martyrio eliminaret superstitionem atque impietatem.

V. *Responsio ad oppositionem num. 2.*

V. Placuit mihi causam Athanasii illius Apologetico defensare, etiamsi ad manus esset liber S. Cypriani de Lapsis, eiusdem Epistola 54. ad Cornelium, nec non Augustini 228. ad Honoratum, quibus in locis haec de fuga in Persecutione controversia dilucide pertractatur, & accurate sollerterque dirimitur. Nec negocii est magni obiecta initio posita refutare. Nunquid enim dicendus est ad instar Mercenarii oves dimittere Pastor ille, qui primum earum incolumitati quammaxime studet, lupisque undique armenta obsidentibus, in medio prudens impavidusque resistit, gregemque universum a ferarum morsibus subtrahit, deductoque in tugurii septa ipso grege, certo praevidens se undequaque circumseptum non posse evadere insidias, ac mactandum esse, dilaniandum, necandumque quamprimum, ne oves suas deserat conterendas luporum dentibus, eas fidissimis amicis commendat, earum domesticis ac familiaribus suis curam & solicitudinem mandat, ipse vero alio confugit, validiora patrocinia, & opportuniora imploraturus remedia? Non est id mercenarii vitium, est vigilantia, sollertia, caritas, ac solicitudo Pastoris.

VI. *Exercitationis conclusio.*

VI. Atqui ad hunc plane modum Athanasius se gessit. Audite quomodo se fuga subtraxerit. *Cum dux* (inquit idem Athanasius Apud Theod. lib. 1. cap. 13. Valesio interprete) *irrupisset, & milites altare circumsepsissent ad me intercipiendum, clerici quidem, & laici, qui tunc ibi remanserant, clamabant, rogabantque, ut nos iam abscederemus. Ego vero pertinacius refragabar, me non antea discessurum affirmans, quam universi se subduxissent: Cumque surrexissem, & orationem fieri iussissem, rogabam ut postea universi discederent, satius esse dicens, ut ipse discrimen subirem, quam ut ulli ipsorum quidpiam accideret incommodi. Proinde cum iam plurimi excessissent, ac reliqui subsequerentur, Monachi, qui illic nobiscum erant, & quidam ex clericis adscendentes extraxerunt me. Atque ita (veritatem ipsam testor) per medios milites, quorum alii altare circumdederant, alii per Ecclesiam oberrabant, transivimus, Domino ducente nos, ac protegente.* Istiusmodi fuit fuga Athanasii, qui primum ovibus suis, deinde sibi consuluit; iisque ceteris Alexandrinae Ecclesiae ministris summopere commendatis, cum videret,

ret, se ab Arianis occiso, nullam spem superesse salutis, maturavit iter Romam versus, Iulii Pontificis Maximi enixe imploraturus auxilium: qua in re si quis deesse arbitratur amorem, ac pietatem Pastoris, ille potius expers omnino amoris & pietatis censendus erit.

Agitur de S. Athanasii appellatione ad Iulium R. P.

CAPVT VI. I. QVOMODO Athanasius Syriani Ducis cruentas manus, improborum militum obsidionem, & Pseudo-Episcopi Gregorii Cappadocis insidias evaserit, atque ad Iulii Catholicae Ecclesiae Pastoris Apostolicam, supremamque Sedem supplex accesserit, praeterita Exercitatione accepistis. In ea autem, quam adgredimur, haud vulgaris quaestio agitabitur, num Athanasius tanquam profugus, & auxilii, consiliique impos ad Episcopum sibi communione coniunctum, an ad superiorem Antistitem a sententia Eusebianorum, qui in Antiochena Synodo ipsum ab Episcopali sede deiecerant, appellans confugerit: id enim, quum nostratium plures affirment, quos inter non absque laude commemorandi sunt amplissimi S. R. E. Cardinales Baronius ac Bellarminus, necnon percelebris Canonum Scholiastes Christianus Lupus, negant non tantum Etherodoxi, qui non agnoscunt in Romano Pontifice praerogativam primatus; verum etiam Catholicorum nonnulli, qui illi supremam auctoritatem, saltim verbis, concedunt, ut Natalis Alexander, Diss. 21. in Hist. Eccl. IV. Saec. Dupinius de Antiq. Eccl. disciple. diss. 2. ac Petrus de Marca libro VII. Concor. Sacerd. & Imp. de quorum sententia dicere, & adnotare aliqua constituimus.

II. *Haereticorum, & Catholicorum in eadem Sententia varietas rationum.* II. Ac principio non eadem ratione Heterodoxi & Galliarum Theologi ad hanc Athanasii, aliasque appellationes oppugnandas moveri, certissime existimamus. Eatenus quippe Novatores inficiantur ius esse appellationum apud Apostolicam R. P. Sedem, quoniam huiusmodi ius certissimum est principatus argumentum; quod non diffitetur haeresiarcha Calvinus scribens in 4. Instit. cap. 7. *Summum imperium penes eum esse constat, ad cuius tribunal provocatur*. Hi vero idcirco Athanasii appellationem reiiciunt, vel quod rei eventus, & historiarum momenta evincant oppositum, vel quod Sardicensis Synodus hoc ius Romano Episcopo primum contulerit, vel quod post illam Synodum, nec statim, sed longo transacto tempore, appellandi consuetudo fuerit inducta: quarum rationum priorem Alexander Natalis, reliquas Dupinius, & De Marca producunt.

III. *Fas esse ad Romanum Pontificem appellare demonstratur.* III. Ex horum tamen discrepantia id evidentissime eruitur, quod licet prioribus Ecclesiae saeculis ob vigentem tunc temporis disciplinam ab Episcoporum iudiciis ad Romanum Pontificem appellatum non esset, ius tamen, ac suprema eiusdem Pontificis auctoritas huiusmodi ap-

appellationes sibi vindicat. Quod praeter Canones, *Si quis vestrum*; *Omnes Episcopi*; *Ad Romanam Ecclesiam*; *Si quis putaverit*; *Accusatus, vel iudicatus*, aliosque vel ex Isidorianis ac suppositiciis, vel ex genuinis Pontificum litteris depromptos, collectosque a Gratiano Dist. 79. *Decreti*, demonstrant luculentissima testimonia Gelasii in Epistolis ad Eunotum, & ad Episcopos Dardaniae, Leo Magnus scribens ad Anatolium, necnon Hincmari Remensis, Stephani Tornacensis Episcopi, ac S. Abbatis Bernardi lucubrationes: confirmant exempla eorum, qui appellarunt, Flaviani Constantinopolitani Antistitis, Theodoreti Cyrensis, & Eusebii Dorilaei ad praedictum Leonem Magnum a Synodo seu Latrocinio Ephesino: Chrysostomus ad Innocentium I. a sententia Theophili, aliorumque, quorum appellationes Bellarminus lib. II. de Summo Pontifice cap. 21. & praeclarus Auctor Operis inscripti, *Romani Pontificis privilegia*, Dissert. 2. §. 6. recensent; ac postremo idem communit, roboratque aperta, nec Calvino, ut nuper vidimus, ignota ratio, propterea quod postulet rectus ordo, ut ubi est primatus praerogativa, sit iudiciariae potestatis origo; ubi origo illa, irreformabilis auctoritas; ubi huiusmodi auctoritas, oppressorum refugium; ubi refugium istud, dignitas Sedis, ad quam, ut Gelasii utar verbis, *de qualibet mundi parte Canones appellari decernunt, ab illa autem nemo appellare permittitur*.

IV. Tam manifesta ratio aequitatis me haud invitum in eam pertrahit sententiam, cui nec Alexander Natalis dissert. 27. ausus est refragari, Synodum Sardicensem non contulisse primum, sed confirmasse ius appellationum ad Romanum Episcopum, idque ipsius Episcopi primatus esse appendicem quamdam & consectarium. Atque praeter ea, quae paullo supra produximus, annon Iulius de Athanasio ab Eusebianis exauctorato, haec ad Eusebianos ipsos anno 342. scripsit? *Oportuit secundum canonem, & non isto modo iudicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiae* (Athanasius, Marcellus, & Paulus Const.) *qui ista patiebantur; sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandrina Civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod iustum est, definiri possit? Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit*. Quae utique Iulius ad Eusebianos nequaquam scripsisset, nec mandasset Athanasio, quem temere illi abdicaverant, suum locum restitui; nisi novisset iuris sui esse sententias aliorum Episcoporum rescindere; & nisi fuisset in more positum, ut oppressi Antistites ad Romanam Ecclesiam, quasi ad Caput suum, confugerent, atque appellarent. Ludit vero, me quidem iudice, operam Dupinius, dum respondet, Iulium de omnium Occidentalium

IV. Appellandi ad Romanum Pontificem consuetudinem viguisse ante Synodum Sardicensem.

taiium.

talium Episcoporum consensu fuisse locutum illis verbis, *Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita a nobis quod iustum esset, decerneretur*. Quamquam enim Iulius rationem quoque habuerit aliorum Episcoporum, qui ad causam Athanasii examinandam convenerant ad Romanum Concilium, Ecclesias commemorandi; paullo tamen infra expresse & singillatim suammet Ecclesiam commemorat: immo in eadem Epistola cap. 22. definit, *Vt si a quibuscumque Ecclesiasticis Iudicibus, ad alios Iudices Ecclesiasticos (ubi est maior auctoritas) provocatum fuerit, audientia non negetur*: quae verba habentur 2. Concil. Lab. Vol. pag. 489. & a Gratiano relata sunt in Can. *Placuit*, praecit. Dist. 79. Legite & proximum Canonem, *Ideo huic Sanctae Sedi*, depromptum ex eodem Iulii rescripto.

V.

Quae suadent S. Athanasii ad Apostolicam Sedem appellationem.

V. Iam vero, quum praerogativa sit primae Sedis aliorum Episcoporum causas cognoscere, sententiasque rescindere, aut comprobare, & appellationes ad Apostolicam Sedem antiqua fierent consuetudine; nullam ego fateor succurrere mihi causam, propter quam deregem Athanasium, quem fuga elapsum scimus, ad Iulium venisse, huius postulasse judicium, huiusque sententia fuisse absolutum, Sedisque a Gregorio occupatae proprietatem pristinam consecutum. Innituntur quidem sentientes oppositum coniecturis suis: at ego testem proferre possum Socratem lib. II. cap. 15. de Athanasio, & Paulo scribentem: *Cum Iulio Romanae Vrbis Episcopo causam suam exposuissent, ille (quae est Romanae Ecclesiae praerogativa) liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, singulis Sedem suam restituens, simulque perstringens illos, qui supradictos Episcopos temere deposuissent*. Testem Sozomenum, qui lib. III. cap. 8. inquit: *Episcopus Romanus cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicaenae fidei doctrinam consentientes reperisset, in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit*. Testem Coelestinum I. in cuius Epistola ad Clerum Constantinopolitanum ista leguntur: *Athanasius illinc fugatus, in nostris partibus roboratus est: denique hic ei redintegratus est status, & in hac Sede requiem communionis invenit, a qua semper Catholicis subvenitur*. Testem Athanasium ipsum ita loquentem in sua ad Constantium Apologia: *Profectus sum Alexandria, non ad castra fratris tui, aut ad alium quempiam, sed Romam duntaxat, me, meamque Ecclesiam commendaturus*. Iulium itaque suscepisse Athanasii patrocinium, illum fovisse, immerito deiectum pronuntiasse, eidemque gradum pristinum restituisse, innixi quoque locupletissimis testimoniis asserimus.

VI.

Rationes opinionis contrariae.

VI. At enim qui negant Athanasii ad Iulium Romanum Pontificem appellationem, aiunt Athanasium non ad Romanum Pontificem provocasse, ut latum adversus se Eusebianorum iudicium expenderet, sed confugisse ad Imperatorem Constantinum, ut quae contra formam iudi-

iudiciorum ab Adversariis patrata fuerant, rescinderet: eo anno, quo Romam fugit, iam ab exilio revocatum a Constantino iuniore Constantii fratris assensu, nimirum anno 338. querimonias autem contra Athanasium ad Iulium serius fuisse delatas, nec ante annum 339. ideoque non a iudicio Episcoporum, qui ipsum abdicaverant, ad Pontificem appellasse: accessisse Romam vocatus litteris Iulii, quem & Eusebiani interpellaverant, & consequenter Iulium, non vi appellationis, sed partium delegatione, causam illam agnovisse: demum falsum esse quod Socrates & Sozomenus litteris tradiderunt, S. Athanasium restitutum fuisse Alexandrinae Sedi litteris Romani Pontificis; quum certum sit non rediisse Alexandriam, nisi post Synodum Sardicensem celebratam anno 347.

VII. Verum haec, si accurate tempora distinguantur, nullam praeseferunt difficultatem, Non primum, quoniam Athanasius confugit ad Imperatorem Constantinum, dum in Synodo Tyria, an. 336. variis criminibus, etiam contra Imperatorias leges patratis, accusaretur, ac tum Constantini Magni edicto relegatus est Trevirim, & deinceps an. 338. Constantini Iunioris litteris revocatus est ab exilio: appellavit autem ad Pontificem a iudicio Episcoporum, qui in Pseudosynodo Antiochena anno 341. illum exauctorarunt, eique substituerunt Gregorium Cappadocem. Non secundum, quoniam litteris Iulii, apud quem ipsum adversarii accusaverant, obtemperaverat Athanasius per legatos suos, per quos etiam transmiserat Acta Synodi Alexandrinae anni 339. Iulius vero distulit aliquandiu causam illam expendere; quia expectabat reditum Elpidii, & Philoxeni, quos legatos miserat ad Episcopos Eusebianos. Non postremum, quia si Athanasius revera Alexandriam non rediit, nisi post Synodum Sardicensem, hostibus in eum nova molimina attentantibus; non proinde sequitur, Romanum Pontificem, illum verum Alexandrinum Antistitem, suaeque Sedi restituendum non declarasse, quum de hoc iudicio Eusebiani, convocata rursus Synodo Antiochena, Iulium, cuius reprehensionem contumeliae loco duxerunt, conscriptis litteris acrius vicissim insimulaverint; ut narrat Socrates lib. II. cap. 15.

VII. *Praemissa obiecta diluuntur.*

De Athanasii ad Constantinum recursu.

Caput VII.

I. Eos, qui arbitrantur Athanasium insidiis, criminationibus, armatorumque manu circumdatum ac lacessitum, ad regium quidem Augusti Principis appellasse tribunal, non autem ad Romanae Urbis Episcopum, a veritate aberasse evincit praecedens Exercitatio. Neque in hoc tantum illos decipi existimo, quod negent Athanasianam Causam adversus Antiochenae Pseudosynodi Sanctiones definitam a Iulio; sed in eo itidem, quod censeant Alexandrinum

Praesulem a sententia in ipsum lata in Conciliabulo Tyrii appellasse ad Constantinum Imperatorem: cum non ob depositionem ab Episcopatu, licet violentam, licet iniquam, illum adierit, sed ob alias causas, quas expendere deliberavi, ut quisque vestrum percipiat, quando, & qua ratione Ecclesiasticis viris licitus sit recursus ad Principes.

II. *Explicatur quid sit appellatio ab abusu.*

II. Sunt permulti, praesertim de libertatibus Gallicanae Ecclesiae pertractantes (id, quod vestrum neminem arbitror ignorare) qui appellationes a Iureconsultis appellatas *ab abusu*, duce viro eruditissimo Petro de Marca lib. IV. Concordiae, totis lacertis propugnant. Est autem appellatio ab abusu, ipso de Marca definiente praecitati libri IV. cap. 19. *a Iudice Ecclesiastico sua potestate abutente ad Iudicem saecularem provocatio*. Etsi vero *abusus* in ampliori huius vocabuli significatione sit quaelibet circa Ecclesiastica, vel saecularia negocia aberratio; formula tamen appellationum ab abusu iis querelis singillatim accommodatur, quae ad Principes, regiosve magistratus deferuntur, sive de Rescriptis Romanae Curiae, sive de iudiciis Episcoporum. Atque hoc appellationis genus praelaudatus de Marca, Stephanus Baluzius, & Alexander Natalis, cum ex facto Athanasii, tum munimentis aliis illustribus fulcire, & corroborare adnituntur.

III. *Ostenditur Athanasium appellasse ad Imperatorem Constantinum.*

III. Et quidem Athanasium a Tyria Arianorum Synodo ad Constantinum Imperatorem appellasse, auctor est Socrates, qui lib. I. cap. 23. Valesio interprete inquit: *Athanasius Tyro discedens recta ad Imperatorem se contulit: Synodus vero primo absentem condemnavit, eo quod iudicium deseruisset*: quod & Theodoretus lib. I. cap. 31. & Sozomenus lib. II. cap. 28. litteris tradiderunt. Exstat de hac Athanasii appellatione testimonium huiusmodi in Epistola Eusebianorum Synodica apud S. Hilarium in Fragmentis: *In praesentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens Imperatorem appellat*. Et ipsemet Athanasius 2. Apologia ait: *Nos autem adito Principe, qui Synodum indixerat, & in qua ipsius Comes praesederat, Eusebianorum scelera patefecimus*.

IV. *Demonstratur factum Athanasii non suffragari iis, qui appellationes ab abusu defendunt.*

IV. Ex hac tamen appellatione Athanasii, rudis ego homo, & hebes ingenio, quomodo comprobari possit aequitas & rectitudo appellationum illarum, quas diximus nuncupari *ab abusu*, nulla ratione percipio. Primo namque non adeo desipere credo viros praestantissimos, ut hoc exemplo comprobari revera existiment appellationem ad Principes a sententia Pontificis, cuius suprema potestas ac dignitas amplissima nequit aequiparari Paulini Tyrii, vel Eusebii Nicomediensis, vel Patrophili Scythopolitani, vel Ursacii & Valentis, vel cuiuslibet alii Arianorum Episcoporum, qui ad Synodum Tyriam convenerant, auctoritati, nisi forte ab iis, qui Romanum, ceterosque Antistites pares omnino, haeretico sensu, imo insana mente effutirent. Deinde nec Athanasii exemplum quidquam valet ad comprobandam appellationem a Synodo Episcoporum ad supremos Laicorum Ma-

gi-

giſtratus. An quippe Synodum dixerimus, & non potius cum Rufino lib. i. Hiſt. Eccl. cap. 16. *forum Praeſidis & apparituram fiscalem*, in qua praeerat Comes Orientis Dionyſius, ſtipatus armata manu ſatellitum? An Synodum, ad quam legatus Athanaſii Macarius minacibus litteris accerſitus, vinctusque catenis perductus fuit? An Synodum, in qua Athanaſius, ad quem praeſidis munus ſpectabat, nec locum ubi ſederet, invenit,. ſtare iuſſus, ut reus, coram accusatoribus, aegre id ferente, graviterque Euſebianos obiurgante magno Heracleenſis Eccleſiae Antiſtite Potamone, ut refert Haereſi 68. Epiphanius? Sane ab iſtiuſmodi Conventiculo ad Caeſarem provocare, non eſt, viri ornatiſſimi, appellare a iudicio Epiſcoporum, ſed a praedonum tyrannide. Praeterea Synodum Tyriam non Eccleſiaſticus Antiſtes, ſed Conſtantinus indixerat; Conſtantinus, inquam, qui licet non ſemel declaraſſet ad ſe non pertinere iudicia de Epiſcopis, ut ſcribunt Sozomenus lib. i. cap. 17. Nicephorus lib. viii. cap. 16. S. Optatus Milevitanus lib. i. contra Parmen. & S. P. Auguſtinus ep. 166. victus tamen importunis Euſebianorum precibus, Epiſcopos, quos illi volebant, ad Synodum Tyriam iuſſit accedere, ſicuti antea indulgens Donatiſtarum querimoniis dederat anno 314. Arelatenſe iudicium. Quare nil mirum ſi a Conventu, quem Conſtantinus coegerat, ad Conſtantinum ipſum S. Athanaſius provocare deliberavit. Eiusdem itaque Athanaſii exemplo nequaquam evincitur, fas eſſe vel a ſententia Pontificis, vel a iudiciis Epiſcoporum ad Principes, Regesque appellare.

V. *Quomodo S. Athanaſius appellaverit, explicatur.*

V. Quid, Lectores ſpectatiſſimi, quod Athanaſius, non de ſua ab Epiſcopatu depoſitione, non de iurisdictione Eccleſiaſtica ab Euſebianis violata, non de Meletiano Schiſmate, aut dogmate Arianorum querelas detulit ad Conſtantinum, ſed de intentato illi crimine, quod comminatus eſſet daturum ſe operam, ne frumentum ex Alexandria in Urbem Conſtantinopolim deveheretur; quod duntaxat Urſacius & Valens ad Principem detulere, & quod ita Conſtantini animum exacerbavit, ut, ſicut eamdem ob cauſam Sopatrum philoſophum ſibi amiciſſimum ſecuri percuti iuſſerat, ita Athanaſium falſis Epiſcoporum calumniis reatus huius accuſatum relegarit in Gallias. Imo non antea ad Conſtantinum S. Athanaſius acceſſit, niſi poſtquam quadraginta ſeptem Epiſcopi, inter quos Sanctiſſimi Confeſſores Potamon, & Paphnutius, *Conteſtationis* libello ad Synodum declararunt, non eſſe illam legitimam Epiſcoporum coadunationem, ſed Arianorum, Colluthianorum, & Meletianorum conſpirationem inverecundam: alioque libello ita adverſus Dionyſium Comitem fuerunt conteſtati: *Aequum eſt te ab Imperatore miſſum, negotium hoc integrum Imperatori remittere: quandoquidem tolerare non poſſumus compoſitas iſtas calumnias, quibus ab Euſebianis premimur; ideoque poſtulamus, cauſam iſtam pientiſſimo & religioſiſſimo Imperatori reſervari, apud quem licebit*

& iura Ecclesiae & nostra proponere. Cum igitur S. Athanasius non a iudicio legitimi iudicis, sed ab Eusebianorum latrocinio, non sententia ab Episcopis lata, sed duplicis Contestationis libello adversus vim, & calumniarum consarcinationem praemisso, ad Constantinum confugerit, nec ab eo postulaverit ut ipse pronuntiaret absolutionem, vel damnationem, sed ut sineret apud se iura Ecclesiae proponi; non equidem video, quomodo hoc Athanasii facto comprobari queant appellationes illae *ab abusu*, quibus post Romanae Curiae, vel Episcoporum, Synodorumque iudicia, interpellatur Saecularium Magistratum sententia.

VI. *Quae videntur comprobare appellationes ab abusu.*

VI. Forte petit a me quispiam, quid de hoc appellationum genere sentiam: At mihi de Athanasio, non de Appellationibus disserere proposueram; nec in alienas segetes falcem, ut inquiunt, mittere soleo. Adite, quos initio commemoravi, Petrum de Marca, & Stephanum Baluzium, aut qui manibus teruntur omnium, Thomassinum, Cabassutium, Van-Espenium, & Arnonymum subsellii non infimi, qui anno 1684. Leodii Opus inscriptum *De libertatibus Ecclesiae Gallicanae* in lucem emisit. Dicam hoc unum, eos, qui huiusmodi appellationes tutantur, his potissimum momentis inniti. Primum, quoniam Princeps custos est Canonum, eique *imperium collatum est ad salutem Orbis, & pacem Ecclesiarum*, ut aiebat Eunomius Episcopus Nicomediae, implorans auxilium Imperatoris Marciani adversus invasionem Anastasii Nicaeni. Alterum, quia spectat ad Principes *subditis providere, manumque porrigere iniuste oppressis, maxime fungentibus sacerdotio*, quemadmodum ait Eusebius Dorilaei Episcopus Act. 1. Concilii Chalcedonensis. Tertium, quia iisdem Principibus ex officio incumbit scandala avertere, & dissidia compescere, quae ex iniustis iudiciis utplurimum oriuntur. Quartum, quia Principes Deo non serviunt, ut scribit Augustinus ad Bonifacium, nisi ea, quae contra ipsius Dei iussa fiunt, *religiosa severitate prohibendo, atque plectendo*. Proximum, quia ipsum Ius naturale permittit, ut a nobis, aliisque iniurias inique illatas arceamus; ac postremum, quoniam Ecclesia aut expresse, aut saltim tacite, ut ad Principes nostros recurramus, consentit.

VII. *Quae urgent adversus praedictas Appellationes oppositae sententiae assertores.*

VII. Contra appellationum illarum oppugnatores inquiunt, ab iudicio superioris Tribunalis ad inferius nefas esse appellare; Conciliique, seu Pontificis auctoritatem nequaquam subesse Principibus: duas esse, ut inquit Gelasius Papa in Epistola ad Anastasium, Potestates, quibus mundus regitur, Pontificiam scilicet, & Regalem; hac autem qui pollent, licet praesideant humano generi, praesulibus tamen rerum divinarum colla submittere: Principes esse quidem Canonum custodes, at si possent Ecclesiastica revocare iudicia, non tantum custodiendorum, verum etiam evertendorum Canonum facultatem habituros: si regio, vel imperiali edicto, posset excommunicationis, vel depo-

depositionis vim, & effectum suspendi, non fore firma, quae Ecclesia decernit, nec habiturum Pontificem ligandi, ac solvendi potestatem, quod olet haeresim: aliud denique esse uti Principis patrocinio ad Ecclesiae iura tutanda, quod omni consentaneum est aequitati, aliud adire Principes, ut Ecclesiae definitiones evertant, & infringant iudicia, quod est animi spiritualem iurisdictionem conculcantis. Haec autem solummodo recitavimus: Nos enim Ecclesiae Pastores summa veneratione prosequimur, sed summorum Principum, quorum beneficentia fruimur, & patrocinio fovemur, iuri & auctoritati nihil detrahimus.

De Constantino Iuniore.

I. NEQVAQVAM irascor, dum memoria repeto, Athanasium a Principe clementissimo Eusebianorum artibus circumvento in Gallias relegatum fuisse, nec sanctissimi Antistitis appellationem ad conterendas comprimendasque hostium insidias, ut superius vidimus, valuisse quicquam: sed magnopere gratulor, Constantinum iuniorem cum magna Catholicorum omnium laetitia, quem Pater Trevirim relegaverat, Imperatoriis litteris revocasse. Ob hoc aequitatis, clementiae, & religionis erga Athanasii personam officium, qui tam multa de Parente disserui, hac saltem vice de ipso Constantino dicere constitui, parum tamen ab historica de Athanasii dissertatione deflectens. CAPVT VIII.

II. Decesserat, ut alibi ostendimus, Constantinus Magnus *Feliciano, & Titiano Coss.* idest, anno 337. die 22. Maii, quando Flavius Constantinus illius primogenitus, quem ei Arelate Fausta uxor pepererat anno 316. una cum fratribus Constantio & Constante arripuit V. Idus Septembris Imperium, eique obtigere Gallia, Hispania, Alpes Cottiae, Britannia, Hibernia, & quidquid trans Alpes extenditur. Puerulus eodem anno, quo in lucem prodiit, a Patre inter Decennalium solemnia Caesar est appellatus, eique procusa numismata, cum *Principis Iuventutis*, *Gloriaeque exercitus & Reipublicae* epigraphe. Mortuo autem patre annum agens 22. Tribuniciam potestatem, & Augusti nomen accepit, *Gloria Romanorum*, *Pius*, *Felix* sculptis numismatibus appellatus. De ipso Constantino ita Porphyrius, I. *Constantini Iunioris ad Imperium evectio.*

Constantinus item, laus orbis, gloria saecli,
Romuleum sidus, lux clemens, inclita fratrum
Nobilitas, proavis verum, & memorabile fama
Restituit Victor Ceasar, nomenque, decusque.

Vtinam imperii eius finis & exitus respondisset initiis!

III. *Athanasius a Constantino revocatur ab exilio.*

III. Inter cetera autem Constantini decora illud mihi commemorandum est, quod statim ac renunciatus fuit Imperator, imo priusquam facta Imperii divisione regimen auspicaretur, magnum Athanasium ab exilio revocavit. Servantur etiamnum eius litterae ad Alexandrinos conscriptae Treviris, apud Theodoretum lib. II. H. E. cap. 1. Socratem lib. II. cap. 3. & Sozomenum lib. III. cap. 2. In quibus cur eius Pater relegaverit Athanasium in Gallias rationem reddens, inquit: *Sanctissimae mentis vestrae notitiam nequaquam illud arbitror praeterire, Athanasium venerandae legis interpretem, ad tempus idcirco missum fuisse in Gallias, ne quoniam cruentorum eius hostium feritas sacratissimo illius capiti extremum periculum minabatur, ipse per nefariam improborum hominum perversitatem mala insanabilia sustineret. Quamobrem, ut hanc feritatem evitaret, ereptus est faucibus eorum, qui ipsius capiti imminebant; iussusque sub mea ditione degere, ut in ea urbe, quam incolere praeceptum ei fuerat, omnibus necessariis abundaret; tametsi eius eximia virtus divino freta praesidio, asperioris etiam fortunae aerumnas parvipenderet.* Addit Constantinus etiam parentem suum proposuisse eumdem Athanasium restituere in locum pristinum, quum tamen humana sorte praeventus, priusquam votum sum impleslet, migravit e vita. Atque id ipsemet Athanasius testatur in altera Apologia. Quae cum ita sint, non una ratione Constantinus Magnus excusari potest, quod relegaverit Athanasium: siquidem praeter Eusebianorum insimulationes, etiam clementissimo Principi consultum fuit, ut ab inimicorum insidiis sanctissimum Virum eriperet, adeo ut exilii sententia videatur patrocinii potius referre speciem, quam poenae. Constantius quoque in restitutionem Athanasii permotus fratris epistola officii plenissima assensum praebuit, quamquam Arianis adhaerens, id ageret invito animo, ne videretur postremam patris voluntatem aspernari, nec fratris maioris natu in ipso imperii principio indignationem adversus se concitaret. Quam ob causam vehementer libro, quem pro Athanasio conscripsit, in Constantium invehitur Lucifer Calaritanus. At de his plura Ecclesiasticorum Annalium Parens ad annum Christi 338.

IV. *Quandiu Athanasius moratus sit in exilio.*

IV. Profecto, si hoc anno Alexandrinae Sedi restitutus est Athanasius, ut censet eo loci Baronius, cum in exilium pulsus fuerit anno 335. mense Septembri, consequitur egisse in exilio annos duos, & menses quatuor: atque id revera tradit Theodoretus scribens lib. II. H. E. cap. 1. *Porro divinus Athanasius, cum per biennium, ac menses quatuor Treviris moratus esset, Alexandriam reversus est.* Verum nec integro biennio, pace Theodoreti ac Baronii, Athanasius commoratus est in Galliis extorris & exul. Synodus enim Tyria, quae ipsum damnavit, coacta est anno 335. *Coss. Costantio & Albino*, postquam Synodum Alexandrinus Episcopus, qui ad Constantinum appellaverat, interfuit Concilio Hierosolymitano, & Dedicationi Constantinianae

nae Basilicae; ac deinde Episcopis Constantinopolim advocatis ut de actis in Tyria Synodo rationem redderent Imperatori, Eusebianis novas criminationes intentantibus, novasque insidias struentibus, a decepto principe pulsus est in exilium eodem anno 335. Septembri mense transacto. Quod in adnotationibus ad quartum Eusebii librum de Vita Constantini, & ad primum H. E. Theodoreti advertit Vir illustris Henricus Valesius. Epistola autem Constantini Iunioris ad Catholicam Alexandrinorum Ecclesiam, qua Epistola S. Athanasius restitutus est Sedi suae, data fuit Treviris xv. Kal. Iulias, *Feliciano & Titiano Coss.* idest, anno 337. ita siquidem subscriptio concepta est apud Athanasium, in 2. adv. Arianos defensione, ubi eademmet Constantini Epistola comprehenditur. Sane inter mensem Septembris anni 335. & mensem Iunium an. 337. nec integrum intercessisse biennium nemo non videt. Quanquam Theodoretus potest aliqua ratione ab errore excusari, si una cum mora Trevirensi computemus tempus illud, quo ut se Tyriae Synodo sisteret coactus fuit solum vertere, & ab Alexandrinis divelli. Interim quod Constantini aequitatem plurimum commendat est, statim post Patris obitum, & antequam cum fratribus Romanum orbem divideret, restituisse Athanasium, magisque de iustitia, de Alexandrinae Ecclesiae incolumitate, de sanctissimi Praesulis honore, quam de capessendo Imperio, fuisse sollicitum.

V. *De Constantini Iunioris obitu.*

V. Optassem equidem Principi meliora fata: Sed miserrime interiit *Coss. Acydinio & Proculo* III. Kal. Maias, anno scilicet 340. die 29. Aprilis, aetatis suae 25. cum ei magnifici arcus extruerentur cum Inscriptione laudata a Mediobarbo, & Spanhemio, VICTOR OMNIVM GENTIVM. Socrates lib. II. cap. 5. his verbis Constantini mortem enarrat: *Nec multo post Constantii Imperatoris frater, patri cognominis iunior Constantinus, dum in partes Constantis fratris sui conatur invadere, confecto cum militibus eius proelio interficitur, Consulatu Acydinii & Proculi.* Sozomenus item lib. III. cap. 2. inquit: *Imperator Constantinus, dum fratri suo Constanti bellum infert iuxta urbem Aquileiam, ab eius ducibus interficitur: atque ita Romani imperii portio, quae ad Occasum vergit, Constanti; quae ad Orientem, Constantio accessit.* Ita Ecclesiasticae Historiae Tractatores Constantini mortem commemorant, ut ex horum lectione vix possimus percipere, an iusto, vel iniusto bello perierit.

VI. *Quae faciunt contra Constantinum.*

VI. Confugiamus itaque oportet ad Romanae Historiae Scriptores: inter quos Sextus Aurelius Victor inquit in Epitome: *Constantinus latrocinii specie, dum incautus, foedeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus est, proiectusque in fluvium, cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileia.* Atque Eutropius lib. x. *Constantinum porro fratri bellum inferentem, & apud Aquileiam inconsultius bellum aggressum, Constantis Duces interemerunt.* Hinc videtur Constantini exitium iniustae eius invasioni, temulentiae, atque temeritati tribuendum.

VII. Ac-

VII. *Quae pro Constantino afferri queant; quidve nobis videatur verisimilius.* VII. Attamen sciendum est statim post divisionem Imperii, inter Constantinum & Constantem controversiam subortam esse, ad quem Italia & Africa pertineret, ut citato in loco Sextus Aurelius Victor & Zosimus lib. II. testantur. Imo addit Zosimus, Constantem, cum incautum fratrem vellet opprimere, inimicitias toto triennio dissimulasse, cumque Constantinus per fidam sibi, benevolamque provinciam ingressus esset, a militibus Constantis fuisse per insidias oppressum ac trucidatum. Sed Constantinum, veritate cogente, merito occisum existimo. Primum quia Historici omnes, uno excepto Zosimo, tradunt aggressum armis fuisse ditionem Constantis. Deinde quia cum sit occisus apud Aquileiam ad Alsam fluvium, plane constat suos excessisse limites iugis Alpium circumseptos. Tum quia, si de finibus, imperiique extensione aliqua exorta est dissensio, post divisionem a fratribus communi assensu probatam, statim sopiri, & extingui debuit. Insuper, quia non sinit Constantis pietas ac virtus eximia, ut illum fratricidam putemus; quare summopere doleo, quod laudatum a me paullo supra Constantinum ob restitutum Athanasium, ceterasque virtutes, in exitu praelectionis reprehendere cogar ob bellum illatum fratri: sed ea est ingenui hominis consuetudo, ut quae laudanda censet, haec laudet; quae reprehendenda existimat, haec reprehendat.

De Imperatore Constante.

CAPUT IX. I. CONSTANTIS Augusti machinamentis insidiisque ad necem perductum fuisse fratrem suum maiorem natu Constantinum, ego quidem Zosimo id afferenti, non assentior, & cur non assentiar multiplicem caussam transacta Exercitatione produxi. Has inter commemoravi insignem eiusdem Constantis pietatem, religionem, iustitiam: atque ut id evidentius appareat, dicam modo, qua veneratione prosecutus sit Athanasium, quid egerit pro Catholicae Fidei incremento, & qua de causa florente aetate mortem subierit: quae cum historiae, in qua versamur, necnon Athanasii existimationi, egregiique Principis laudibus congruant quammaxime, nemo vestrum, qui cultor non sit, & amator virtutis, excipiet ingratis auribus, vel invita minerva diudicabit.

II. *Praemittitur Vitae Constantis Synopsis.* II. Constantem fuisse trium filiorum Constantini Magni natu minimum, in lucem editum a Fausta anno 321. Caesarem nuncupatum in Tricennalibus Constantini, anno nimirum 335. VIII. Kal. Augusti, renunciatum Imperatorem una cum fratribus an. 337. V. Idus Septembris, adeptum imperium Italiae, Africae, Illyrici, Dalmatiae, Macedoniae, Peloponnesii, atque Graeciae, occiso fratre Constantino, anno 340. solum occupasse Occidentis imperium, Quinquennalia celebrasse anno 341. ex Italia in Pannoniam reversum; Francos, qui rupto foedere,

dere, superato Rheno Gallias depopulabantur anno 342. certamine superasse; adversus Scotos, ac Pictos proximo anno 343. bellum gessisse, ac victoria fuisse potitum; Decennalia celebrasse anno 346. ac tandem anno 350. mortem oppetiisse, Historici omnes litteris tradidere. Hac vero Vitae Constantis Synopsi praemissa, atque ope numismatum Mediobarbi, Patini, & Vaillantii ad rectam Chronologiam revocata, quid erga beatissimum Alexandrinum Episcopum Athanasium Constans egerit, investigabimus.

III. *Quid Constans Imperator gesserit pro Athanasio.*

III.° Principio inter regiminis curas nequaquam religionis oblitus, mandavit eidem Athanasio, ut tabulas sacrarum litterarum conficeret, quas & editas, & ei missas affirmat ipse Athanasius in sua ad Constantium Apologia. Has tamen tabulas non esse Synopsim Sacrae Scripturae, quae etiamnum legitur inter Opera S. Athanasii, communi fere sensu asserunt Critici recentiores; quod tamen non suffragatur heterodoxis nostrum divinorum librorum Canonem repudiantibus, quoniam, fatente etiam Caveo in Saeculo Ariano, constat Synopsim illam esse *Auctoris vetusti, elegantis, & eruditi*. Scripsit enim Constans ad Imperatorem Constantium pro Athanasio, & Paulo Constantinopolitano, depositis in Synodo Eusebianorum Antiochena anno 341. epistolam officiosissimam: qua etiam (verba sunt Socratis lib. II. cap. 18.) *postulavit tres ad se Episcopos mitti, qui de Pauli, atque Athanasii depositione rationem redderent*. Missi autem fuere Narcissus Cilix, Theodorus Trax, Maris Chalcedonensis, & Marcus Syrus, qui cum Athanasio apud Constantem commorante congredi recusarunt. Tum Athanasium profugum anno 346. Mediolanum ad se accersivit, & cum eo, aliisque Episcopis egit de convocanda Synodo universali: quare cum postea Ariani ipsum Athanasium infamassent, quod confugiens ad Constantem, hunc adversus Constantium fratrem concitasset, Athanasius conscripta ad eumdem Constantium Apologia, ostendit se Constantis iussu, ignarum quid causae esset, cur evocaretur, ad Mediolanensem urbem fuisse profectum, ibique nullum, nisi aliis Episcopis, Aulicisque praesentibus habuisse cum Imperatore colloquium, testes appellans Crispinum Episcopum Patavii, Lucillum Veronae, Protasium Mediolani, Maximinum Treviris, Dionysium Laudae, & Vincentium Campaniae. Vbi vero opera eiusdem Constantis anno 347. indicta & celebrata fuit Synodus Sardicensis; religiosissimus Imperator duos ex Episcopis, qui Sardicae fuerant congregati, una cum Magistro militum, Salianum nomine (Saliam appellandum mavult Valesius) misit ad fratrem Constantium datis litteris, de quibus Theodoritus lib. II. cap. 8. *Litterae autem ipse non hortationem solum, & suasionem, sed minas etiam continebant pio Imperatore dignas*. Scripsit enim fratri, ut Athanasium gregi suo restitueret, patefactas esse accusatorum calumnias, detectam superiorum Iudicum iniquitatem, malevolentiam iam universis compertam; ac iam

se, nisi frater morem gereret, profecturum cum exercitu Alexandriam, restituturum Ecclesiae suae eiectum Episcopum, expulsurum inimicorum catervas. Oh egregiam Imperatoris magnanimitatem, atque singulare Caesaris patrocinium! Quid autem, vos obsecro, poterat a viro Principe erga Athanasium praestari magnificentius! Accivit profugum, excepit exulem, coluit proximum, laudavit absentem, officiis, litteris, precibus, minisque pervicacia devicta Constantii, Alexandrinae Sedi restituit.

IV. *Constantis laudes compendio ex Baronio descriptae.*

IV. Quamquam vero haec sint illustria fidei pietatisque Constantis argumenta; placeat tamen, ne obscurari videantur verborum meorum inopia ac barbarie, eadem eloquentia Caesaris Cardinalis Baronii compendio colligere, magisque illustrare. *Parentis pietatem* (inquit de Constante ad annum 350.) *in his visus est plurimum superasse; haud enim invidiosa huiusmodi erit comparatio, nam gloria patris est filius sapiens: dum adeo coluit officiis Athanasium exulem, etiam adversus Constantium fratrem, paratus pro uno Athanasio illi bellum inferre: nec destitit totum Orientem & Occidentem commovere, donec Oecumenico Sardicensi coacto Concilio, Arianorum violentos retuderit impetus, & Orthodoxos calumniam passos, ab suisque ipsorum sedibus eiectos Episcopos, sententia absolutos in proprias Ecclesias invito, & moras nectente Constantio, adversantibus & reclamantibus Arianis, postliminio restituerit: quos olim primo pater Constantinus imprudens deceptus ab Eusebianis eiecerat; & deinde eorumdem instigatione perfidorum Constantius frater maiore ignominia atque iactura proscripserat. At quantam sibi Constans, inde etiam apud Deum gratiam, & apud Christianos homines in Ecclesia Catholica laudem & gloriam comparavit, dum quod Pater eius frustra tentavit, ipse perfecit; cum quassatam fractamque diro & diuturno Schismate Africanam Ecclesiam, ipse Imperatoria munificentia populum sibi devinciens, & militari terrore exagitans, refragantes obstinatos Episcopos, fidei & pacis unitate compaginaverit!* Haec Baronius.

V. *De Constantis morte.*

V. At haec eximius Cardinalis narrans, quasi erigit Constanti epitaphium ac titulum sepulcralem, trahit nos ad interitum Principis, seu ad partem huius Exercitationis postremam. Interfectus est Imperator a Magnentio Consulibus *Sergio & Nigriniano*, anno scilicet 350. xv. Kal. Februarias, ut constat ex Fastis Idatii, non, ut levi lapsu visum est praelaudato Baronio, Mense Martio. Atque Constantem a Magnentio fuisse occisum, non longe ad Hispaniis in oppido, cui nomen Helenae, Victor, & Eutropius, aliique Historici tradiderunt. Causam autem huius caedis aliam Scriptores Ethnici, aliam PP. & viri Ecclesiastici protulere. Nam Eutropius nuper citatus lib. x. ait, Constantem factione Magnentii occisum fuisse, *cum valetudine improspera, & amicis gravioribus uteretur, & ad gravia vitia conversus intolerabilis provincialibus, militibus iniucundus evasisset*; aliique

Con-

Constantem *obscoenae voluptatis & avaritiae* insimulant & sugillant. Ceterum nos utroque pollice subscribimus Athanasio, qui in sua ad Constantium Apologia, Magnentium appellare non dubitat tyrannum, hominem scelestissimum, daemonem, furiamque infernalem; Constantem contra virum sanctissimum, & coronatum martyrio. Quis enim vestrum ignorat Magnentium, etsi aliquandiu Christianam simulaverit religionem, ubi trucidato Constante imperii habenas arripuit, inanium Deorum Sacrificia, quae ipsius Constantis lege fuerant proscripta, quemadmodum apparet ex lege 5. *de Paganis* in Codice Toeodosiano, Idololatris impio, sacrilego, nefandoque rescripto iterum permisisse?

VI. Absit vero, ut saevitiam iniquissimi hominis excusemus, quam & Numen vindictam exposcens digna poena multavit. Vix enim tribus annis, ac sex mensibus Magnentius imperaverat, cum an. 352. Idibus Augusti, post varias clades, desperatis omnino rebus, sibimet crudelissime mortem conscivit. Factum narrabo verbis Sexti Aurelii Victoris: *Apud Lugdunum* (inquit) *Magnentius coangustatus, gladio occulte proviso, ictum pulsu parietis iuvans, transfosso latere, ut erat vasti corporis, vulnere, naribusque, & ore cruorem effundens, mense imperii quadragesimo secundo, aetatis anno prope quinquagesimo, exspiravit.* At de Constantis in Athanasium studio, de eius virtute, ac de obitu dictum satis.

VI. *De miserando Magnentii fine.*

De Sardicensi Synodo.

CAPUT X.

I. IMPERATORIS Constantis, cuius res pie sancteque gestas, eique illatam a Magnentio necem superiori Exercitatione narravimus, cura potissimum ac studio celebratam fuisse Synodum Sardicensem, monimenta tradunt Ecclesiastica. Meminit autem unusquisque vestrum, Lectores ornatissimi, me Cap. III. differentem de Synodis in Causa Athanasii celebratis, de hac Sardicae congregata singillatim egisse, & Synodi locum, tempus, numerum Episcoporum, rationemque, ob quam Eusebiani se segregarunt ab aliorum congressu, significasse. Quam ob rem, ne actum agam, quid ea in Synodo de Athanasii persona definitum sit, cuius auctoritatis ipsamet Synodus sit habenda, & quis eidem Synodo praefuerit, haud inutili disquisitione explanare curabo.

II. Athanasii itaque Causa hoc ordine est actitata. Primum commemorata sunt, quae ad Iulium Pontificem Eusebius, Maris, Theognis, Menophantus, Ursacius, & Valens, aliique Athanasii calumniatores detulerant, & quae contra scripserant aliarum regionum Episcopi ipsius Athanasii innocentiam testimonio suo confirmantes. II. Hosius, qui Synodo aderat, ut ipse ait in Epistola ad Constantium Augustum, Athanasii inimicos provocavit, ut si quid adversus illum haberent, palam edicerent, promissa illis ab universo Concilio securitate, Epi-

II. *Quid pro Athanasio gesserit Synodus Sardicensis.*

 scopis

scopis omnibus affirmantibus, ipsummet Athanasium, si in noxa reperiretur, damnatum eiectumque iri. III. Cum Arianorum Duces nequaquam passi essent, eos, qui Athanasium infamaverant, ad Sacrosanctum Concilium accedere; is omnibus conditionibus obtemperavit, nihil ex adverso oblocutus. IV. Patres Athanasium innocentem, & purum pronuntiarunt, scriptis litteris ad Alexandrinam Ecclesiam, ut illius innocentiam cognosceret, & hunc quidem haberet & expectaret Episcopum, Gregorium vero, qui lupi instar Episcopalem Sedem invaserat, nec Episcopum, nec Christianum hominem appellaret, neque ullam cum eo haberet communionem. Atque haec ex praelaudata Epistola Hosii, & ex Synodica ad totius orbis Episcopos, quae exstat apud Theodoretum lib. II. cap. 8. accurate, diligenterque colligimus. Ad comprobandam vero Athanasii innocentiam accedit Vrsacii, & Valentis Arianorum, qui acerrime contra Athanasium pugnaverant, retractatio: de qua in secunda Apologia haec Athanasius ipse mandavit litteris: *Vrsacius & Valens, cum antea se pro calumniatoribus gessissent, poenitere se facti sui protestantur: non solum enim sententiam pro nobis dictam approbaverunt, sed & se, ceterosque meos adversarios calumniatores esse confessi sunt; qua poenitentia etiam scriptis prodita Eusebium socium calumniae, & fingendi criminis coartificem liquidissime convincunt*. De hac ipsa retractatione ita in Historia Sacra Severus Sulpitius: *Ad Athanasii absolutionem etiam illud accessit, quod Vrsacius & Valens principes Arianorum, cum post Synodum Sardicensem viderentur a communione secreti, coram positi a Iulio Romanae Vrbis Episcopo veniam poposcerunt, quod innoxium condemnassent, meritoque eum sententia Concilii Sardicensis absolutum professi sunt*. Habetis hinc, quid Sardicensis Synodus pro Athanasio praestiterit: indicia superiorum Synodorum excussit: calumniantium procacitatem repressit: accusatorum ora obstruxit: Episcopum propriae Sedi restituit; principesque Arianorum revocavit ad frugem, & ad recantandam compulit palinodiam.

III. *Sardicensis Synodi auctoritas*. III. Neque vero existimet vestrum quispiam Sardicensi Synodo eamdem vel parem esse cum Tyria, vel Antiochena, quae Athanasium proscripserunt, auctoritatem. Synodum enim, de qua loquimur, esse Oecumenicam omnes fere, illustrissimo Petro de Marca, paucisque aliis exceptis, consentiunt. Et revera *Magnam Synodum* illam vocat in 2. Apol. Athanasius: *ex toto orbe convocatam*, libro II. H. S. Sulpitius; *Ex omnibus provinciis collectam*, lib. v. contra Eutychetem Vigilius Tapsensis: *Generale Concilium* Socrates lib. II. cap. 20. *et Oecumenicum* Iustinianus Imperator in Edicto Fidei. Adeat qui plura desiderat Baronium ad annum 347. Natalem Alex. Diss. 26. in H. E. IV. Saec. & Christianum Lupum in Dissert. de hac Synodo cap. 6. Ait utique Petrus De Marca lib. VII. Concordiae Sacerdotii & Imperii cap. 3. Sardicensem hanc Synodum fuisse Occidentalium duntaxat, non Orientalium.

talium Episcoporum: ei septuaginta tantum Episcopos adfuisse. Orientales omnes secessisse Philippopolim: Synodum denique Occidentalem ab Hilario in libro contra Constantium, & ab Epiphanio. Haer. 61. Sed corruunt haec sponte sua; modo memoria repetamus, quod Socrates lib. II. cap. 22. aliique Historici tradunt, Eusebianos qui iudicium Sardicensis Concilii formidabant, Sardice, quae ad Constantem imperatorem Occidentis spectabat, clam discessisse, profectosque Philippopolim, urbem sitam in ditione Constantii Imperatoris Orientis, ibidem conventiculum suum coegisse. Itaque ad coniecturas Cl. Parisiensis Archiepiscopi facili ratione reponimus, Sardicensem Synodum appellari Occidentalem, & Episcoporum Occidentalium, tum ne confundatur cum Pseudoconcilio Philippopoleos, cum ut significetur, in imperio Occidentis congregatam fuisse: Orientales autem Episcopos, qui Sardica discessere, fuisse solos Athanasio, & Marcello Ancyrano infensos Eusebianos: Decretisque Sardicensibus subscripsisse Episcopos ex 35. provinciis, ac saltem 284. ex Athanasio in 2. Apologia, & in Epistola ad Solitarios, necnon ex ipsius Sardicensis Concilii Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam; imo ex Synodica quoque Conventiculi Philippopolitani Eusebianorum, in qua Sardicam confluxisse *immensam Episcoporum multitudinem*, omnesque ab Hosio, & Protogene in Concilio haberi collectos. Non est ergo, cur ob Viri Cl. argumenta denegemus Synodum Sardicensem esse Oecumenicam, tametsi aliqui veterum illam in Conciliorum universalium numero non comprehendant, quod adversus Arianos collecta, & solam Nicaenam fidem confirmans, Nicaeni Concilii tanquam pars, appendix, & supplementum ab omnibus habeatur.

IV. *Quinam Synodo Sardicensi praefuerit.*

IV. Huic Sardicensi Synodo (ut ad tertiam, postremamque partem praesens disceptatio procedat) idem praefuit, qui in Magna Nicaena Silvestri Romani Pontificis vicem gesserat, Hosius nempe Hispanus & Cordubensis Episcopus, cui Iulius Pontifex, adiunctis duobus presbyteris Romanae Ecclesiae Archidamo & Philoxeno, provinciam hanc demandaverat. De hac Hosii praesidentia dubitare neminem sinunt locupletissima testimonia: id enim tradunt iidem Sardicenses Patres in Epistola Synodica paullo supra commemorata, inter quos apud Theodoretum lib. II cap. 8. omnium primus recensetur ipsemet Hosius, qui & summopere commendatur *ob aetatis praerogativam, ob confessionem fidei, ob exantlatos labores:* idem in praecitata ad Constantium Epistola Hosius ipse, in qua ait a se inimicos Athanasii provocatos, a se conditiones positas, a se promissam securitatem, a se aequissimum prolatum iri iudicium, quae omnia Praesidis munus commonstrant: idem Chalcedonensis Synodus in Relatione ad Marcianum Augustum, in qua haec habentur: *Illis, qui apud Sardicam contra reliquias Arii convenerunt, Hosius ad proferendam Sententiam praeerat:* idem praelaudatus Theodoretus, cuius lib. II. cap. 15. haec sunt verba: *Porro hic* (in Synodo Mediolanensi) *Hosius Cordubensis erat Episcopus, qui &*

in magna Synodo Nicaena inclaruerat, & postea inter eos, qui Sardicae congregati sunt, primum locum obtinuit. Quid plura? idem disertis verbis tradit S. Athanasius, maior omni exceptione testis; qui in Epistola ad solitariam vitam agentes appellat Hosium eiusdem Sardicensis Conventus patronum & caput; atque in secundo Apologetico affirmat, Decretis Synodi primum omnium subscripsisse Hosium, tum praelaudatos Presbyteros, Apostolicae Sedis Legatos Archidamum & Philoxenum, deinde Protogenem Sardicensem, ceterosque ordine Episcopos.

V. *Obiectio diluitur.*

V. Gratianus utique Dist. 16. Decreti Can. 11. etiam praefuisse scribit Vincentium Capuanum, Ianuarium Beneventanum, & Calepodium Neapolitanum; quod exscripsisse arbitror ex Epistola Hincmari Remensis adversus Hincmarum Laudunensem cap. 24. ubi similia leguntur. Sed respondet I. Baronius ad an. 347. potius Athanasio, quam Gratiano, fidem esse adhibendam; quod & de Hincmaro haud temere pronuntiaverim: deinde vero animadvertit eximius Lupus praecit. diss. cap. 2. Vincentium Antistitem Capuanum, unum ex iis fuisse, qui peracta Synodo legati fuere ad Constantium Augustum, unde fortassis de eius inter ceteros praeeminentia orta est opinio: demum ego reponam, constare ex dictis, horum trium neminem ante Protogenem Synodalibus subscripsisse Decretis; quod apertissimum est argumentum non fuisse Concilii praesides nisi lata & ampliori significatione. Atque de Sardicensi Synodo hactenus.

De Canonum Sardicensium auctoritate.

CAPUT XI. I. EX quo compertum fit ex praecedenti Exercitatione, Synodum Sardicensem, in qua Nicaenorum PP. Fides confirmata, Athanasii Causa discussa, Eusebianorum repressa procacitas, & saluberrimae quaedam regulae ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes constitutae fuerunt, Oecumenicam habendam esse, & Rom. Pontificis auctoritate fuisse firmatam; iis, qui universalium Conciliorum auctoritatem defendunt, Sanctionesque inconcussas esse propugnant, nulla oriri potest circa eiusdem Sardicensis Concilii Acta, Statuta, & Canones haesitatio. At quoniam plura adversus hanc praesertim Synodum eiusdemque Canones militare videntur, quae ad elevandas Oecumenicorum Conciliorum definitiones irreformabiles, frequenter urgeri soleant; in his discutiendis atque evertendis diatriba, quam aggredior modo, occupabitur.

II. *Quid Canones Sardicenses comprehendant.*

II. Sardicenses Viginti Canones, qui omnes *Hosii Sententiae* dicuntur, damnant pravam illorum consuetudinem, qui humanae gloriae incitati libidine a minoribus ad maiores Sedes provehi adlaborant, & quorum recens erat exemplum in Arianorum coripheo Eusebio Nicomediensi post duas relictas sedes ad Constantinopolitanam evecto. De-

Decernunt quoque, fas non esse Episcopis per alienas provincias vagari, uti solebant Eusebiani & Ariani errones, ac maxime Vrsacius & Valens extra Mysiam & Pannoniam, ubi sedes habebant, ubique Arianicam perfidiam disseminantes. Statuunt insuper, ut iis Praesulibus, qui se in iudicio Comprovincialium Episcoporum iniuste damnatos esse arbitrantur, liceat provocare ad Romanum Pontificem, qui vel latam sententiam confirmet, vel, si ei libuerit, iterum causas, cognoscat; non autem fas sit ad Comitatum, vel Curiam Principis, nisi ab eo vocatis, accedere pro aliqua causa actitanda, sed tantum ubi necessitas postulet, ad indulgentiam, ac patrocinium implorandum, acceptis antea commendatitiis litteris a Primate. Definiunt, non esse ab alieno Episcopo recipiendum Clericum ab Episcopo suo communione privatum, tametsi qui id inique & per iniuriam patitur, valeat auxilium finitimorum Antistitum implorare; & qui ob Fidei Catholicae confessionem expellitur, fitque extorris, recipi debeat, ac foveri; multaque alia ad Episcoporum depositionem, iurisdictionem, ordinationemque decernunt, aequitati, disciplinae, & illorum temporum calamitati congruentia plurimum ac necessaria.

III. Haec est Sardicensium Canonum compendiaria quaedam Synopsis: nec ambigi potest, quin a Catholica Ecclesia recepti fuerint, quidquid literatuli quidam autument, quos art. 4. diss. 26. in Hist. Eccl. 4. Saec. Nat. Alex. atque in dissert. de ipsa Sardicensi Synodo cap. 6. Christianus Lupus operose refellunt. Eosdem enim Canones recepisse, & Romae promulgasse Iulium Pontificem, nemo, vel adversantium, ibit inficias: receptos post reditum Athanasii in Concilio Episcoporum Aegypti, constat ex lib. IV, cap. I. approbatos in Synodo Hierosolymitana congregata per Episcopum Maximum testatur Socrates lib. II. cap. 24. laudatos a Synodo I. Constantinopolitana apparet ex huius Epistola ad Damasum: productos tanquam authenticos a Synodo Chalcedonensi, liquet ex eiusdem Synodi Epistola, seu Relatione ad Marcianum Augustum; expressos in Synodo Trullana, nemo unus ignorat: insertos collectioni celebriorum Canonum ab Eutychio Constantinopolitano, ab Arsenio Monacho, ab Alexio Aristino, a Simone Logotheta, ut mittam posteriores Collectores Dionysium, Ivonem, Gratianum, ceterosque, demonstrat citato in loco eruditissimus Christianus Lupus. Iure itaque, meritoque Nicolaus I. Romanus Pontifex Epistola ad Photium, aliosque Graecos refractarios, aiebat: *Quod vero dicitis, neque Sardicense Concilium, neque decreta alia vos habere Sanctorum Pontificum; non facile nobis facultas credendi tribuitur, maxime quod Sardicense Concilium, quod apud vos in vestris regionibus actum est, omnis Ecclesia recipit, &c.*

III. *Eorumdem Canonum auctoritas.*

IV. *Quinam Concilio Sardicensi fuerint adversati?*

IV. Photii autem mentione facta, memoriae occurrunt meae, qui Synodum Sardicae, eiusque Definitiones, & Canones reiecerunt. Hos inter commemorandi sunt Episcopi omnes Eusebiani, qui cum

Atha.

Athanasium odio infensissimo prosequerentur, & idcirco adv. praedictam Synodum conventiculum Philippopoli coegissent; nil profecto mirum, si illius auctoritatem deprimere, & conculcare studuerint. Hos ergo, ut nullatenus ad faciendam fidem idoneos, existimo audiendos non esse, & absque ullo examine repellendos. Haud aliter sentio de Photio sceleftissimo Constantinopolitanae Sedis invasore, & auctore nefarii Graecorum Schismatis, quem vel una Nicolai Pontificis Epistola nuperrime laudata satis superque refellit. Habeo & eodem loco Auxilium, qui in libro de Ordinationibus Formosi Pontificis, secundum Sardicensem Canonem, quo etiam in fine a communione laica arcentur Episcopi, qui suis relictis Ecclesiis se ad alias transtulerint, non Catholicam Sanctionem, sed Catharam ac Novatiensem appellat. Auxilius enim & veterem disciplinam ignorat, & sensum illius Canonis non assequitur. At praeterire non possum S. Basilium Magnum, qui Epist. 10. ad Gregorium Nazianzenum negat, petenda esse adv. grassantes Arianorum, aliorumque haereses, auxilia ab Episcopis Occidentalibus, eo quod falsis opinionibus praepediti Marcellum haereticum Episcopum Ancyranum in communionem receperint, & Sedi suae restituerint; de qua re etiam in Epistola 51. ad Athanasium idem Basilius conqueritur. Addendi sunt Africani PP. qui in Concilio Africae plenario celebrato sub Aurelio Carthaginensi anno 398. prohibuere appellationes Clericorum Africanorum ad Apostolicam Sedem, tanquam nullo prorsus Canone approbatas; ideoque nec receperant, nec legerant, nec audierant Sardicenses istos Canones, in quorum quarto istiusmodi appellationes permittuntur. Quae cum ita sint, qua ratione, quo pacto Canonum Sardicensium recipere & propugnare possumus auctoritatem?

V.
Agitur de Marcello Ancyrano.

V. Ad has tamen non contemnendas oppositiones respondemus, non proinde vacillare Sardicensis Synodi firmissam auctoritatem, etsi aberrasset in diiudicando facto Marcelli, quem non solus Basilius, sed & Severus Sulpitius, & S. Hilarius in Photini haeresim prolapsum fuisse tradiderunt, & quem aliquando ipse Athanasius a communione suspendit, si Sulpitio habenda sit fides. Norunt quippe omnes aliud de quaestionibus facti, aliud vero de illis, quae ad fidem moresque pertinent, nos ratiocinari oportere. Detur ergo circa personam Marcelli deceptam Synodum Sardicensem, quod ad annum 347. fatetur Baronius, idque improbasse S. Basilium; quid istud facit adversus illius Synodi Orthodoxam doctrinam, disciplinamque auctoritate Canonum eiusdem Synodi confirmatam? At de Marcello variae extiterunt opiniones, ut Haer. 72. ait Epiphanius; nec procul, me quidem iudice, abest a vero, Marcellum strenuissimum Arianae haeresis oppugnatorem, hanc insectando & profligando, visum nonnullis declinasse in oppositum Sabellianorum errorem; aut, quod est probabilius, ac traditur ab Athanasio in Epistola ad Solit. Eusebianos a Marcello de

hae-

haeresi, & impietate Ariana reprehensos, Sabellianae recriminationem illi vicissim, quasi pro talione obiecisse, senemque ab Episcopatu abdicasse, & eiecisse in exilium: Sardicenses autem Patres, cum eis ante oculos obversarentur Eusebianorum fraudes & imposturae, cum minime ignorassent quanta doctrina, quanto fidei ardore Marcellus in Synodo Nicaena pugnasset contra Arianos, scirent etiam incorruptam & orthodoxam esse professionem paullo antea a Marcello editam coram Iulio Romanae Ecclesiae Pastore, ipsum absolvendum, & Sedi Ancyranae restituendum aequissimo iudicio definierunt. At de fide Marcelli, quam prolixa dissertatione vindicat Nat. Alex. prope finem Hist. Eccl. Saeculi 4. haec nos dixisse sat erit.

VI. Perpauca namque de Africanis Patribus dicere oportet. Ac mirari se fatetur illustris Lupus tantam fuisse in Africana Ecclesia, Sedente Aurelio, Sardicensium Canonum oblivionem & ignorantiam, quum Synodo Sardicae interfuerit cum triginta Collegis Gratus Carthaginensis Episcopus, qui & in Africam reversus eosdem Canones promulgaverat; horum tamen, imo & Nicaenorum ignorantiam eo tempore viguisse apud Afros, inde evidenter evinci, quod contra Nicaenum Canonem VIII. vetantem duos in eadem Civitate Episcopos, Augustinus ordinatus fuerit Episcopus Hipponensis vivente adhuc Valerio, praedictum Canonem ignorantibus ipso Valerio, qui Augustini consecrationem proposuit, Augustino, qui consecratus est in Episcopum, nec non huius consecratore Megalio Calamensi, & Numidiae Primate. Mirari tamen desinemus aliquantulum, si memoria repetamus quod diximus superiori Capite, atque narrat Socrates lib. II. cap. 22. Eusebianos, qui Sardica discesserant, in Urbe Philippi, quae est in Thracia, conventiculum celebrasse, quod & ipsi *Sardicensem Synodum* appellarunt, verae Sardicensis, ut olim Nicaenae, Acta depravantes; fidemque Arianam, quam ibi conscripserunt, seu potius deforme horrendumque monstrum, ut constat ex Epiph. Haer. 73 honesto Sardicensis Concilii nomine decoraverunt. Hac fraude, hac impietate factum puto, ut aliquandiu apud Africanos Praesules obscuris in tenebris iacerent Canones illius Oecumenicae Synodi; de qua rudem hanc dissertatiunculam instituebamus.

VI. *Cur PP. Africani ignoraverint Canones Sardicenses.*

De Imperatore Constantio.

CAPUT XII.

I. Post Sardicensem Synodum Iulii Romani Pontificis, & Constantis Imperatoris opera, & auctoritate, adversus Eusebianos Nicaenae Fidei oppugnatores acerrimos, atque Athanasii infensissimos hostes coactam, editosque Canones superiori Exercitatione vindicatos, Sanctissimum Alexandrinum Antistitem Sedi suae restitutum fuisse, Historia tradit Ecclesiastica. Quod cum evenerit Constantio im-

peratore Orientis consentiente, viam nunc mihi sternit ad disserendum de ipso Constantio, eiusque in Athanasium variis ad obitum usque nunc benevolentiae, nunc hostilitatis operibus: ne cum alios duos Magni Constantini filios, Caesares, & Augustos celebraverim, hunc imperii diuturnitate (utinam & Orthodoxorum Patrum, Fideique Catholicae defensione!) longe clariorem, videar aut negligentia, aut odio, aut culpa alia praetermisisse.

II.
Exponitur exactior Constantis Chronologia.

II. Dictum supra, Constantium anno 337 V. Id. Sept. una cum fratribus Constantino, & Constante, renunciatum imperatorem, atque ab obitu Constantis trucidati anno 350. XV. Kal. Februarias solum orbem rexisse Romanum, cumque mortuus sit III. Nonas Octobris *Coss. Tauro & Florentio*, nempe anno 361. constat tempus imperii eius fuisse annorum 24. & mensium 5., non ut Eutropius ait, annorum 38. nisi una connumerentur anni 13. quibus regnavit cum patre, postea quam *Coss. Paulino & Iuliano*, idest anno 325. dictus fuit Caesar, & Orienti praefectus: quod videtur mihi recte adnotasse Socrates Cap. postremo secundi libri. Cum vero exegerit annum aetatis suae quadragesimum quartum, & 45. vertente decesserit, qua in re Ammianus, Victor, Eutropius, aliique consentiunt, apertissimum est, natum e Fausta fuisse anno 318. *Coss. Licinio V. & Crispo*, ac fuisse secundum Constantini filium, non tertium, ut Occo existimavit. Quae ad Constantii Chronologiam explicandam praemisi tanquam eorum, quae sunt dicenda, prooemium, & isagogem.

III.
De Epistolis a Constantio in favorem Athanasii conscriptis.

III. Nunc itaque ad ea, quae Constantius gessit in favorem Athanasii, differendo progrediens, dico perspecta voluntate Constantis, & audita Sardicensis Concilii definitione, plures pro S. Praesulis restitutione litteras conscripsisse. Has Socrates profert lib. II. cap. 2. ac prima data est ad ipsum Athanasium, atque in ea ait, non pati humanitatem suam, Episcopum illum iactari, saevissimisque fluctibus vexari diutius: respexisse pietatem suam illum patrio lare nudatum, exspoliatum bonis, atque in desertis inviisque aberrantem; huius rei causa egisse per litteras cum Augusto fratre, ut ei repetendi patriam concederetur facultas. Altera epistola Athanasium hortatus est, ut sine ulla suspicione, ac metu, conscensis publicis vehiculis, suum maturaret adventum. In tertia, quam Athanasius Sardica digressus accepit Aquileiae, rursus Imperator eum monet, ut quamcitius in conspectum suum veniat, statim Alexandriam profecturus; quare Athanasius festinanter Romam contendit, ut Iulio Pontifici, & Ecclesiae Romanae, a qua tam benigne exceptus fuerat, vale diceret, iussisque Imperatoris obtemperaret. Ubi Athanasius in Orientem pervexit, Constantius illum excipiens animo non infenso, gratulatus est ei, quod ex Decreto Concilii, suoque consensu Sedem Alexandrinam recuperasset; addidit litteras ad Episcopos ac Presbyteros Catholicae Ecclesiae, significans ipsum Athanasium non fuisse a Deo derelictum, iustam meruisse refer-

te

se sententiam, oportere ut deinceps omnis contra illum cesset suspicio, cunctaque adversus illos, qui ei communicabant, decreta oblivioni mandentur. Proficiscenti autem Alexandriam litteras exhibendas tradidit eiusdem urbis Ecclesiae, haec prae ceteris mandans: *Episcopum vestrum Dei decreto, nostraque sententia ad vos directum libenter excipite, & totis animis ac sensibus vestris complectendum existimate.* Ad Praesides etiam Thebaidos & Lybiae dedit Constantius epistolam praecipiens, ut si quid ad noxam, & contumeliam eorum, qui cum Athanasio communicabant, gestum repertum foret, aboleretur omnino, eiusque Clerici eadem, quam prius habuerant, fruerentur immunitate. Ex his, Lectores spectatissimi, quisnam vestrum propositam spem non habet, Athanasium cum summa animi tranquillitate operam daturum regendis, & instituendis Alexandrinis, omnesque procellas penitus evanuisse?

IV. At heu!

IV. *Constantii adversus Athanasium res gestae.*

Quocumque adspicio, nihil est, nisi pontus, & aether,
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Vix quarto post Sardicense Concilium anno, in *Consulatu Sergii & Nigriniani*, idest, an. 350. Constans imperator Occidentis e vivis excesserat; quum Constantius imbutus Arianorum erroribus, iisdem Arianis novas confingentibus calumnias, & Athanasium criminantibus, quod in aliorum Ecclesiis facere sacras ordinationes praesumeret, & universam Aegyptum ac Lybiam subverteret, aures accommodans, incredibili furore succensus, necari illum iussit, ubicumque reperiretur: quod utique evenisset, nisi Athanasius rem praesentiens, ut evaderet minas principis, fugam rursus arripuisset. Et ecce ubique Arianorum impietas atque crudelitas. Subrogatur in Athanasii locum Georgius Cappadox, & Pseudo-Episcopi Gregorii, quem alibi commemoravimus, conterraneus, iampridem Aerarii Constantinopolitani quaestor, omnium depeculator, ex crimine profugus, atque a S. Gregorio Nazianzeno in Orat. de laudibus Athanasii appellatus *monstruosus homo*, malus genere, peior animo, pessimus moribus, natus ad communem Ecclesiae perniciem, & ad omnes res perturbandas aptissimus. Proximo anno 351. Ariani Episcopi rerum universarum moderatores Sirmiensem celebrant Synodum, quae licet Photinianam configeret haeresim, unde ab Hilario in lib. de Synodis, & a Vigilio lib. v. adv. Euty. *Catholica* nuncupatur, Symbolum tamen edidit, fideique formulam supprimentem vocabulum *Homousion* a Sacrosancta Nicaena Synodo consecratum. Indictum a Constantio anno 355. Concilium Mediolanense, de quo alibi diximus; & in quo, ut verbis utar Athanasii, ipsemet Imperator Antichristi fungens officio, & faciens se principem Episcoporum, omnes, qui subscribere noluerunt damnationi Athanasii, mulctavit exilio, omnia pro haereticorum hortatu & sugge-

ſtione decrevit, cunctiſque indiebus minis denunciavit, niſi communionem cum ipſis haereticis celebrarent. In ſequenti anno 356. digreſſus Conſtantius in Illyricum ſecum perduci iuſſit Venerabilem Senem Hoſium, eumque toto anno inediis verberibusque maceravit, ut ab eo extorqueret Athanaſii condemnationem; atque anno 357. invitum trahi mandavit Sirmium ad alteram Synodum Arianorum; ubi vi & neceſſitate adactus ſubſcripſit Arianae perfidiae, & cum Valente & Vrſacio communicavit: quo miſerabili lapſu (ut Vigilii utar phraſi) *Catholicus Orbis contremuit, & concuſſae ſunt ſolidiſſimae petrae*. Anno inſuper 359 *Coſs. Euſebio & Hypatio*, dum celebraretur Synodus Ariminenſis, omnesque Epiſcopi probaſſent latum a Claudio Antiſtite Picaenae provinciae anathema adverſus denegantes Salvatoris Noſtri divinitatem, paſſus eſt Conſtantius Concilium in duas partes diſcindi, & Orientis Epiſcopos Arianos Nicomediae congregatos labentem Arianiſmum erigere, & nova moliri: imo in ipſo Ariminenſi congreſſu Vrſacius & Valens, qui paulo ante in fidem *Conſubſtantialis* conſenſerant, ad vomitum redeuntes, Sirmienſem formulam, qua Dei Filius dicitur *ſimilis Patri*, non *homouſios*, Nicaene praeferendam eſſe iactarunt, adeo, ut Catholicis ſegregatis, quemadmodum adv. Luciferianos ſcripſit beatus Hieronymus, abolitum ſit *Vſiae* nomen, & conclamata Nicaenae fidei damnatio, atque ingemuerit totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus ſit. Haec ſunt, quae in Catholicae Fidei perniciem geſta ſunt ab imperatore Conſtantio: cuius profeſſio Ariana, uxor Auguſta Euſebia Ariana, Euſebius eunuchus & cubicularius Arianus, Aulici omnes Ariani, ut vel uno Conſtantii exemplo comprobetur, ſub optimo principe florere rempublicam, peſſundari ſub haeretico.

V. *De Conſtantii obitu, eiusque laudibus.*

V. Hunc tamen principem victrix Gratia, quae non redditur meritis, tempore exitus eius adventante non dereliquit. Etenim anno 361. cum accepiſſet Iulianum in Galliis devictis Barbarorum copiis renunciatum imperatorem, primum graviſſimo dolore affectus eſt: mox vero baptizatus ab Euzoio Epiſcopo Antiocheno, ſuſcepit adverſus eumdem Iulianum expeditionem; ſed ubi pervenit ad fines Cappadociae, & Ciliciae, delapſus in morbum apoplexiae obiit Mopſucrenis, ſeneſcente autumno, ideſt, ut diximus ſupra, die tertio Nonas Novembres. Poenituit Conſtantium iam iam moriturum, & quod Iulianum Caeſarem nominaſſet, & quod novis dogmatibus ſtuduiſſet; idque expreſſa voce declaraſſe eodem momento, quo e vita diſceſſit, auctor nobis eſt Nazianzenus. Commendat in Conſtantio Aurelius Victor temperantiam a vino, & a ſomno, ſtudium eloquentiae, patientiam in laboribus, miram etiam artem in fabrefaciundis ſagittis: ſed reprehendit quoque iniuſtitiam, transverſam libidinem, fidemque ſpadonibus, aulicis, uxoribusque deditiorem. Nos potiori iure, ſi de Conſtantii laudibus dicendum foret, commendaremus cum Themiſtocle orat. 13. ſummam erga parentem pietatem ac dilectionem; cum Ambroſio epiſt. 32. ad

ad Valentin. abominationem idolorum, & arae Victoriae in Capitolio erectae eversionem; cum aliis promulgatas ab illo leges adversus idololatras, superstitiosos, & magicae artis cultores. Sed obitu Constantii enarrato, nostrum non esse putamus contexere funebrem orationem.

De S. Dionysio Mediolanensi, & de S. Eusebio Vercellensi.

I. Coactam ab imperatore Ariano Constantio an. 355. *Arbetio & Lolliano Coss.* Synodum in amplissima Mediolani Civitate, quam conditam ferunt an. post Romae aedificationem 395. & de qua Ausonius de claris urbibus, *Et Mediolani mira omnia copia rerum: Innumerae cultaeque Domus, facunda virorum Ingenia;* eamdemque Synodum eo indictam animo, ut Episcopi per vim metumque coacti in damnationem Athanasii conspirarent, dictum est Capite secundo, ac repetitum XII. nuper transacto. Relatione dignissimum profecto est, quod illius Civitatis Episcopus Dionysius primo imprudenter Athanasii proscriptionem chirographo confirmavit: tum ingeniosa Eusebii Vercellensis arte scidit abolevitque chirographum, uterque vero Constantii indignationem adversus se concitavit: quae tria huic praelectioni suppeditant argumentum. Caput XIII.

II. Regebat itaque praedicto anno 355. Mediolanensem Ecclesiam S. Dionysius, qui Protasio in Episcopatu successerat. Cum enim Protasius in ea urbe munere fungeretur Episcopali, quando Athanasius anno 346. profectus est ad imperatorem Constantem, uti narrat idem Athanasius in sua ad Constantium Apologia, dum vero hanc scriberet, anno scilicet 356. Protasius excessisset e vivis; perspicuum est Protasii sedem occupasse post eius obitum Dionysium, atque falli eos, qui alio ordine constituunt Mediolanensium Praesulum seriem, prout scite ad praedictum annum 346. n. 4. animadvertit Baronius. Socrates tamen lib. II. cap. 36. ubi de Synodo Mediolanensi sermonem instituit, Dionysium vocat ἐπίσκοπον Ἄλβας τῆς Ἰταλῶν Μητροπόλεως; sed quoniam Alba *Pompeia* nunquam fuit Italiae Metropolis, certissimum est pro *Alba* restitui oportere *Mediolanum*. Hunc itaque Dionysium una cum Eusebio Vercellensi, & Paulino Trevirorum in Galliis Antistite, in Episcopali conventu consurgentes vociferatos, id ab Orientalibus agi, ut per confirmationem sententiae prolatae contra Athanasium, Catholicam fidem subverterent; falsa esse, & ad Ecclesiae destructionem excogitata, quae eidem Athanasio obiiciebantur, atque per ea, quae gerebantur in Synodo, Christianae Religioni strui dolum ac fraudem, scribit quidem eo loci Socrates Scholasticus; sed de lapsu Dionysii silet omnino.

II. *Dionysii Episcopatus, & pro Catholica fide zelus.*

III. Eum-

III. *Dionysii lapsus enarratur.* III. Eumdem lapsum ex Sermone 56. inter Ambrosianos de laudibus Eusebii, atque ex huius Vita colligimus: est autem, Dionysium post indictam utique & inchoatam Synodum, sed antequam ad illam venisset Eusebius, Ursacii & Valentis fraudibus circumventum subscripsisse damnationi S. Athanasii, ea tamen lege, ut in reliquis omnibus Catholicae Fidei consultum foret. Quod etsi aliqua ratione excusari posset tum ob Dionysii simplicitatem, tum ob repetitas Arianorum criminationes, quibus etiam Augustos principes in errorem fuisse adductos diximus superioribus enarrationibus; stimulante tamen conscientia, idem Dionysius horrere coepit, admissique sceleris poenitudine, moerore confici, lacrimisque perfundi. Ergo Eusebius, ubi Mediolanum pervenit, viditque Dionysium animo perculsum, vultuque tristissimum, caussam sciscitatus, & de subscriptione Praesulis certior factus, turbari admodum, ingemiscere, factum reprehendere, in seductores irasci, damnare Episcopi simplicitatem, nec mediocriter commoveri. At indignatio, commotio, reprehensio nequaquam erant opportuna malo remedia. Artem itaque Arianorum arte eludere cogitavit; ac simulans velle se quoque subscribere proscriptioni Athanasii, ait se Dionysio seniorem esse, nec debere contra morem Ecclesiae filii nomen ante parentis subscriptionem in charta legi, hanc Dionysii manu firmatam scindi, & comburi oportere, atque parandam esse aliam, in qua nomina Episcoporum recto ordine signarentur. Ita chirographum scissum, aut potius expunctum, & obliteratum Dionysii nomen, adeo, ut nec elementum, vel apex appareret in tabula; & liberatus Mediolanensis Antistes ab animi anxietate, sublatum Episcopi dedecus, delusa Arianorum astutia; ac deposita simulationis larva Eusebius testatus est, nunquam se damnationi Athanasii viri innocentissimi & sanctissimi consensurum.

IV. *Num Eusebii facto comprobari queat simulatio in fidei professione?* IV. Videtur hoc Eusebii factum non parum conferre illorum Theologorum opinioni, qui propugnant aliquando esse licitam simulationem. Enimvero in praelaudato Ambrosiano Sermone commendatur plurimum, & exemplo Apostoli comparatur; ibi enim legitur: *Sicut ait Paulus factum se Iudaeis tanquam Iudaeum, ut Iudaeos lucrifaceret; ita Eusebius haereticis se haereticum esse mentitus est, ut de haeresi filium liberaret.* Ecclesia item die 16. Decembris recolens S. Eusebii memoriam, haec de ipso pronuntiat: *Nedum in Athanasium recusavit ipse subscribere, quin S. Dionysii Martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissime liberavit.* At eos melius sapere existimamus, qui simulationem semper ubique malam, utpote veritati adversantem, ubi autem de fidei agitur professione, nullatenus tolerandam esse propugnant. Quibus si hanc Eusebii historiam obiicias, respondebunt, praelaudatum sermonem de Eusebii laudibus esse subdititium, ac frustra S. Ambrosii nomenclatura insigniri: frustra in illo aequiparari simulationem Arianismi

ab

ab Ecclesia damnati factis Pauli servantis ceremonias veteris Legis nondum mortiferas, & commendari ab Ecclesia non ob simulationem Arianae perfidiae, sed ob rectam Eusebii intentionem, ob confusam devictamque haereticorum pervicaciam, ob iis ereptam de Episcopo Mediolanensi decepto inanem gloriam, agendique triumphi materiem. His vero qui responsa nostra non dedignatur adjicere, adeat Caput decimum libri vicesimi Lucubrationum nostrarum Theologicarum; quid enim de Dionysio, & de Eusebio evenerit postmodum, nobis remanet inquirendum.

V. *Enarratur S. Dionysii Mediolanensis Episcopi historia.*

V. Itaque Constantius in Dionysium & Eusebium percitus indignationis furore, illum a Mediolanensi sede ejectum ac deturbatum in Cappadociam Asiae regionem expositam ponto Euxino relegavit; & quo ei acerbius redderetur exilium, Mediolanensi Ecclesiae praeposuit accitum ex eadem regione Auxentium Arianum hominem perditissimum, qui ab Athanasio in Epist. ad Solit. appellatur Arianorum deterrimus, gigas elatus contra Altissimum abrogantia, dissolvens Christi, & Apostolorum statuta, invertens Ecclesiae mores, & ne Romanae quidem linguae, sed tantummodo haereseos peritus; & de quo Hilarius in libro adversus eumdem Auxentium conscripto, addit, apud Mediolanenses, quibus perosa erat Arianorum doctrina, diu haeresim occultasse, ut sensim aureo calice Babylonias blasphemias Arii propinaret. Dionysius autem, ut inquit in epist. ad Vercellenses Ambrosius, *votis exegit, ut in exilio vitam poneret, ne regressus confusa institutis, et usu infidelium studia inveniret. Meruit hanc gratiam, ut pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Itaque ut Eusebius Sanctus prior levavit vexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exilii locis propriore martyribus titulo exhalavit.* Atque haec quidem Ambrosius; cui ad Mediolanensem Cathedram evecto post ipsius Auxentii obitum, S. Basilius Caesareae in Cappadocia Episcopus Corpus beatissimi Dionysii dono misit; ut Mediolanensium pietas, quem viventem amiserat, mortuum reciperet, semperque experiretur patronum in coelo, quem diu in terris habere non potuit Episcopum.

VI. *Quaenam fuerit Vita S. Eusebii Episcopi Vercellensis.*

VI. Una cum Dionysio in exilium pulsus est S. Eusebius Episcopus Vercellensis. Locus exilii Scythopolis Palaestinae civitas in ore lacus Genesareth, ubi Episcopus erat Patrophilus veternosus haereticus, saevissimus homo, omniumque teterrimus. Ibi cum Eusebium excepisset hospitio Iosephus Comes ex Iudaeo Christianus, scelestissimus Episcopus dirae custodiae Eusebium ab hospite divulsum mancipavit: nec tamen vir Dei voluit unquam cibum capere a manibus Arianorum, nec Patrophilum alio appellare nomine, quam Custodis carcerum, nec a praedicatione fidei, & haereseos oppugnatione desistere. Exilium, custodia, inediae, ludibria, increpationes, ac totius Ariomanitarum multitudinis adversus eum concitatio, frangere invicti animi fortitudinem non potuere. Scythopoli in Cappadociam,

Cap-

Cappadocia in superiorem Thebaidem exul processit: quod non tantum asserunt Socrates, Theodoretus, Sozomenus, & Rufinus, de quorum narratione dubitant ad an. 356. Cardinalis Baronius, & in Saeculo Ariano Wilelmeus Caveus; verum etiam vetusta Acta Vercellensis Ecclesiae, & Breviarii Romani lectiones ex iisdem Actis depromptae. Peragratis tandem provinciis Orientalibus, celebrata cum Athanasio anno 362. Synodo Alexandrina, collato studio ad compescendum schisma exortum occasione Luciferi Calaritani, lustrato Illyrico, & ubique restituta fide orthodoxa, suo ad Vercellensem Ecclesiam reditu, pace & felicitate Italis reddita, conscriptis ad Constantium, ad Patrophilum, ad Vercellenses suos Epistolis coelesti doctrina refertis, expurgatis Commentariis Origenianis in Psalmos, Eusebii Caesareensis nonnullis Operibus e Graeca in Latinam linguam translatis, suaque manu Codice divinarum Scripturarum exarato, tandem anno Christi 371. *Gratiano & Anicio Probo Coss.* ad supernam beatorum requiem migravit: unde nos in terris peregrinantes una cum beatissimis Episcopis Dionysio Mediolanensi, & Athanasio Alexandrino, nobis, studiisque nostris adfuturum confidimus.

De Liberio Romano Pontifice.

CAPUT XIV. I. AD Mediolanensem Synodum, in qua, ut superiori Capite dicebamus, pro Athanasio S. Eusebius Episcopus Vercellensis egregiam navavit operam, neque eius caussa solum vertere, & diuturni exilii aerumnas subire recusavit, Liberius quoque Romanus Pontifex invitus accessit. De ipso Liberio nunc dissertationem instituturus, ubi brevi praemisso eius Chronologiam, quid pro Alexandrino Antistite, & pro Fide Orthodoxa initio gesserit, tum qua animi fortitudine, ne ille proscriberetur, restiterit Constantio Augusto, & insuper quomodo exilii, poenarumque pertaesus consenserit Arianis, & caussam Athanasii deseruerit, perspicue dummodo animis auribusque, Viri praestantissimi, adesse dicenti mihi velitis, nunc enarrabo.

II. *Liberii Chronologia.* II. Haec est Liberii Chronologia, Baronii, Petavii, Pagii, aliorumque firmata Calculis. Iulio Romano Pontifice vita functo *Coss. Constantio V. & Gallo Caesare* sub Magnentio autem *Decentio & Paullo*, idest, anno 352. ei Liberius sufficitur: proximo anno 353. ad Constantium Arelate commorantem legatos misit, ut Generale Concilium Aquileiae celebrandum impetrarent, quod Imperator renuit, coacta in eadem Arelatensi Urbe Synodo Arianorum: anno 355. accessitus ab eodem Imperatore profectus est ad Synodum Mediolanensem, atque Beraeam relegatus, ordinato in eius locum Felice: anno 357. Arianorum fraude, & terrore compulsus, Sirmiensi formulae, & dam-

damnationi Athanasii subscripsit: anno 358. Romam rediit Sedi suae restitutus; atque anno 366. die 23. Septembris excessit e vivis. Habetis Liberii Chronologiam: quid ante Mediolanensem Synodum gesserit, nunc attendite.

III. Dixi paullo supra, Liberium Legatos ad Constantium misisse Arelatem, cum summopere cuperet Orientales & Occidentales Episcopos revocare ad concordiam, unitatem fidei statuere, & Athanasium a vexationibus ereptum Sedi suae restituere; quod in tanta dissensione animorum, in tanta rerum perturbatione, nonnisi Oecumenica Synodo congregata se consecuturum sperabat. Misit itaque, ut id nomine suo postularent, Apostolicae Sedis Legatos: inter quos Vincentius Capuanus, Vincentius ille, qui in Sardicensi Concilio Catholicae Fidei propugnator, & Athanasii defensor extiterat; at mutata sententia cum Fortunatiano Aquileiensi, ceterisque Arianis Arelate prodidit Ecclesiae Causam: quod aegerrime ferens Liberius scripsit ad Hosium Cordubensem epistolam, significans se duplici moerore confectum mori potius optasse, quam esse novissimi huius criminis delatorem. Per idem tempus commendavit per litteras causam Fidei S. Vercellensi Episcopo Eusebio, orans illum & obtestans, ut Constantium ad animi indignationem contra Athanasium tandem aliquando deponendam hortaretur. Post Synodum vero Arelatensem rursus ad Augustum Legatos misit Luciferum Episcopum Calaritanum, Pancratium Rom. Eccl. presbiterum, & Hilarium eiusdem Ecclesiae Diaconum, officiosissimis humillimisque litteris pacem flagitans, Principis commendas lenitatem, animumque placabilem, sparsa adversus se dicteria parvi pendens, semetipsum excusans, si cum maiori Episcoporum numero patrocinaretur Antistiti Alexandrino, rursus Eusebium Vercellensem enixe rogavit per aliam epistolam paternae charitati plenissimam, ut ferventi spiritu ageret, ne Fides per Apostoles tradita corrumperetur, neve sineret praeiudicium eidem fidei afferre, quae haeretici callide machinabantur; sed haec longe melius ex ipsis Liberii Epistolis poterit unusquisque cognoscere: neque enim possunt utiliori descriptione narrari, quam ipsius Pontificis maximi verbis, undique animi anxietatem, vigilantiam pastoris, ac patris amorem charitatemque spirantibus.

III. *De Liberii pro Catholica Fide solicitudine.*

IV. At iam Spado Romam a Constantio missus, Liberii manu irreverenter apprehensa nunc pro imperio iubens, nunc minas intentans, nunc munera exhibens frustra illum ut Athanasii damnationi subscriberet, incitaverat: iam Eusebium, ac Dionysium, ceterosque Confessores in exilium pergentes, tanquam Sacerdotes Domino acceptissimos, tanquam ad futuram gloriam martyres designatos, eximius Pontifex solatus fuerat; atque iam ad Vrbis Praefectum pervenerant mandata Principis, ut Liberium Roma per dolum, aut per vim subductum armati pertraherent Mediolanum: eum, Romanis civibus, Clericis, Episcopis, & Orthodoxis universis ingenti terrore perculsis, trepidantibus,

IV. *Liberius Mediolanum perductus.*

tibus, ad latebras fugientibus, summus Pastor rapitur, vincitur, ad Constantium perducitur, sistit se ad eius tribunal. Diceretis Generis humani Reparatorem, stipatum militibus, Hierosolymam trahi ad iniqui Praesidis aedes.

V. *Liberii constantia, animique fortitudo ante Augusti tribunal.*

V. Quum primum autem Liberius ante Ariani Principis venisset adspectum, nil veritus tyrannidem, nil terrena maiestate perterrefactus, nil immmentia supplicia formidans, *Desine*, inquit, *Christianos persequi: Ne tenta haereticam impietatem per me in Ecclesiam inducere: ne cogas nos fieri Christi perduelles. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quam ut Ariani appellemur; Tibique suademus, ne pugnes contra eum, qui tibi contulit hoc Imperium, neque illi pro gratia referas impietatem*; aliaque plura, quae legi possunt apud Baronium ad ann. 355. Servavit quoque nobis diligentia Theodoreti lib. II. E. H. c. 16. Pontificis & Constantii Colloquium: in quo Imperatori monenti, ut Athanasii communionem abiiceret, respondit (dignam Episcopo Romano sententiam!) *Iudicia Ecclesiastica, o Imperator, summa cum aequitate fieri debent. Quare si placet pietati tuae, iudicium constitui iube. Et si quidem Athanasius condemnatione dignus videbitur, tunc iuxta Ecclesiastici ordinis formam in eum sententia proferetur*. Reponenti Constantio iudicatum fuisse in Synodo Tyria, respondit Liberius, ibi absque ratione ulla fuisse proscriptum, post ipsius e iudicio discessum: adiicienti Imperatori, Eusebianos Niceae congregatos illum a Catholica Fide pronuntiasse alienum, inquit Romanus Pontifex latum hoc iudicium a quinque duntaxat Arianis, qui cum Ischyra navigaverant in Mareotem, Theognio nempe, Theodoro, Mari, Valente & Ursacio: asserenti Constantio, se nullam victoriam, ne quidem illam, quam de Magnentio & Silvano retulerat, tanti facere, quanti, ut sceleratum Athanasium ab Ecclesiae administratione submoveret, ait Liberius, non deberi Imperatoris inimicitias per Episcopos vindicari: minitanti demum exilium, ita responsum dedit: *Fratribus, qui Romae sunt, iam valedixi; potiores enim sunt Ecclesiae leges, quam Romae domicilium*. Ita Νικηφόρος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστὴς, ut vocatur a Theodoreto, in Beroeam Thraciae, intruso in eius sedem Felice, relegatus est; nec certas pecuniae summas illi a Constantio, ab Eusebia huius coniuge, & ab Eusebio Eunucho ei oblatas voluit accipere, magna animi granditate asseverans, iis Imperatorem ad stipendia militum indigere, nisi indigeret autem, Auxentio potius Ariano Episcopo istiusmodi munera largiretur.

VI. *Liberius tandem Arianis consensit.*

VI. Nondum tamen Liberiani exilii exactum erat biennium, cum pollicente Imperatore matronis Romanis, ipsum pro Liberii restitutione rogantibus, redditurum se illis Pontificem, si in eamdem cum Episcopis Orientalibus sententiam concederet: idem Liberius taedio affectus, maceratus inedia, tentatus verberibus, & recuperandae Romanae Sedis accensus cupiditate, Arianis Episcopis morem gessit, obla-

oblatae sibi Sirmiensi formulae subscripsit, in damnationem Athanasii consensit; & Romam reversus est IV. Nonas Augusti anno 358. Revocari nequit in dubium lapsus Liberii, de quo S. Hieronymus in Chronico inquit: *Liberius taedio victus exilii, in haereticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit:* Et in Catalogo Script. Eccl. agens de Fortunatiano Episcopo Aquileiensi: *In hoc*, inquit, *habetur detestabilis, quod Liberium Romanae Urbis Episcopum ad exilium pergentem primus solicitavit ac fregit, & ad subscriptionem haereseos compulit.* Nec aliter de Liberio tradunt S. Hilarius in Fragmentis, Petrus Damianus Ep. 15. Auxilius de Ord. Form. lib. 1. Marcellinus in Chronicis, omnesque Ecclesiastici Scriptores, qui res a Romanis Pontificibus gestas litteris consignarunt. Ipse Athanasius in Hist. Arian. ad solitariam vitam agentes non alia ratione Liberium excusat, nisi quod subscripserit minis mortis perterritus, & quoniam ea, quae tormentorum vi praeter priorem sententiam eliciuntur, *ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita.* Quid vero testimonia ceterorum producimus, quando Liberius, Liberius ipse, in Epistola ad Orientales, quae etiamnum legitur in secundo volumine Operum S. Hilarii, apud Baronium ad an. 357. & eruditis adnotarionibus adiunctis apud Petrum Constant pag. 442. fatetur se damnasse Athanasium, communicasse cum Arianis, & Sirmiensi formulae subscripsisse? Ergo ne Liberium inter Arianorum haereticorum numero computabimus? Id Exercitatione proxima ad trutinam revocabitur.

Liberius Papa ab Arianismi labe purgatur.

Caput XV.

I. Ergone gloriosus ille Fidei Catholicae athleta, Athanasii defensor invictus, Imperatoris Constantii reprehensor liberrimus, Liberius Romanus Pontifex, relicta Roma, suscepto in Thraciam itinere, superatis Beroeae exilii per biennium incommodis, spretis diu minis, aerumnis, verberibus, tandem Sirmiensi Arianorum formulae, & Athanasii damnationi subscripsit; idque non Hilarius solummodo, sed & Hieronymus, & ipse Athanasius, immo suomet ore Liberius, & innumeri scriptores affirmant? Ad hunc plane modum, ut Cap. superiori accepistis, res se habet: Sed ne mentem vestram ea subeat opinio, quae inter pervicaces Divinitatis Domini hostes, perditissimos Arianos Liberium inconsiderate ac temere reiicit; tria a me explicanda intelligatis oportet, videlicet, quotuplex sit formula Sirmiensis, cui revera Liberius Papa subscripsit, & cur ob eam subscriptionem dicatur assensum haeresi praebuisse.

II. *Multiplex formula Sirmiensis distinguitur.*

II. Quarto itaque Christiani nominis Saeculo in Urbe Pannoniae Sirmio variae celebratae fuere Synodi, & variae item compositae fidei formulae. Ac de prima Synodo Sirmiensi, quam vir illustris Pe-

tavius coactam ait adversus Photinum anno 349. *Limenio & Catullino Coss.* non est, cur verba faciamus, tum quia nullam hanc Synodum fuisse putant Cardinalis Baronius, Iacobus Sirmondus, & Petrus de Marca, qui res in fictitia hac Synodo gestas spectare contendunt ad Romanum Concilium eodem anno 349. celebratum sub Pontifice Iulio, & in quo revera Photinum damnatum esse tradunt Hilarius in Fragm. & Athanasius in Ep. ad Solit. tum etiam, quia conditam eopse anno novam aliquam fidei formulam penitus ignoramus. Hac ergo Synodo praetermissa, tres aliae Sirmienses omnium consensu fuere 4. Saeculo congregatae; quarum prima coacta est post Consulatum *Sergii, & Nigriniani* anno 351. ex Episcopis tum ex Oriente, tum ex Occidente Semiarianis, iussu Constantii congregatis; qui deposito, eiectoque Photino eiusdem Sirmiensis Vrbis Episcopo, damnatorum dogmatum Sabellii & Pauli Samosatensis recoctore, edidere formulam fidei, quam Socrates dictatam putat a Marco Arethusio: atque in ea formula *usiae*, & *homousii* vocibus praetermissis, damnarunt rigidiores Arianos autumantes, Filium esse *ex non exstantibus aut ex altera hypostasi, vel fuisse tempus aliquando, cum non esset*. Apertum est autem in hac professione fidei nihil expresse haereticum contineri, neque enim *hypostasis*, ut nunc communiter, accipitur pro persona, sed pro natura; alioqui Sirmienses illi Episcopi Photinianam haeresim non damnassent, sed approbassent. Suspecta est tamen haec Formula Semiarianismi, non tantum, quia omnes illi Episcopi erant Homoeusiani, verum etiam quia subdole definitum & consecratum a Nicaeno Concilio vocabulum *Homoousion* supprellere, & hanc Orthodoxae Confessionis tesseram & characterem abiicientes, haud obscure se demonstrarunt *Consubstantialitatis* oppugnatores. Celebrata est altera Sirmii Synodus anno 357. Cons. Constantio IX. & Iuliano Caes. II. ipsomet Constantio praesente; ac tum definitum est, vocem *Homoousion*, utpote nullibi in Scripturis divinis expressam, & supra omnem humanum captum enuntiatam, nullo pacto in posterum esse usurpandam, & insuper in ea declaratum est, revera Patrem esse maiorem Filio, & Filium Patri subiectum. Etsi vero postrema haec verba possint Catholico sensu exponi, reiecta tamen particula *Homoousiu*, formula illa expresse continet haeresim Arianam; nec immerito a S. Hilario in libro de Synod. vocatur *Blasphemia per Hosium & Potamium conscripta;* propterea quod magnus ille Cordubensis Antistes, accitus ad ipsam Synodum a Constantio, *Centenario maior, & nimium sepulcri sui amans*, imbecillis corpore, & fortasse caligantibus oculis, subscripserit ipsi formulae, id, quod mirantur, ac dolent plurimum Hilarius cit. in loco, Theodoretus lib. IV. Eccl. Hist. cap. 6. Socrates lib. II. cap. 3. & beatissimus Athanasius in sua ad Constantium Apologia, quamquam is scribens ad Solitarios, certiores nos reddat, Hosium morti proximum vim sibi illatam protestatum fuisse, &

Aria-

Arianam haeresim condemnasse: de qua re nobis, qui Historiae huius decursu praeclara Hosii merita, & exantlatos pro Fide Orthodoxa labores commemoravimus, & laudavimus, magnopere est gratulandum. Tertia Sirmiensis Synodus coadunata est an. 359. *Coss. Eusebio & Hypatio*, in qua coram Imperatore Constantio, qui pariter eidem Synodo interfuit, taliter fidei professio concepta est, ut reiecto τῶ ὁμοουσιοῦ, afferat *Filium Patri per omnia similem, quemadmodum sacrae Scripturae affirmant & docent*: atque haec revera est formula dictata a Marco Arethusio, in hoc tantum a prima anni 351. discrepans, quod expresse adstruit Filii cum Patre *similitudinem*, & e medio tollit *usiae & substantiae* nomen; meo quidem iudicio prioris formulae calliditatem, & secundae perfidiam aperte comprehendens.

III. Ex harum formularum explicatione perspicuum arbitror, Liberium, si secundae aut tertiae harum Formularum subscripsit, non posse ab Arianismi insimulatione defendi; posse tamen, si subscripsit dumtaxat primae, sive etiam si subscripsit, ut quidam contendunt cum Petavio lib. 1. de Trinit. cap. 9. professioni ineunte an. 358. a Semiarianis concinnatae ex tribus aliis antea editis adversus Photinum & Paulum Samosatensem, in quibus licet reticeatur *Omousion*, Verbum tamen non declaratur substantiae, Patri extraneae, aut dissimilis. Iam vero Liberium non probasse tertiam illam Formulam Marci Arethusii editam an. 359. perspicuum est ex quo transacto anno Liberius Romam redierit; ut Cap. dictum est praecedenti; immo haec tertia formula fuit apud Sirmium exarata iussu Constantii *XI. Kal. Iunias*, ut deferretur ad Synodum Ariminensem eodem an. Constantii litteris congregatam, ut constat ex Socrate lib. II. cap. 37. Quod, si cum Valesio, Pagio, Caveo, aliisque nonnullis velimus asserere Sirmiensem quamdam Synodum coactam circa festum Paschatis an. 358. cuius fidem Liberius probaverit, ut statim Romam reverteretur; neque id nobis quidquam incommodat, cum ea formula solam damnaret, ut diximus paullo antea, haeresim Photinianam. Sat est igitur ad Liberium purgandum non subscripsisse formulae an. 357. ut Blondellus in libro de Primatu Papae, aliique Novatores autumant ad Romani Pontificis elevandam auctoritatem: cui utique formulae Liberium non subscripsisse aperte inde evincitur, quod cum ea *Latina lingua* fuisset edita a Valente, Ursacio, & Germinio, atque inter Patrem & Filium dissimilitudinem profiteretur, ea exposita, Episcopi, qui erant Semiariani, & Filium Patri *similem* profitebantur, illam tanquam dogmati suo contrariam statim repudiarunt, & a Constantio petierunt, ut iis, qui illam retinerent, aut occultarent, supplicium comminaretur. Non ergo fieri potuit, ut Episcopi illi reiectam a se Formulam Liberio exhiberent subscribendam. Accedit, quod Liberius Formulam illam probavit, *quae Sirmii a pluribus fratribus, & Coepiscopis tractata, exposi-* III. *Cui formulae Liberius subscripserit.*

ta,

ta, & suscepta fuerat ab omnibus, qui in praesenti fuerunt: nam id Liberius ipse testatur ep. ad Episcopos & Presbyteros Orientales: ideoque si omnes Sirmienses Episcopi formulam secundam editam ab Vrsacio & Valente minime susceperunt, neque hanc suscepit Liberius. In ea item Epistola profitetur Pontifex, se *cum universis Orientalibus Episcopis pacem & unanimitatem habere;* quod falsum foret penitus, si secundam formulam suscepisset; quoniam Orientales anno 341. Antiochiae 747. Sardicae, seu potius Philippopoli, & anno 751. in eadem Vrbe Sirmii, plurimum blasphemiae Arianorum negantium Patris cum Filio similitudinem sunt adversati. Demum S. Hilarius in Fragmentis, commemorata Fide a Liberio subscripta, *Perfidiam*, inquit, *quam dicit Liberius, Catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt Narcissus, Theodorus, Basilius, Demophilus, Eudoxius, Cecropius, Silvanus &c.* quos omnes suscepisse Sirmiensem blasphemiam, sive secundam formulam, nemo rerum tunc gestarum non rudis poterit suspicari; ac praesertim si loquamur de Basilio, & Silvano, acerrimis Homoeusianis. Ex his vero Liberium non probasse haeresim Anomaeitarum evidentissime hic ratione concluditur; quoniam ad hoc necessum fuisset, ut reciperet secundam formulam; non primam; aut aliam quamlibet editam contra Sabellianos, absque expressione Arianae impietatis.

IV. *Cur Liberius tanquam Arianus audierit.*

IV. Audiit ergo Liberius, tanquam Arianus, & in haeresim prolapsus dicitur, primum quia Athanasium a communione amovit, nec ullam eius Epistolam se suscepturum promisit: Deinde quia cum Eusebianis omnibus communicavit; tum demum quia subscripsit formulae, quamvis non prohibenti, supprimenti nihilominus *Homoousion*: quae omnia sunt quidem gravissima, non tamen certa Arianae impietatis argumenta; quemadmodum ex dictis manifestissimum esse arbitramur.

De Pontificatu Felicis II.

CAPVT XVI. I. LIBERIO in exilium asportato, ubi tandem consensisse in damnationem Athanasii, & Sirmiensi formulae subscripsisse diximus superiori Distriba, ad regimen Romanae Ecclesiae ab Imperatore Constantio promotus fuit Felix, nominis huius Secundus. Felix enim I. an. 272. electus Ecclesiae Pastor, post biennium saeviente Aureliani persecutione pro Christo martyr occubuit. De Felice autem secundo, num verus Pontifex dicendus sit, magna contentione disseritur: & quid verisimilius censeri debeat, posteaquam utriusque partis momenta produxero, penes unumquemque vestrum erit ferendi iudicii libertas.

II.

II. Qui cum Christiano Lupo pag. 5. Commentariorum in *Dictatum* S. Gregorii VII. & cum Petro Coustant in Selectis Adnotationibus in Pontificum Romanorum Epistolas, aliisque viris doctissimis negant, Felicem fuisse verum legitimumque Pontificem, iis potissimum innituntur momentis. Principio, inquiunt, neque Optatus Milevitanus lib. II. contra Parmenianum, neque Augustinus Epist. 53. alias 165. ubi seriem Romanorum Pontificum ad suam usque aetatem deducunt, ullam faciunt huius Felicis mentionem. Deinde Athanasius in Historia Arianorum *ad Monachos* aperte ingressum Felicis nullum & illegitimum fuisse declarat, scribens ordinatum fuisse a tribus Arianis, & pro conventu populi tres Eunuchos, & tres exploratores adstitisse, fideles vero omnes, cognita haereticorum pravitate, non permisisse illis intrare in Ecclesiam, & procul ab eis recessisse. Insuper Faustinus & Marcellinus Presbyteri in lib. *Precum* oblato Imp. Valentiniano agentes de persecutione Constantii, & commemorata Liberii relegatione, aiunt, eodem Liberio Roma discedente, universum Clerum iureiurando affirmasse, a se quoadusque idem Liberius vitam ageret, nunquam Pontificem alterum receptum iri, quamquam postea cum summo periurii scelere in eius locum Felicem Archidiaconum receperunt: id displicuisse magnopere cunctis Romanis civibus adeo ut, ubi Felix intrusus in sedem Liberii, sacerdotalibus infulis ornatus Templum adiret, singuli procul recesserint, ab illius aspectu, & communione abhorrentes: revertenti post inchoatum exilii triennium Liberio, obviam Romanum populum cum magna frequentia, & cum ingenti gaudio exiisse: Felicem a Senatu & a Populo extra Urbem eiectum, post parum temporis impulsu Clericorum, qui peieraverant, irrupisse rursus in Urbem, & stationem in Iulii Ecclesia trans Tyberim dare ausum, ab omni fidelium & procerum multitudine expulsum de Urbe fuisse cum ignominia & dedecore: denique post annos octo *Valentiniano & Valente Coss.* (annus est 365.) obiisse X. Kal Decembris. Praeterea quod Faustini & Marcellini narrationem confirmat, idem docet Rufinus lib. I. Eccl. Hist. cap. 21. S. Hieronymus in Supplemento ad Chronicum Eusebii, & in suo Chronico S. Prosper; adeo ut non solum Onuphrius Panvinius in Hist. Eccl. quae MS. asservatur in Bibliotheca Vaticana ad annum 355. sed etiam C. Baronius ad annum 357. asserant absque ulla controversia ingressum Felicis iniquum ab omnibus existimari. Ulterius accedunt Socrates, & Sozomenus, quorum ille lib II. Hist. Eccl. cap. 37. ait Felicem in locum Liberii suffectum fuisse ab Ursacianis, amplexumque Arianam perfidiam, promotum per summum dedecus ad Episcopatus honorem; iste vero lib: IV. cap. II. asserit Felicem communione cum haereticis fuisse coniunctum. Insuper scribente eodem cap. II. & 15. Sozomeno, Romanum populum crebris acclamationibus interpellasse Constantium dum Romam profectus est anno 356. ut sibi Pastorem exulem redderet, eumdemque populum tam impense er-

II. *Felicem non fuisse verum Pontificem, quae nam argumenta suadeant.*

ga Liberium amore exarsisse, ut eius causa gravissimas seditiones excitaverit, & ad caedes usque proruperit; Imperatorem vero ea lege restituisse Liberium, ut cum illo etiam Felix Sedem Apostolicam occuparet; idem asserentibus quoque Ammiano Marcell. lib. XVI. ac Theodoreto lib. II. cap. 17. quisnam, obsecro, non videt Romanos cives, plebem universam, sacrosque ministros agnovisse tanquam verum legitimumque Catholicae Ecclesiae Pastorem, unicum duntaxat Liberium, pro cuius etiam restitutione cuncti fideles, & piissimae praesertim matronae Imperatorem Constantium votis, precibus, lacrimisque exoraverant; Felicem autem, quem una cum Liberio sedere iusserat Imperator, Antipapam, invasorem esse, & altare contra altare erexisse? Demum cum unum sit Catholicae Ecclesiae Caput, unus Pastor, unus Petri Successor, & Christi Vicarius; *qua ratione* (ut Petri Coustant doctissimi viri utar verbis) *Romanae Ecclesiae Episcopus audiat, qui legitimo & Catholico eius Pastore vivente, nec deposito, contra Canones in eius locum intrusus est?* Atque haec sunt argumenta, quae Felicem II. e serie Pontificum Romanorum extrudunt.

III. *Quae demonstrare videntur, Felicem fuisse verum Pontificem.*

III. Non desunt tamen monimenta alia, quibus permoti Felicem tanquam legitimum Papam agnoscunt Baronius, Henschenius, Papebrochius, Schelestratius, aliique viri percelebres. Huiusmodi autem sunt: Primum quod Felicem ut verum legitimumque Pontificem commemorant omnes tam MSS. quam typis editi Romanorum Episcoporum Catalogi, ii etiam, qui tempore Vigilii Papae concinnati dicuntur, & Palatino-Vaticanus scriptus tempore Caroli Magni; Anselmus item Lucensis, Anastasius Bibliothecarius, Cardinalis Deusdedit, Ivo Episcopus Carnotensis, & vetustissimae Picturae Basilicae S. Pauli in via Ostiensi; de quibus legendus est eruditus Emmanuel a Schelestrate Tom. I. Antiq. Eccl. diss. II. cap. 9. Addamus Notas Chronologicas Liberianae Basilicae, a Benedicto XIV, qui nunc Christianam moderatur Rempublicam, magnificentius ornatae, editas iam a viro Cl. Francisco Blanchinio, & modo accuratius impressas; in quibus post Iulium occurrit Felix, Liberii autem nomen non legitur, ut illinc inferre possimus, Liberium potius, utpote Apostatam & Arianum, quam Felicem Episcopum Orthodoxum & Martyrem in Albo Pontificum Romanorum locum obtinuisse. Alterum argumentum illud est, quod Felicem tanquam legitimum Antistitem suum veneratur S. Romana Ecclesia, in cuius Martyrologio IV. Kal. Augusti haec habentur: *Romae via Aurelia Sancti Felicis Secundi Papae & Martyris, qui a Constantio Imperatore Ariano ob Catholicae Fidei defensionem, e Sede sua deiectus, & Cerae in Tuscia occulte gladio necatus, gloriose occubuit.* Aequum est autem, ut ubi agitur de Romanae Ecclesiae Pastoribus, traditioni potius eiusdem Ecclesiae, quam testimoniis exterorum credatur. Proximum argumentum est, quod cum sedente Gregorio XIII. ageretur de Emendatione Martyrologii Romani

mani, & complures eruditissimi viri, permoti auctoritate veterum scriptorum, quos superius commemoravimus, existimarunt Felicem ex albo Pontificum esse expungendum: anno Domini 1582. in ipsa die, quae proxime Felicis Natalia praecedit, idest 29. Iulii in Diaconia SS. MM. Cosmae & Damiani posita in Foro Boario ad Templum Pacis, Sarcophagum detectum fuit cum hac lapidea inscriptione: *Corpus S. Felicis Papae & Martyris, qui damnavit Constantium:* quae utique inscriptio nequit referri ad S. Felicem I. quem diximus sub Aureliano, non sub Constantio, subiisse martyrium. Quod si ulterius inventionis istius tempus diesque attendantur, fortasse non absque miraculo dicetur illam adinvenisse, disponente Numine, ne gloriosus Martyr e Fastis Sanctorum abraderetur. Postremo Felicem verum fuisse Pontificem, verumque Martyrem, colligitur ex Actis Eusebii Presbyteri editis a Stephano Baluzio Vol. II. Miscellaneorum ex tribus vetustissimis MSS. Bibliothecae Colbertinae, de quibus consulendus praelaudatus Emmanuel a Schel. cit. dissert. num. 7. Atque haec sunt argumenta praecedentibus opposita, & Pontificatum, ac martyrium S. Felicis II. magna saltem probabilitate vindicantia. IV.

IV. Haeret, ut aiunt aqua: neque enim tarditate ingenioli mei percipere possum, quomodo sedente Liberio, Felix verus Pontifex sit habendus: neque enim ordinatus est Liberii consensu, sed violentia Constantii; atque etiamsi Pontificatum arripuisset assentiente Liberio, Vicarius tamen Pontificis appellandus esset, non Pontifex. Sunt utique permulti qui putant ex intruso legitimum Pastorem evasisse, quando rumor de lapsu Liberii Romam pervenit, & Clerus huiusmodi crimen execratus gubernari a Felice sustinuit. Sed nec istud mente assequor, quomodo Cleri assensus, & mendax opinio efficere valeat, ut intrusus evadit legitimus, aut Pontifex non sit Pontifex. Profecto res ista excusaret quodammodo Felicem brevi illo temporis intervallo, quo de Liberiana Haeresi vigebat suspicio: unde uno tantum anno, & tribus mensibus sedisse tradunt Ivo, Anselmus, Deusdedit, & Basilicae S. Pauli vetustae Imagines; etiamsi ab eius ordinatione usque ad obitum anni decem enumerentur. Tenete igitur, me in vado haerente, quod vobis apparet verisimilius.

Iudicii nostri suspensio.

De S. Athanasio, & de Georgio Episcopo Ariano.

CAP. XVII.

I. A LIBERIO Romano Pontifice, quem ab Arianorum impietate ac perfidia, quoad Fidei professionem ostendimus fuisse immunem, atque a Felice II. de cuius Pontificatu varias precedenti Cap. recitavimus opiniones, ad Athanasium profugum & extorrem, eiusque sedem a Georgio Ariano occupatam, tandem aliquando

dissertatio nostra revertitur, in qua primum de latebris, quas Athanasius petiit fugiens a persecutione Constantii, deinde de condigna Georgii morte instituenda est oratio.

II. *De fuga S. Athanasii in solitudinem.*

II. Affirmavimus Cap. XII. Constantium, fratre Constante interfecto XV. Kal. Februarias *Sergio, & Nigriniano Coss.* idest an. 350. restituisse in Sedem Alexandrinam S. Athanasium, sed paullo post, accusantibus hunc Arianis, quod Aegyptum & Lybiam subverteret, mandasse, ut necaretur ubicumque consisteret: idque modo confirmamus testimonio Socratis lib. II. cap. 26. scribentis: *Ea, quae de Athanasio dicebantur, tantum ponderis atque auctoritatis habuerunt, ut Imperator incredibili furore succensus necari illum iusserit ubicumque esset repertus, & una cum illo Theodulum, atque Olympium, Ecclesiarum in Thracia praesules. Verum Imperatoris mandata Athanasium minime latuerunt. Qui rem praesentiens denuo fugam arripuit, atque hoc modo minas Principis evasit.* Hoc est tertium Sancti Athanasii exilium; nam primum sub Constantino anno 336. alterum an. 341. antea&tis exercitationibus recensuimus. Hoc autem tertium, cum proximo anno a Mediolanensi Arianorum Synodo, celebrata anno 355. contigerit grassante in Alexandrinam Ecclesiam Arianorum factione, sequitur consignandum esse anno 356. *Constantio Aug. VIII. & Iuliano Caes. Coss.* Tunc itaque vir incorruptae fidei, invicti animi, incomparabilis fortitudinis, recepit se in Thebaidis solitudinem, ibique delituit usque ad Constantii obitum, nempe usque ad annum 361. Haec itaque Athanasii desertis in locis, latebrisque habitatio, quinque annorum spatio, plus minus, concluditur.

III. *Quid Athanasius in solitudine egerit.*

III. Quaenam vero putaris fuisse Praesulis maximi inter horrores desertissimae solitudinis corporis animique exercitia? Conscribendis Epistolis, Apologiis, Orationibus, librisque aliis eruditione refertis, dedit operam: hoc enim tempore edidit celeberrimam Apologiam ad Constantium, & alteram de Fuga sua, Historiam Arianorum ad Monachos, Epistolas ad Serapionem de Morte Arii, & adversus oppugnantes Divinitatem Spiritus Sancti, Orationes quoque illas praestantissimas, quas Photius Cod. 140. Bibl. appellat τρόπαιον κατὰ πάσης τῆς αἱρέσεως, ἐξαιρέτως δὲ τῆς Ἀρειανῆς, *Trophaeum adversus omnes haereses, & praesertim Arianorum*: Inter Eremitas Monachosque his impendens operam Athanasius commorabatur; quod suspicantes Ariani tanta incensi sunt rabie, ut non solum Alexandrinos Clericos effugarent, verum etiam cruentas manus adversus Eremi cultores immitterent. Inde factum est, ut se longius Athanasius abduceret, ne qui ipsum susceperant, eius causa vexationes & incommoda paterentur. Quid vero in exitium Athanasii moliti non sunt per id temporis Ariani? *Itinera* (inquit ipsemet Athanasius in litteris ad Luciferum Diaconum suum) *Itinera observant, curas agunt de proficiscentibus & exeuntibus de civitate, naves quaerunt, eremos circuunt, domos perturbant,*

bant, concutiunt fratres, singulis negociis concinnant. At magnus Athanasius, hostibus abdita quaeque rimantibus, perfugium sibi sicca in cisterna quaesivit, ubi libere, nec aerem, vel hominum aliquem videre poterat, uno solum conscio, qui ei parcissimam alimoniam subministraret. Atque haec fuit Athanasii in abditissimis locis usque ad Constantii mortem consuetudo: de qua haec tantum festinante oratione locuti sumus, ut Sedem Episcoparus sui moestam, ac sordidatam possimus invisere.

IV. *De Georgio Pseudo-Episcopo Alex.*

IV. Sedem illam, damnato in Synodo Arianorum Mediolanensi Athanasio anno 355. invaserat perditissimus ac deterrimus haereticorum omnium Georgius Cappadox, a Gregorio, de quo alibi disserui, mus, discernendus. Nam hos duos Alexandrinorum Arianos Episcopos, etsi nonnulli eos imperite confundunt, diversos esse colligitur primo ex Theodoreto scribente lib. II. cap. 14 *Georgio, alteri post Gregorium lupo, cura Gregis illius commissa est*: deinde evincitur e Socrate, qui de Gregorio Alexandriam armata manu adventante pertractat lib. II. cap. 11. & 14. de Georgio autem cap. 28. eiusdem libri, & cap. 2. lib. III. itemque ex Sozomeno agente de Gregorio lib. III. cap. 6. atque de Georgio lib. IV. cap. 10. Idem praeterea commonstrant verba S. Athanasii in Ep. ad Orthodoxos. *Nam quoniam Gregorium, quem antea Eusebiani Episcopum constituerant, postquam de illo scripsissem, omnes vos Catholicae Ecclesiae Episcopi iure, & merito, ob impietatem anathemate percussistis; ob eam causam Georgium nunc iisdem Arianis miserunt Episcopum*. Accedit etiam Chronologica ratio. siquidem Gregorius Alexandrinam sedem invasit an. 341. quando ab Arianis in Synodo Antiochena depositus fuit Athanasius, & idem Gregorius anathemate percussus & eiectus est in Generali Synodo Sardicensi, ut innuunt Athanasii verba nuper producta: Georgius vero intrusus est anno 355. posteaquam in Synodo Arianorum Mediolanensi damnatus iterum fuit Athanasius, & Episcopatum tenuit usque ad an. 362. quando Iuliano imperante ab Alexandrinis occisus fuit. Quamobrem (ut haec obiter adnotemus) errasse videtur cum Theodoretus, qui lib. II cap. 4. ait Gregorium ab ovibus misere fuisse discerptum, in errorem adductus similitudine nominis; tum Socrates lib. II. cap. 14. & Sozomenus lib. III. cap 7. asserentes Gregorium ab ipsis Arianis statim post ordinationem fuisse ab Episcopatu remotum, quod Alexandrinae plebi esset invisus.

V. *Georgii mors & mactatio.*

V. Vbi ergo Arianus Episcopus Georgius Alexandrinam Sedem conscendit, videns omnes cum eo communionem adversari, iussit furore percitus virgines in carcerem trudi, Episcopos constringi vinculis, viduarum & pupillorum annonam diripi, cogi accenso rogo puellas ad se Arianas declarandas, viventes ad tumulum rapi, proiici insepulta mortuorum cadavera, aliaque patrari horribiliora, quae Theodoretus lib. II. cap. 14. Socrates lib. item II. cap. 28. & Sozomenus

cap. 10. verbis ipsius Athanasii describunt. Sed dignam tandem flagitiorum suorum poenam horrendissima morte persolvit. Anno enim 362. iuxta Pagii, Petavii, Valesii, aliorumque Chronologiam, *Mamertino & Nevita Coss.* secundo anno Iuliani, undecimo Liberii Papae, P. Iul. 5075 (gratanter annum istum morte Georgii, & reditu Athanasii memorandum inter faustos connumero, notisque Chronologicis, alboque lapillo consigno) loco quodam Alexandrinae Vrbis neglecto, in quo antea Gentiles peragentes Mithrae mysteria consueverant homines immolare, repertae sunt mactatorum calvariae; quae Christiani, ut ludibrio exponerent idololatrarum superstitionem, circumferre & ostentare coeperunt. Id vero aegre ferentes Pagani, quorum Alexandriae ingens multitudo, in Christianos magno impetu irruentes, alios gladiis, alios fustibus, alios lapidibus enecarunt, plures strangularunt funibus, plures sauciarunt vulneribus, plures ad Salvatoris nostri contumeliam affixerunt cruci: Georgium vero abstractum ab Arianorum Ecclesia, & camelo impositum, tota civitate ignominiose traductum, dilaceratum, suppliciis extinctum post obitum concremarunt, & cum multis pecudum ac bestiarum ossibus in cinerem redactum in ventos dispersere. Placuit haec Socratis, & S. Epiphanii verbis narrare, ne quisquam vestrum crederet quod lib. vii. legitur apud Philostorgium, Alexandrinos Athanasii consilio hoc facinus perpetrasse, ut ipse Athanasius propriam Sedem recuperaret. Constat ex caedis occasione ortam ex repertis cadaveribus in aditu Mithrae, (hoc nomine Persae Solem appellant) ex Paganorum tumultu & furore, ex inflictarum poenarum genere, unde venerit Ariani Episcopi excidium. Et si ulterius animadvertamus in loco, ex quo extracta fuere immolatorum hominum ossa, cogitasse Georgium extruere Arianae communionis hominibus amplissimum templum, cuius rei gratia tunc vacuus & neglectus locus repurgabatur; magis magisque apparebit violati Numinis vindicta. Eius namque, ut Claudiani utar phrasi,

Emicat ad nutum stricto mucrone minister.

Quod erat de Georgio Ariano hac praelectione enarrandum.

Reliqua Vitae Athanasii compendio attinguntur.

CAP. XVIII. I. TRUCIDATUM fuisse sceleftimum Arianum Episcopum Georgium Cappadocem anno 2. Imperatoris Iuliani, & Vulgaris Aerae 362. dictum est superiori Exercitatione. Coacti modo brevitate, & angustia, compendio attingimus quae Iuliano, Ioviano, atque Valentiniano & Valente imperantibus, gessit Athanasius

fius usque ad an. obitus fui 373. ut reliquis duabus differtationibus de Symbolo, quod infignitur ipfius nomine, & de Vita Antonii Abbatis ab eodem confcripta, nonnulla dicamus; nec duae ad Athanafium quaeftiones Critico-hiftoricae a nobis videantur penitus praetermiffae. Aufpicemur itaque orationem ab iis, quae fub Iuliano evenerunt.

II. *De Imperatore Iuliano, revocatione Athanafii, eiusque altera perfecutione.*

II. Iulianum cognomento Apoftatam, Filium Conftantii fratris Conftantini Magni, & Bafilinae nobiliffimae feminae, poft Conftantii patruelis fui mortem ann. 361. arripuiffe Romanum Imperium, dictum eft alibi. Eumdem Iulianum accepto nuncio mortis Conftantii, e Dacia perveniffe Conftantinopolim undecima Decembris die, atque proceffiffe ante demortui feretrum diademate fublato, demiffo vultu, depofitisque omnibus regiis infignibus praeter collanydem, Liberius in Oratione funebri, Ammianus lib. XXII. aliique apud Antonium Pagium ad ann. 361. num. 6. litteris tradiderunt. Eumdem Iulianum Maximo Ephefio, philofopho aetatis fuae celeberrimo, dediffe operam, noctes infomnes duxiffe in ftragulis omnis victus fatietatis expertem, ante, ac poft initum imperium fcripfiffe eloquentiffimas orationes, & idcirco appellatum πατέρα πολλῶν λόγων, tradunt praecitati Libanius & Marcellinus, necnon Socrates lib. III. cap. I. idque de feipfo praedicat idem Iulianus in *Mifopogone*: ac ufum praeterea confuetudine Aedefii, Chryfantii, Prifci, Iamblichi, aliorumque magiam illam profitentium, quae exercetur daemonum invocatione, teftatur cap. 69. Eunapius Sardianus. Eumdem denique Iulianum una cum Gallo fratre piam ab ineunte aetate hauffiffe doctrinam, eamque coluiffe inter ephebos, affirmat Theodoretus cap. 2. tertii libri; atque idem Iulianus fatetur fe profeffum fuiffe religionem Chriftianam annis viginti in Epift. 51. ad Alexandrinos, quos a fide avertere, & ad Paganismum adducere conabatur. Is ergo iniquiffimus Apoftata corruptus consuetudine fophiftarum, & magorum, quos memoravimus paulo fupra, Sedi fuae Athanafium, ceterosque Epifcopos reftituit: quod ne veftrum quifpiam tribuat religioni, aut pietati, adeat Socratem priori capite libri tertii narrantem, quomodo Iulianus compertum habens Conftantium invifum fuiffe Orthodoxis, quoniam Epifcopos pro fide *Confubftantialitatis* certantes ab Ecclefiis expulerat, invifum item Paganis, quod prohibuiffet facrificia idolorum, ut cunctos blanda fimulatione palparet, ac devinciret, iuffit fimul Epifcopos revocari, atque Gentilium templa aperiri. Ita Deo Belial adiungens indulfit Iulianus, ut Meletius Antiochiam, Alexandriam Athanafius, Eufebius Vercellas, Lucifer Sardiniam rediret. At cum de reditu Athanafii Alexandrina civitas ingenti gaudio exultaret, & ipfe Athanafius coactis Synodis, editis lucubrationibus, affiduis hortamentis inftaurare Orthodoxam Fidem ftuderet; Iulianus pecuniarum mulctam impofuit iis, qui abnuerent facrificare; Pagani pueros utriusque fexus impuberes diis fuis immolarunt; & Praefectus Alexandriae iuffu

Impe-

Imperatoris contra Athanasium insurrexit. En rursus Athanasius ad fugam compulsus. Secedens vero Alexandria moestissimis amicis dixisse fertur, *Nubecula haec est, quae cito evanescet*. Itaque conscensa navicula, traiectoque alveo Nili, fugit incomparabilis Episcopus in Aegiptum. Contigit tamen hac occasione quod in eius vita narratur, insequentibus a tergo persecutoribus conversa prora occurrisse, ac petentibus num procul, vel prope esset Athanasius, eius comites respondisse, non longe illum abesse, ac brevi, si properarent, comprehensum iri: atque ita delusis insectatoribus, Alexandriam rediisse, ubi delituit *quoad usque persecutio sedaretur*: verba sunt Socratis lib. III. cap. 14.

III. *De miserrimo Iuliani Apostatae obitu.*

III. Cessavit autem haec persecutio morte Iuliani. Qui cum Christianis inhibuisset docere artes liberales, cum Iudaeis restaurare Templum Hierosolymitanum necquidquam tentasset, omnemque idololatriae & magicis superstitionibus aditum aperuisset, suscepta expeditione adversus Persas, ubi in Mesopotamiam pervenit, atque hinc traiecto flumine, & ponte revulso, ne militibus daretur via redeundi, commissa pugna, & lethali vulnere accepto, mox commota terra, erumpentibus flammis perterritus, haustum propria manu cruorem in coelum proiiciens, Νενίκηκας Γαλιλαῖε exclamavit, eodemque tempore evomuit blasphemiam & animam, VI. Kal. Iulias; *Coss. ipsomet Iuliano IV. & Sallustio* anno Christi Aerae 363. Liberii Papae XII. posteaquam a morte Constantii unum tantum annum, & menses septem regnasset. Incertum, inquit Theodoretus lib. III. cap. 25. num Angelus Iulianum gladio percusserit, num Ismaelita quidam deserti incola, num miles in desperationem actus ob famis & solitudinis molestias: at quicumque id fecerit, fuit proculdubio irati Numinis administer. Ac frustra Pagani in suburbana Villa apud Tarsum, ubi terrae mandarunt Iuliani cadaver, ad huius obliterandam infamiam monumento Epitaphium istud adposuere,

Rex bonus, & saevis bellator fortis in armis
Iulianus iacet hic, ad Cydni fluminis undas,
Dum ferus Euphrates, & Persica tela furentis
Martis opus, coeptosque negatur inire triumphos.

IV. *Imperium Ioviani, & restitutio Athanasii. Eiusdem Ioviani obitus.*

IV. Iuliano autem successit Flavius Iovianus ortus in Pannonia patre Varroniano; qui cum ab universo exercitu in unum collecto salutaretur Imperator, ait se Christianum esse, nec posse regere milites imbutos a Iuliano nefariae doctrinae praeceptis: sed respondentibus cunctis militibus, *Imperabis Christianis hominibus, & in pia disciplina educatis*, suscepit imperium, & Augusti non respuit appellationem. Statim vero reparandae Christianae Reipublicae totum se dedit: Eiectos Episcopos Imperiali Constitutione revocavit: Canonem frumentarium a Iuliano Ecclesiis ablatum restitui altera Constitutione sancivit: Athanasium

nafium confuluit quam fibi credendi regulam proponere deberet; quod Athanafius praeftitit proponens Nicaenam Fidem, & coacta anno 363. Epifcoporum fuorum Synodo confcribens ad ipfum Iovianum Epiftolam illam Synodicam, quae exftat inter Opera Athanafii Tom. 1. pag. 598. apud Theod. lib. IV. cap. 3. & 2. Volum. Conc. pag. 823. Edit. Lab. Singularis autem & falfa eft coniectura Henrici Valefii, qui in Adn. ad praecitatum cap. 3. Theod. putat Epiftolam illam fcriptam Antiochiae, quo ad falutandum Iovianum Athanafius, aliique Epifcopi fe contulerunt; quandoquidem conftat ex prelaudato Volum. I. Op. Sanctiffimi Antiftitis, ex Monito PP. S. Mauri ibidem appofito, ex libello Syncdico, & ex animadverfionibus aliis eruditorum virorum, revera illam Epiftolam confcriptam fuiffe Alexandriae, quemadmodum affirmaverat Card. Baronius ad ann. 363. n. 132. Ad Iovianum autem quod attinet, utinam pro Religionis noftrae incremento longaevam vitam vixiffet! Verum, ut eft rerum humanarum viciffitudo, lufusque fortunae, Iovianus cum egreffus Antiochia Bofphorum verfus iter ageret, Dadaftanis exiguo vico fito in finibus Bythiniae & Galatiae, cum non poffet cubiculi nuper illiti calce odorem ferre, fuccenfione prunarum immenfa extuberato capite fatis ceffit, ut inquit Ammianus Marcellinus lib. 25. Obiit autem Iovianus an. 364. ipfomet, Filioque fuo Varroniano puero Cofs. XIII. Kal. Martias, imperii fui menfe octavo, aetatis anno 33. ut legitur in Chronico Alexandrino, & in Faftis Idatianis: ubi tamen pro XIII. Kal. ficuti exftat apud Socratem & Eutropium mendofe legitur *XI. Kal.* manifefto errore, quum in Codice Theodofiano lib. IX. tit. 25. habeatur lex Ioviani contra raptores lata eodem die XI. Kal. Martias five 19. Februarii.

V. *De Imperio Valentiniani, & Valentis, quibus imperantibus mortuus eft Athanafius.*

V. Ad Imperium, mortuo Ioviano, affumptus fuit Flavius Valentinianus, qui Conftantinopoli IV. Kal. Aprilis Valentem fratrem fuum fecum Auguftum dixit, ac fibi Imperio Occidentali retento, Valenti Orientale conceffit. Id nova contra Athanafium excitavit infidias: nam Valens, qui Arianus erat, & ab Eudoxio Epifcopo baptizatus, aliquo poft tempore, anno fc. 367. iuxta Antonii Pagii, aliorumque recentiorum Chronologiam, Athanafium rurfus exulare iuffit: qua iuffione Ecclefia Alexandrina vehementer turbata eft, adeo ut eximius Antiftes metuens improvidum impetum multitudinis, *quatuor integros menfes in paterno monumento latuerit*, ut lib. IV. cap. 13. inquit Socrates. At Valens veritus ne Alexandrini ob vehementiffimum Paftoris fui defiderium feditionem conflarent, miffis litteris praecepit, ut Athanafius abfque ullo metu Ecclefiam fuam gubernaret: quod paftorali folicitudine fecit usque ad mortis fuae horam, exitumque beatiffimum. Obiiffe Athanafium *Gratiano iterum, & Probo Cofs.* ideft, anno 371. ob teftimonium Socratis, plurimi exiftimarunt: Sed iam viri eruditiffimi ex Epiftola Pafchali Proterii Epifcopi pariter Alexandrini demonftrarunt evidentiffime, Athanafium prope octogenarium decef-

decessisse in quarto Valentiniani & Valentis Consulatu, nempe anno 373. die 2. Maii, eo anno incidente in diem Iovis, posteaquam in Episcopatu exegisset an. 48. nunc tamen exul in Galliis, nunc profugus Romae, nunc petens deserta loca Thebaidis, nunc in fidelium aedibus latitans, nunc in aridis cisternis absconditus, nunc delitiscens in paterno sepulcro: vere Arianorum hostis acerrimus, Orthodoxae Fidei gloriosissimus athleta, & licet in suo lectulo purissimum efflaverit spiritum, praeclarissimus Christi Martyr; quemadmodum in eius historia, quam ipsius patrocinio atque ope ad finem perduximus, Viri ornatissimi, intellexistis.

De Athanasii sapientia, scriptis, & singillatim de Symbolo, quod illi vulgo attribuitur.

CAPVT XIX. I. IVRE meritoque, Viri ornatissimi, Iulius Rom. Pontifex Epist. 4. ad Presbyteros & Diaconos Alexandrinos aiebat, Magni Athanasii illorum Episcopi innumeras vexationes, quarum praecedenti Cap. historicam enarrationem absolvimus, nequaquam fuisse inglorias: quoniam ipsius Athanasii fides fuit ab universis cognita, & comprobata, atque tot ac tanta ei contigerunt ob egregias, quibus ornabatur, virtutes. *Adeptus est igitur* (verba sunt praelaudati Pontificis Maximi) *undecumque tum in hoc, tum in futuro saeculo, gloriosum confessionis testimonium:* atque diversas calamitates terra marique perpessus, & saepe per invidiam appetitus insidiis, & in vitae discrimen adductus, mortem contempsit, cunctas Arianae haereseos molitiones conculcavit, constantiae laude, & celebritate doctrinae ad extremos usque totius orbis fines gloriosus innotuit. Hoc Athanasii elogium eo celebrius, quo Apostolicae Sedis auctoritate munitur, postulat, ut postquam res ab Athanasio gestas descripsimus, perpauca de illius sapientia, scriptisque dicamus.

II. *Athanasii doctrina breviter commendatur.* II. Sapientiam vero Athanasii nedum vobis, sed rudioribus quoque compertissimam esse non dubito. Quis enim ignorat, illum ab ineunte aetate ad conciones Ecclesiasticas, & ad Sacerdotii munus obeundum aptissimum apparuisse, atque, ut verbo utar Sozomeni lib. II. cap. 17. αὐτοδίδακτον, idest, *doctum industria sua*? Quis ignorat, quod eo loci affirmat Historicus, Athanasium vix virilem aetatem ingressum cunctis cum eo loquentibus dedisse doctrinae ac sapientiae luculentissima experimenta? Dei nutu ad Sacerdotium pervenisse, ut eloquentia, & doctrina, qua prae ceteris pollebat, Arianorum sophismata refutaret? & quo nihil potest brevius & magnificentius edici, νόμον τῆς ὀρθοδοξίας τὰ ἐκείνου δόγματα, *ipsius dogmata legem esse Fidei Orthodoxae*? Profecto compertum est omnibus, innumera haberi de Athanasii laudibus omnium veterum testimonia; ad

ad coelum usque sapientiam eius extolli ab Epiphanio, a Nazianzeno, a Cyrillo, a Theodoreto, a Damasceno, ceterisque Patribus & Historicis universis: appellari passim, *Evangelii Preconem*, *Tubam veritatis*, *inconcussam verae fidei regulam*, *lumen & fundamentum Ecclesiae*, *propugnaculum Catholicae religionis*, *fortissimum Divinitatis Filii Dei athletam*, aliisque illustrioribus (si tamen illustriores excogitari possunt) characteribus non tantum a doctissimis Monachis S. Mauri, sed etiam ab Apostata Oudino commemoratis. Ad incomparabilem vero & prope divinam Athanasii sapientiam accedit etiam singularis copia eloquentiae, verborumque delectus; tametsi haec duo vis ratiocinandi sapientiae pedissequa, & orationis ornatus, perraro inveniuntur coniuncta. Neque enim falsum est iudicium Photii Cod. 32. Bibl. ubi de Epistolis Athanasii ait: *Eleganter simul & splendide, clareque compositae sunt, persuadendi insuper vi, & venustate floridae*; ac de libris editis adversus Arium: *Dictio in his perspicua, ut & in ceteris eius omnibus, sobria item & candida, vehemensque ac profunda, & argumenta valide torquens; eius vero ubertas in his ac fecunditas admodum sane fuit admirabilis*.

III. *De scriptis S. Athanasii.*

III. Haec ex ipsius Athanasii scriptis poterit unusquisque vestrum percipere. De iisdem scriptis fuse sollerterque disseruerunt Bellarminus, Labbeus, Dupinius, Natalis Alexander, Caveus, Fabricius, Oudinus, & qui instar omnium esse possunt, clarissimi Operum ipsius Editores. Sunt vero Scriptorum illorum quaedam *Apologetica*, quibus se purgat ab Arianorum criminationibus, a maledicentia adversus Constantium, ab Epistola scripta ad Magnentium tyrannum, ab imputatis homicidii, stupri, & maleficii sceleribus, a Synaxi celebrata in templo nondum dedicato, ab arrepta fuga, atque inobedientia erga Imperatorem: Quaedam *Historica*, quibus agit de Nicaeno Concilio, de Synodis Arimini & Seleuciae, de Arianorum & Eusebianorum in rebus Fidei levitate & inconstantia, de morte Arii, & de Georgii Cappadocis truculentissimi Christianorum hostis tyrannide, de Vita Antonii Monachorum institutoris: Quaedam *Didactica*, quibus pertractat de Sabbati & Circumcisionis abrogatione, & de Canonicis apocryphisque Scripturis. Sed, quae principem tenent locum, plura ab Athanasio scripta sunt adversus Gentes, Iudaeos, Haereticosque, quibus potissimum agit de Verbi Dei Incarnatione, & refellit Arianos, Apollinaristas, Sabellianos, Pneumatomachos, Photinianos: atque haec aliaque omnia glorioso Athanasii calamo scripta, tali semper pretio aestimata fuerunt, ut Cosmas piissimus Abbas hoc praeceptum dederit Ioanni Moscho: *Cum inveneris aliquid ex Opusculis Sancti Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud.*

IV. *Athanasii Opera quaedam spuria, & quaedam dubia recensentur.*

IV. Inter Scripta tamen Athanasii plura suppositicia, & plura dubia reperiri affirmant Critici emunctae naris: ac reiciunt inter spuria *Quaestiones ad Antiochum*, Scriptoris utique Iunioris: *Historiam Ima-*

ginis Crucifixi Berytensis, etiam a Bellarmino alteri Scriptori attributam; *Commentaria* in omnes Epistolas Pauli, quas nonnulli existimant Theophylacti; haesitatur vero a maiori eruditorum virorum numero, num fint genuina Athanasii Opera, *Vita S. Syncleticae* Virginis Alexandrinae, quam Nicephorus sub nomine Athanasii, alii sub nomine Polycarpi Ascetae laudarunt: septem *de Trinitate Dialogi*, quos Garnerius Athanasio, Combefisius autem Maximo adiudicat; & ne per singula vagemur, liber inscriptus *Tragoedia*, a Mario Mercatore affictus Etherio Tyaneo, discipulo Theodoreti. Disceptatur autem prae ceteris de *Symbolo*, quod Athanasii nomen praefesert, necnon de *Vita Antonii*, quam nos paullo supra inter genuina Sancti Athanasii scripta connumeravimus.

V. *De Symbolo, quod S. Athanasio tribuitur.*

V. Ac de Athanasii quidem *Symbolo* in utramque partem disserui Lib. VIII. Theologicarum Lucubrationum, Cap. item 8. tametsi expensis momentis hinc inde productis probabilius videatur opus Athanasio suppositum. Quod principio demonstratur, quia nullus omnino ante annum millesimum sub Athanasii nomine idem Symbolum laudavit: deinde, quia nullibi inter vetustos Athanasii Codices reperitur: insuper quia illius Symboli auctor Latinus, non Graecus fuit; variant enim Graeca exemplaria, & Latina omnia consentiunt, ideoque ex Latino in Graecum, non ex Graeco in Latinum constat fuisse translatum: ulterius quia eodem in Symbolo apertissimae damnantur haereses Eutychetis, & Nestorii, post Athanasii obitum exortae: ad haec quia ab aliis Anastasio Sinaitae, ab aliis Eusebio Vercellensi, ab aliis Vigilio Thapsitano tribuitur; & demum quia auctoritate illius Symboli nequaquam Latini usi sunt ad demonstrandam adversus Graecos Schismaticos originem illam Spiritus Sancti a Filio, quam e Schola Theologi *processionem* dicere consueverunt. Sed de iis plura Dupinius, Vossius, Natalis Alexander, Casimirus Oudinus, aliique, quorum omnium ratiocinationes, & coniecturas cit. cap. 8. librata lance expendimus, & ponderavimus.

VI. *Ostenditur, Symbolum non fuisse ab Athanasio conscriptum in puteo Trevirensi.*

VI. Si quis tamen contrariam sententiam propugnat, cuius & nos eodem loco fulcra & munimenta protulimus & exornavimus; illum monitum volumus, nequaquam praedictum Symbolum conditum fuisse in Galliis, & apud Treviros, quo Athanasius relegatus fuit a Constantino; Trevirensem quoque puteum, qui ab incolis ostenditur, non esse illum, in quo Athanasius ob insidias Arianorum latitans Symbolum ipsum condiderit. Quantum enim contraria opinio procul distet a vero, colligitur ex quo illa de puteo Athanasii fabula orta sit ex prava intelligentia Historiae Rufini scribentis lib. I. cap. 18. Athanasium *sex continuis annis latuisse in lacu cisternae non habentis aquam*: Sed haec contigerunt in Oriente, non in Galliis, quando S. Athanasius post Synodum Mediol. anni 335. usque ad annum 361. quaesitus ad necem, latebras & addictissima loca petiit, ut diximus Cap. XVII.

Atque

Atque id multiplex quoque ratio suadet: prima, quia Athanasius a priori exilio Trevirensi rediit Alexandriam nondum tertio transacto anno: secunda, quia Treviris honorifice a Constantino Iuniore, atque ab omnibus civibus exceptus fuit: tertia, quia spatium illud sex annorum convenit adamussim fugae Athanasii, eiusque latebris, a Pseudo-Concilio Mediolanensi usque ad obitum Constantii: quarta demum, quia Rufinus paulo antea de Constantio, eiusque in Athanasium indignatione, & edicto instituerat enarrationem. Quapropter si Athanasio Symbolum velimus adscribere; necessum erit asserere, editum fuisse in partibus Orientis, atque illinc missum Romam ad Pontificem Iulium, aut Liberium, & Romae deinde translatum in Latinam linguam: quae est sententia Manuelis Caletae lib. II. contra Graecos apud Gerardum Vossium diss. 2. *de tribus Symbolis* §. 7. Ac de Symbolo Athanasiano hactenus; de Vita autem Antonii, proxima & ultima praelectione.

De Vita S. Antonii ab Athanasio conscripta.

CAPUT XX.

I. NON tantum *Symbolum* nomine S. Athanasii insignitum, de quo egimus posteriori Exercitatione, verum etiam *Vita Antonii* ab eodem Athanasio conscripta a morosis Criticis Riveto, Basnagio, Fabricio, Oudino reiicitur inter Opera spuria ac supposita; quamvis haec propugnatores habeat quamplurimos, ut Natalem Alexandrum, Dupinium, Maurinos Patres, & Gerardum Ioannem Vossium, atque Vilelmum Caveum. Priusquam vero de hoc Athanasii Opere verba faciam, duo extra controversiam posita esse arbitror: primum S. Athanasium aliquam Antonii Vitam scripsisse, & controverti tantummodo, num ea, que etiamnum exstat, atque locum habet inter genuinos eiusdem Athanasii foetos, germanus revera sit, an partus S. Patris adulterinus; alterum, scripsisse Athanasium Vitam Antonii ab Evagrio latinitate donatam postremis annis aetatis suae dum tranquille degeret Alexandriae, non autem priusquam anno 341. Romam se contulit, siquidem describitur in ipsa Vita etiam Antonii obitus, qui contigit anno 356. & aetatis eius 105. Quibus praemissis quomodo demonstretur, Athanasium verum esse eiusdem operis auctorem, dicendum est.

II. *Athanasium scripsisse Vitam Antonii demonstratur.*

II. Videtur mihi brevi & evidenter id evinci ab eruditissimo Vossio lib. IV. de Historicis Graecis cap. 18. ubi ait: *Scripsit Athanasius Vitam B. Antonii Monachi; ut testis B. Ephrem Serm. in illud*, Attende tibi ipsi, *cap.* 10. *Nazianzenus Orat. in laudem B. Athanasii, B. Hieronymus in Catalogo Scrip. Eccl. Rufinus Eccl. Hist. lib.* 1. *cap.* 8. *Palladius in Lausiacis cap.* 8. *Socrates lib.* 1. *E. H. cap.* 21. *& Honorius in lib. de Luminaribus Ecclesiae, ubi de Athanasio; & iterum, ubi de Antonio, quo loco illud insigne Volu-*

men vocat. Eam Vitam primus in lucem protraxit vir optime de studiis meritus, David Hoeschelius. Sane ut genuinam multis propugnat Rosvveidus notis in lib. 1. de Vitis Patrum: ubi & H spiniani, & Sculteti argumentis occurrit. Vide etiam Barthium Adversf. lib. 57. cap. 1. Etsi autem Vossius videatur iudicium suum suspendere, subiiciens, *Penes lectorem iudicium esto*, quod Rivetus lib. III. Critici Sacri cap. 4. & Oudinus in dissert. de Operibus S. Athanasio attributis cap. v. pro sua propugnanda sententia animadvertunt, recensens nihilominus praestantissimos viros ac Patres, qui Opus, de quo loquimur, adscribunt Athanasio, & eos laudans, a quibus adversariorum eliduntur obiectamenta, haud obscure innuit, in quam ipse sententiam protendat, & quam infirmo tibicine innitatur adversantium opinio. Nec reponi potest, eam, quae modo exstat, non esse vitam Antonii a Patribus laudatam. Apertissime enim demonstrarunt doctissimi PP. Benedictini Operum S. Athanasii editores, in hac ipsa, quae nunc inter eadem Opera continetur, reperiri ea loca, quae ex libro de Vita Antonii a Palladio, Socrate, Damasceno, aliisque citantur: quod & fatetur in Saeculo Ariano Vilelmus Caveus, ubi ait: *Genuinum esse Athanasii Opus contendunt Benedictini, & argumentis in contrarium allatis respondent, veteremque Evagrii editionem addiderunt. Nec esse germanum Athanasii Opus negare mihi in animo est, quamvis fieri possit (ut ingenue fatetur Cl. Du-Pin) ut ei aliquid sit additum vel immutatum, ut saepe id genus Operibus accidere solet*. Atque haec quidem tradit Dupinius tom. II. Novae Bibl. pag. 71. Et quoniam Rivetus negat in ea, quae sub Athanasii nomine circumfertur, contineri quae apud Socratem, & Patres de magno Antonio narrantur; annon illic exstant quae refert Historicus lib. IV. cap. 23. Antonium vidisse Ammonis animam post obitum susceptam ab Angelis? annon quae leguntur cap. 25. eiusdem libri, cuidam Philosopho ab Antonio petenti, quomodo posset vivere librorum solatio destitutum, Monachorum patrem respondisse, suum librum esse rerum naturam, in qua mirabilia Dei opera etiam a rudibus legi possunt? annon quae exstant apud Augustinum lib. VIII. Confess. cap. 6. & apud Chrysostomum hom. 8. in Matth. Antonium Ecclesiam ingressum, dum legerentur ea verba Evangelii, *Si vis perfectus esse, &c.* tanquam sibi dicta essent, omnibus relictis, nudum sequutum fuisse Christum, & in Solitudinem statim migrasse? Quid plura? Ipsa adhuc persistens versio vetus Evagrii, Vetusti Graeci Codices Bibliothecae Vindobonensis, & Oxoniensis, unde primum eruta fertur, & Latinorum, Graecorumque consensio, huiusce Operis auctoritatem evincunt. Testimonia itaque Scriptorum & Patrum, collatio locorum, quae ab iis ex *Vita Antonii* prompta fuere, Versio Evagrii Antiocheni presbyteri, veterumque Codicum mira conspiratio, redarguunt & revincunt submorosos Criticos, qui Opus istud abiudicant Athanasio.

III. Mul-

III. Multa tamen sunt, quae adversus hanc omnium fere Catholicorum assertionem praecitati heterodoxi obiiciunt: cuiusmodi sunt ea, quae in *Vita* Athanasio tributa narrantur de eiusdem Antonii in extremis agentis *melote*, seu pallio, donato Athanasio, repugnare iis, quae tradit Hieronymus in Vita Pauli Eremitae, scilicet pallium illud allatum ad sepeliendum eiusdem Paulli cadaver, longe antea, quam Antonius e vivis excederet. Cui oppositioni cum respondisset Natalis Alex. Sect. 21. *de scriptis Athan.* duplex fuisse Antonio pallium, unum datum dono Athanasio, alterum, quo Pauli corpus demortuum fuit involutum; haud illepide respondet Casimirus Oudinus, Natalem Alexandrum, quanquam garrulitatis plurimae scriptorem, opinari tot Antonio pallia adfuisse, quot sibi, quatuor aut quinque ad luxum habenti, ut ornatior per vicos Parisiensis urbis incederet. Huic vero obiectioni alias pluras Rivetus & Iacobus Basnagius adiiciunt, videlicet, de congressu Pauli cum Antonio nullum in Pseudo Athanasio apparere vestigium: narrare Vitae Antonii consarcinatorem, aegrae Antonium ipsum rescripsisse Imperatoribus Constantino & Constantio; quod opponitur Sozomeno scribenti lib. II. cap. 31. Antonium frequentes litteras pro reditu Athanasii ad Constantium misisse: narrare magnos Antonii labores, pugnasque initas cum Daemone, quas credi nequit exercuisse Monachum ieiuniis vigiliisque confectum, ac somno brevissimo supra stoream cubantem: narrare innumeras diabolicas visiones, & spectra, quae aperte olent fabellas aniles: narrare Balacium occisum fuisse ab equo Nestorii Praefecti Aegypti, qui ipsum comitabatur, cum verus Athanasius in Epistola ad Solit. scribat, Balacium obiisse morsu equi, cui ipse insidebat; ut mittam cetera huius furfuris, quae me taedet referre. III. *Obiecta quaedam adversariorum producuntur.*

IV. Ad haec autem repono, Antonium pallium suum, quod unicum habuisse puto, dono accepisse ab Athanasio. Moriturus autem Paulus Antonium, qui ipsum inviserat, & secum mori desiderabat, rogavit, ut ad Solitudinem suam rediens pallium illud ab Athanasio acceptum afferret, ut ipso corpusculum suum obvolutum sepeliret. Inquit enim Paulus ad Antonium: *Expedit tibi sarcina carnis abiecta, agnum sequi. Sed & ceteris expedit fratribus, ut tuo adhuc instituantur exemplo. Quamobrem quaeso perge, & Pallium, quod Athanasius Episcopus dedit, ad involvendum corpusculum meum defer.* Ita scribit Hieronymus *in Vita Pauli*. Nulla itaque antilogia, nulla historiae contradictio: Athanasius, dum in solitudine versaretur, pallium dono dedit Antonio; Antonius eodem pallio involvit corpus Pauli patris Eremitarum; & cum idem Antonius morti esset proximus an. 356. (quo anno certum est Athanasium deserta loca petisse) memor donati sibi pallii, Athanasio vicissim dedit *melotem* suam; quam puto non pallium fuisse, sed vestem ovillam, sine qua nefas erat antiquis Aegypti Monachis capere cibum, vel somnum. In ceteris autem IV. *Praemissae oppositiones eliduntur.*

tem

tem diluendis non moror. Quid enim obstat veritati historiae circumstantiam aliquam praeterire? quid Antonium ob eremiticae vitae cultum non amasse epistolarum cum Augustis commercium, ad eos tamen libenter scripsisse permotum fidei zelo, & amore Athanasii? quid ab homine ieiuniis vigiliisque confecto inita proelia cum Daemone ipsum variatis spectris aggrediente, nec dapibus aut membrorum robore, sed ieiunio, oratione, patientia vincendo? quid tandem, Balacium unius, vel alterius equi morsu fuisse interfectum, cum uterque in eodem Nestorii stabulo enutrirentur? Negatur itaque immerito *Vitam Antonii* fuisse scriptam ab Athanasio: in cuius gloriam conscripsimus, & absolvimus hanc tertiam praelectionum nostratum partem.

DISSERTATIONES

IN QVIBVS

QVINTI CHRISTIANI SAECVLI

ECCLESIASTICA HISTORIA

CONTINETVR.

ECCLESIAE V. SAECVLVM.

CAPVT I.

ENVMERANTVR PONTIFICES MAXIMI.

* * * * * * * *
* * * * * * *

PASTORES Romanae Ecclesiae quinti Saeculi sunt *Innocentius I. Zosimus, Bonifacius I. Caelestinus I. Sixtus III. Leo Magnus*, *Hilarus*, *Simplicius*, *Felix III. Gelasius I. Anastasius II. & Symmachus*, omnes albo Sanctorum adscripti.

Innocentius I. Albanensis inauguratus an. 402. Causae S. Ioannis Chrysostomi contra Theophilum Alexandrinum patrocinatus, pulsis ex Vrbe Novatianis, & Pelagianis, ut verbis utamur Prosperi, *Apostolico mucrone percussis*, post annos Pontificatus 15. *Coss. Honorio A. XI. & Fl. Constantio II. an.* 417. cessit e vita.

Surrogatus est Zosimus, Graecus genere, qui cum Caelestio aliquando lenius se gessit; sed eius fraude detecta, ipsum ceterosque Pelagianos damnavit, obiitque post annum Episcopatus, in *XII. Consulatu Honorii A.* anno 418.

Ecclesiae deinde praefuit *S. Bonifacius* Rom. quanquam perpauci favore Symmachi P. V. Pontificem nominarent Eulalium Archidiaconum; quem Honorius principio favore prosecutus, ut ex Vrbe pelleretur mandavit, Bonifacio munus suum obeunte ad annum usque 423. quo e vita migravit *Consule Mariniano*.

Post hunc sedit ultra annos 8. *S. Caelestinus I.* qui Novatianos eiecit, Nestorianos damnavit, Semipelagianos compescuit, & concessit naturae VIII. Id. Apriles *Coss. Valerio, & Aetio*, anno scilicet 432.

Inauguratus tum Pontifex *Sixtus III.* Iuliani Eclanensis, aliorumque Pelagianorum insectator acerrimus. Qui administrato annis fere octo Pontificatu, obiit V. Cal. Apriles anno 440. *Coss. Valentiniano A. V. & Fl. Anatolio*.

Leo I. haereticorum omnium, praesertim Eutychianorum, oppugnator, sanctitate, sapientia, facundia, qua Attilam, & Gensericum linivit, ac deterruit, vere *Magnus*, successit Sixto, & supra annos 20. rexit Ecclesiam, mortuus *Coss. Dagalaipho, & Severino*, an. 461.

Suffectus Leoni Magno *Hilarus* natione Sardus. Is Eutychem, Nestorium, & Macedonium rursus damnavit; obiitque IV. Idus Septembris anno 467. *Coss. Prisco, & Ioanne*.

Decessorum exempla secutus S. Simplicius Tiburtinus irritos reddidit Eutychianorum, iisque faventium Zenonis, Augusti, & Acacii conatus, prae-

fuit-

fuitque Ecclesiae ultra an. 15. vita functus *Consule Anicio Fausto*, nimirum an. 483.

Pontificatum deinde auspicatus est Felix III. qui reiecit Zenonis *Henoticum*, & anathemate percussit Acacium C. P. Petrum Moggum, & Fullonem, obiitque nono Pontificatus anno, V. Aer. 492. *Anastasio A. & Rufo Coss.*

Sedit post Felicem *S. Gelasius* Afer, corporeis vinculis solutus anno Episcopatus sui quinto, *post Consulatum Viatoris*, idest, anno 496. post expunctum e diptychis Acacii nomen, eiectos Manichaeos, recisa germina Pelagianorum, Canonicos ab Apocryphis libris distinctos, sublataque Lupercalia.

Tenuit postea Episcopatum Anastasius II. Romanus, pro Orientalis, & Occidentalis Ecclesiae unione, quam epistolis, legatis, probatisque Ordinationibus Acacii a Communione segregati curavit quammaxime, mirum in modum solicitus: defunctus 2. Pontificatus anno, Aer. Com. 498. *Consule Decio Paulino*.

Deinde evectus est ad supremum Ecclesiae regimen *Symmachus* e Sardinia, Pontificatu functus summa animi constantia adversus Schisma Laurentii ultra annos 15. Fuit enim illi extrema dies XIV. Cal. Augusti an. 514. *Consule* absque Collega *M. Aur. Cassiodoro Senatore*.

CAPVT II.

SAECVLI ECCLESIAE V. CONCILIA.

IN tres classes plura Saeculi V. Concilia dividimus, quae adversus haereticos, quae pro variis disciplinae capitibus, & quae reiicienda sunt, secernentes.

Adversus Donatistas, Pelagianos, Nestorianos, & Eutychianos celeberrimi habiti sunt Sacrorum Antistitum Conventus. Et primo contra Donatistas in Catholicos armis irruentes anno 404. congregati *Carthagine* Episcopi Afri ediderunt *Commonitorium Synodicum* ad Honorium Augustum. Duobus proximis annis 405. & 406. *in eadem Vrbe* Episcopi congregati de ipsorum Donatistarum, & Paganorum molitionibus certiorem rediderunt Imperatorem, & contra illos Honorii obtinuerunt rescripta. Synodos eamdem ob rem coegerunt anno 408. & 410. & impetrarunt a Principe, ne palam convenirent, ritusque suos exercerent, proscriptionis ac mortis poena proposita. Habita anno 411. celebris *Collatio Carthaginensis* coram Marcellino Tribuno, triplici absoluta congressu. Convicia, & mendacia in Collatione illa a Donatistis conficta, refutata fuerunt in Concilio *Cirtensi* habito in Numidia anno 412.

Celebratas in Causa Pelagianorum 24. Synodos, Augustino superstite, enumerat Garnerius, sed celebriores tantummodo recensebo.

Pri-

Primo Pelagius & Caeleſtius damnati fuerunt in Synodo *Carthaginenſi* ſub Aurelio anno 412 In *Hieroſolimitana* ſub Iaonne anno 415. In *Dioſpolitana*, ubi tamen Pelagius callide fidem ſuam occultavit, anno ipso 415. Sub Eulogio. In *Milevitana* ſub Primate Numidiae Silvano, anno 416. In *Romana* ſub Innocentio I. anno 417. & in altera eodem anno ſub Zoſimo. In *Conſtantinopolitana* ſub Attico, & in *Antiochena* ſub Theodoto, eodem pariter anno. In plenaria *Carthanginenſi* ex omnibus Provinciis Africae anno 418. ab Aurelio collecta. *Anazarbi* in ſecunda Cilicia ſub Maximiano an. 422. In *Africana* univerſali, & in *Romana* ſub Caeleſtino anno 325. In *Arelatenſi* ſub Honorato an. 427. Poſt Auguſtini autem obitum damnati fuerunt Pelagiani in Concilio *Epheſino*, de quo infra.

Adverſus Neſtorianos indixere Synodos *Romae* Caeleſtinus an. 330. & ſeq. quo tempore etiam *Alexandriae* Concilium coegit S. Cyrillus. Anno autem 431. Pontificis nutu, ac Theodoſii divali habita eſt Synodus *Epheſina* inter Oecumenicas III. S. Caeleſtinus vices ſuas commiſit Cyrillo. Interfuerunt Epiſcopi 274. Damnatus Neſtorius, & rurſus Pelagius: una in Chriſto propugnata Perſona, atque intra utramque naturam unitio, quam Theologi appellant *hypoſtaticam*. Virgo Maria declarata eſt Θεοτόκος. Neſtoriani *Simoniani* dicti fuerunt, eorumque libri proſcripti an. 435. in Concilio *Armenorum*.

Haereſim Eutychianam Neſtorianae oppoſitam, & unam aſſerenti Verbi Incarnati Naturam, proſcri-

psit anno 448. Synodus *Constantinopolitana* sub Flaviano, & alia ibidem celebrata anno 450. Proximo anno 451. Marciano imperante celebratum est Concilium *Chalcedonense* quod est Oecumenicum IV. convenientibus, ut fertur, Episcopis 630. Damnati sunt Eutyches, & Dioscorus, approbata Leonis Magni *Epistola ad Flavianum*, atque actitata est Causa Theodoreti, & Ibae Edesseni. Synodis istis contra haereses celebratis adde plenariam *Hispanicam* anni 447. adversus Priscillianistas, de cuius loco non constat.

Firmata Ecclesiae disciplina an. 401. circa parvulos ab haereticis baptizatos in Concilio *Africano*: de causis Episcoporum Synodali Iudicio finiendis an. 402. in Concilio *Numidiae*: de reconciliandis Donatistis an. 403. in Concilio III. *Carthaginensi*: de irritis Ordinationibus an. 405. in Synodo *Toletana*: de Andronico Lybiae praefecto anathemate a subditorum vexatione cohibendo an. 411. in Synodo *Ptolemaidis*: de electione Heraclii, ut Augustino in Episcopatu succederet anno 426. in Synodo *Hipponensi*: de purgatione criminum, quorum insimulabatur Sixtus, anno 433. in Concilio *Romano*: de rebus multis ad Ius Ecclesiasticum pertinentibus anno 441. *in Arausicano*: de diversis Ecclesiasticis legibus an. 452. in Synodo *Arelatensi*; & de retinendis, reiiciendisve libris in *Romana* Gelasii anno 494.

Reprobatur Synodus *ad Quercum* prope Chalcedonem anni 403. sub Teophilo Alexandrino contra S. Ioannem Chrysostomum: *Latrocinalis Ephesina* pro Eutychete an. 449. sub Dioscoro, cuius Acta

sta.

ſtatim Leo Magnus abolevit: *Conſtantinopolitana* Eutychianae factionis anni 496. qua approbatum fuit Zenonis *Henoticum*, & *Conſtantinopolitana* celebrata an. 499. iuſſu Anaſtaſii Imp. in qua Epiſtola S. Leonis Papae, Concilium Chalcedonenſe, omnesque confitentes duas in Chriſto naturas impio damnati ſunt anathemate.

CAPVT III.

EXORTAE QVINTO SAECVLO HAERESES.

COnſtat ex dictis, tres erupiſſe quinto Saeculo haereſes precipuas, Pelagianam, Neſtorianam, & Eutychianam. Priori nomen dedit *Pelagius* Britannus, ex eo Monachorum genere, qui ſui iuris ad inſtar Philoſophorum vivebant. Fuit Romae ſedente Anaſtaſio, atque inde diſceſſit circa annum 409. Ibi audivit Rufinum, ſcripſitque librum *Eulogiarum*. In Siciliam cum Caeleſtio, hinc in Africam, mox in Palaeſtinam transmiſit. Vivebat adhuc anno 420. Poſt haec tempora altum de illo ſilentium. Negavit Originale Peccatum transfundi in poſteros Adae, & a Gratia praeveniri liberum voluntatis arbitrium, affirmans eamdem Gratiam dari ſecundum merita noſtra. Pelagii haereſis etiam *Caeleſtiana* dicta eſt a Pelagii diſcipulo *Caeleſtio*, quem alii Scotum faciunt, alii Campanum. Affinis Pelagianae haereſi fuit error *Semipelagianorum*, qui licet Chriſti Gratiam neceſſa-

riam

riam assererent ad faciendam perficiendamque iustitiam, illam tamen non requirebant ad initium Fidei, & ad primum bonae voluntatis affectum.

Coniuncti necessitudine quadam erroris Pelagianis fuerunt *Nestoriani*, nam hi dogmatizabant Christum *purum* hominem natum ex Virgine, suisque meritis, & liberi arbitrii viribus ad talem gratiam pervenisse, ut Filius Dei diceretur. Hausit hoc venenum a Theodoro Mopsuesteno *Nestorius* Syrus, qui anno 428. Sisinio successit in Episcopatu C. P. & duas in Christo dogmatizans personas, seu Deum, hominemque, non ὑποςάσει, sed morali tantum unione coniunctos, contendebat Virginem hominem peperisse, non Deum, ac proinde χριστοτόκον, non θεοτόκον, esse vocandam. Damnatus a PP. Ephesinis, & in exilium pulsus post multos errores periit circa an. 440. Oasi in Lybia terrae allisus, eique erosa vermibus lingua.

Eutychianis nomen dedit *Eutyches* C. P. Archimandrita. Is iam senex circa an. 448. coepit asserere, unam esse in Christo naturam, ex divina atque humana permixtam. Magna nactus est patrocinia; eique adhaeserunt *Dioscorus* Alexandrinus, & qui eiusdem factionis subsequuti sunt, *Timotheus Aelurus*, *Petrus Moggus*, *Athanasius*, *Ioannes Hemula*, nec non *Petrus Fullo*, qui an. 471. sedem invasit Antiochenam, quique *Trisagio*, ut divinam naturam passam assererent, additamentum illud apposuere, *Qui crucifixus es pro nobis*, ab aliis tamen Catholico acceptum sensu, relatumque ad secundam Trinitatis Perso-

ſonam; non ad Divinitatis ſubſtantiam. His quoque acceſſere qui pugnantes pro Zenonis *Henotico* communionem cum Eutychianis ſervabant.

Praetermittenda non eſt haereſis *Vigilantii*, quam joco S. Hieronymus vocabat *Dormitantium*, improbantis cultum Martyrum Reliquiis exhibitum, cereosque in illorum Memoriis accenſos: *Acephalorum*, qui duce Severo, a quo & *Severiani* dicti ſunt, neque Catholicis, neque haereticis copulabantur, neque cum ſuo conveniebant Epiſcopo, *Acephali* idcirco appellati; ſcilicet, *ſine Capite*: *Abelianorum* denique, qui ab Abele ſeſe denominantes continentiam profitebantur, & quamvis nuptias contraherent, nunquam tamen fas eſſe putabant dare operam gignendis liberis; atque ne deſtituerentur heredibus, filios inopum finitimorum adoptabant. Prope Hipponem regium habitaſſe, ſed ad mentem ſaniorem revocatos aſſerit Auguſtinus. Commemorant nonnulli haereſim *Praedeſtinatianorum* exortam, ut aiunt, in Africano monaſterio Adrumeti; ſed nos arbitramur eſſe fictitiam.

CAPVT IV.

DE SCRIPTORIBVS QVINTI SAECVLI PRAESTANTISSIMIS.

ANnus 420. ſupremus fuit *Hieronymo* Stridone in Dalmatia nato, & in Latino, Graeco, Hebraeoque ſermone, cunctiſque diſciplinis doctiſſimo. Na-

tus dicitur anno 322. & vita functus aetatis suae 91. in secessu Bethlehemitico. Donatum in Grammatica, Victorinum in Rhetorica, Didymum in Graecorum doctrina, Bar-haninan in Hebraicis litteris habuit institutores; & a Paulino Antiocheno presbyter fuit ordinatus. Quantum in Sacris Litteris enituerit, Divina eius Bibliotheca demonstrat, sacros, scilicet, complectens Hebraeorum, Graecorumque Codices, quos latinitate donavit. Illustravit eosdem libros exquisitissimis commentariis, eloquenti stilo instruit Matronas, Virgines, Monachos, & cuiusque generis viros: acriori Helvidium, Iovinianum, Vigilantium, nec non Rufinum, cunctosque sibi adversantes pupugit.

Quid dicendum est de *Augustino?* Natalis ei annus 355. emortualis 430. Mirum eius ingenium ostendit, quod adolescentulus in patria Tagaste grammaticam, & Carthagine rhetoricam docuerit artem, & superiores disciplinas nullo tradente didicerit. Paganos aureo *de Civitate Dei* Opere confutavit; Donatistas, Manichaeos, Pelagianos, ceterosque aevi sui haereticos exagitavit libris, numero, doctrina, ac pondere argumentorum, magno precio estimandis: Conciones quoque, & epistolas conscripsit plurimas; & in sacris explanandis libris egregiam navavit operam. Nihil eo humilius, nihil humanius, nihil indefessum magis, & in ecclesiasticis & civilibus negociis pertractandis magis assiduum, Ecclesiae fulgidissimum Lumen, Scholasticorum Theologorum Ducem, &

Gra-

Gratiae & Caritatis Magiſtrum univerſi appellant, atque ſuſpiciunt.

Condigna ulterius habenda eſt mentio *S. Cyrilli*. Qui fuit in Epiſcopatu Alexandrino ſucceſſor Theophili vita functi anno 412. & Neſtorianae haereſis invictiſſimus oppugnator, quamvis in eo redargutus a Theodoreto, aliisque, quod Verbi Incarnati dixerit μίαν φύσιν. At certum eſt φύσεως vocabulum loco ὑποςάσεως uſurpaſſe ad unam ſignificandam Chriſti perſonam. Praeter quinque contra Neſtorium libros, ac de Trinitate, de Incarnatione, de recta Fide, & ſuimet apologias, & homilias, epiſtolasque permultas, decem libros edidit contra Iulianum, atque in Pentatheucum, in Prophetas, & in Evangelium Ioannis locupletiſſima Commentaria. Obiit autem Fidei athleta anno Aer. Chr. 444.

Vt contra Neſtorium Cyrillum, ita contra Eutychen Deus defenſores Eccleſiae ſuae ſuſcitavit: inter quos *Leonem I.* Romanum Pontificem, & *S. Petrum Chryſologum* Ravennatem Antiſtitem. Is natus apud Forum Cornelium, a Sixto III. praemonſtrantibus Petro Apoſtolo, & Apolinare Martire, conſecratus eſt Epiſcopus Ravennae, atque ex hac vita migravit circa ann. 450. Praeter Sermones tali conſcriptos facundia, ut inde illi acceſſerit *Chryſologi* congnomentum, hortante praelaudato Leone Magno ſcripſit ad Chalcedonenſe Concilium contra haereſim Eutychetis, nec non ad Eutychen ipſum, ut haereſiarcham revocaret ad frugem.

Quamquam vero hactenus laudati quinto Ecclesiae Saeculo lucem attulerint splendidissimam, non defuerunt tamen praeclarissimi Scriptores alii, qui vel eruditionis ornatu, vel rerum gestarum narratione, vel sacra etiam poesi, locum in hac Epitome sibi vindicant. Refero ad priorem classem *S. Chromatium* Aquilejensem, quam Hieronymus vocat sui temporis Episcopum *doctissimum*, & *sanctissimum*, vita functum an. 413. *Polischronium* Syrum, quem summa cum laude memorant Theodoretus, solutum corporis nexu circa an. 427. *Isidorum* a monasterio Pelcusii prope Nilum, denominatum Peleusiotam, qui vivebat adhuc anno 430. & decem millia Epistolarum scripsit, si Fidem promereatur Nicephorus: *Marium Mercatorem* studiosissimum Augustini, Fideique Catholicae adversus Pelagianos, & Nestorianos Vindicem strenuum, ex hac ereptum vita circa an. 450. *Ioannem Cassianum* Scytam, Chrysostomi discipulum, qui decessit Massiliae, ubi Monasterium aedificaverat an. 448. Salvianum eiusdem Civitatis presbyterum: *Nilum Nitriensem*, & *Honoratum*, *Maximum*, *Hilarium*, *Vincentium*, & *Eucherium*, Lirinenses Monachos, doctrina & sanctitate percelebres, Sanctum *Remigium* Francorum Apostolum, *Iulianum*, *Pomerium* &c.

Narrarunt vero res in Ecclesia gestas *Severus Sulpitius*, & *Palladius* Saeculo quinto ineunte: quorum primus natione Gallus *Istoriam Sacram* usque ad an. 400. stilo facili, & supra genium saeculi terso; alter

alter Galata Historiam *Lausiacam*, Vitas SS. Patrum narrantem, ita nuncupatam, quoniam ad *Lausum* praefectum Cubiculi inscripta fuit, de rebus a Chrysostomo gestis, & de Gentibus Indiae, ac Bracmanibus, sedulo diligenterque conscripsit. Subsequuti sunt Sancti viri, & discipuli Augustini, *Paulus Orosius*, & *Possidius*. Ille Hispanus genere, & presbyter Tarraconensis, Historiarum lib. VII. contra Paganos, eodem monente Augustino, circa ann. 417. complevit: iste autem Calamensis in Africa Episcopus, an. 430. S. Patri morienti adfuit, & res ab eo gestas, librosque recensuit. Praeter opera alia complura Ecclesiasticam Historiam ab anno 322. ad ann. 427. deduxit *Philotheum* continentem Ascetarum elogia, & Haereticorum descripsit fabulas, Theodoretus genere Antiochenus, & Cyrensis Episcopus, qui obiit septuagenario maior circa annum 457. Vir magnus, quamvis aliquando patrocinatus Nestorianis. Accinxit se ad Ecclesiae Historiam scribendam anno 440. Socrates C. P. appellatus *Scholasticus*. Hunc Novatianum plurimi vocant, sed nititur vindicare Valesius. Superatur eloquentia ab *Hermia Sozomeno* Palaestino, qui per eadem tempora libros novem Hist. Eccl. edidit, ut nuncupavit Theodosio. Accesserunt *S. Prosper* Aquitanus, Augustinianae doctrinae vindex, cui Chronicum adscribunt deductum usque ad ann. 455. *Victorius* itidem Aquitanus, a quo in calculis mathematicis admodum exercitato scriptus est anno 457. *Canon Paschalis*: & *Victor* Vitensis Episcopus in

By-

Byzacena provincia, a quo apud Constantinopolim exule litteris tradita est an. 487. Historia Persecutionis Vandalicae. Postremo Gennadius Massilensis an. 495. absolvit *Catalogum* Virorum illustrium, una cum libro de *Ecclesiasticis Dogmatibus* ad R. P. Gelasium.

At quinam stilum in sacra exercuerunt poesi? Initio *S. Paulinus* Nolanus Episcopus patricio genere ortus Burdigalae, & vita functus anno 431. non solum Epist. 50. soluta oratione, verum *Natales X.* S. Felicis M. aliaque plura eloquenti metro composuit. Tum *Aurelius Prudentius* Hispanus, *Psychomachiam*, Cathemerinon, περὶ στεφάνων, *Apotheosin*, *Hamartigeniam, contra Symmachum*, idest, *de pugna vitiorum, & virtutum, hymnos diurnos, & de coronis, de Divinitate, de peccatorum origine*, & contra idolorum cultum, varii & venusti carminis contexuit poemata. *Nonnus* Aegyptius inter cetera scripsit, hoc saeculo adolescente, Graeco turgidoque carmine *Paraphrasim* Evangelii S. Ioannis. *Athenais* quoque Atheniensis, anno 432. desponsata Theodosio Imp. & vocata postmodum *Eudocia Augusta*, absolvit *Centones* Homericos, condiditque heroico carmine *Metaphrases*, Historiam SS. MM. Cypriani, & Iustinae, & Poema de victoria a Theodosio viro suo e Persis reportata. *Proba* item *Falconia* Christi vitam edidit *Centone* Virgiliano. Etiam *S. Hilarius* Arelatensis, qui in Episcopatu successit S. Honorato anno 429. praeter decessoris sui Vitam, Carmen Heroicum condidit Historiae Geneseos. Adde *Coelium Sedulium* natione

Sco-

Scotum, qui conscripsit Carmen *Paschale* de miraculis Christi, distributum in libros quinque, Collationem utriusque Testamenti versibus Elegiacis, & Iambis, *Paean* inscriptum Carmen de rebus a Domino gestis. Demum *Claudianus Mamertus* presbyter Viennensis, qui florebat circa annum 462. carmine *vanos Poetas* perstrinxit, Hymnosque Ecclesiae, cui erat addictus, concinne digessit.

CAPVT V.

DE AVGVSTIS PRINCIPIBVS, VIRISQVE SANCTITATIS EXIMIAE.

SVpra dictum est, defuncto Theodosio M. an. Aer. V. 395. incepisse *Honorii*, & *Arcadii* principatum. Iste in Oriente, ille in Occidente imperabat: atque exinde duo distinguuntur Imperatores, vel potius unius Imperii Collegae; nam leges, & rescripta utriusque nomine signabantur.

In Occidente itaque sublato e vivis Honorio Romae ex aqua intercuti, *Coss. Asclepiodoto*, & *Mariniano*, idest an. 423. die 25. Augusti, & imperii sui a morte patris 28. tyrrannidem Ravennae arripuit primicerius Notariorum *Ioannes*: quem Arcadius in Italiam veniens oppressit, & ad imperii consortium evexit *Valentinianum III.* Filium Constantii Caesaris, & Gallae Placidiae, anno 425. in Consulatu eiusdem *Theodosii XI.* Octobri Mense labente.

Idem

Idem *Valentinianus*, cum manu sua interfecisset Aetium, cuius summam apud milites suspectam habebat auctoritatem, occisus est, *Maximo* instigante, ab Aetii militibus Trasila, & Optila, anno 455. se Consule VIII. cum Anthemio, 17. die Martii.

Post haec mutata in Occidente Imperii facies. Extincto enim Valentiniano, eius Imperium, viduamque Eudoxiam rapuit *Petronius Maximus*, qui capta a Genserico Vrbe fugam capessans, impetitus est a concitato populo lapidum imbre, membratim dilaniatus, & proiectus in Tiberim. Sed & Imperium ipsum laceratum est, ac discertum, Africam Vandalis, Hispaniam Gothis, Gallias Francis, Italiam permixtis Barbaris occupantibus. Trucidato tamen Maximo, electus est an. 455. *Fl. Maccilius Avitus*, qui legatione fungebatur apud Gothorum regem Theodoricum. Sed & Avitus coactus est a Ricimere Barbarorum duce abdicare se principatu; & Placentiae creatus Episcopus moerore animi dicitur obiisse. Avito autem an. 457. suffectus est *Flavius Iulius Maioranus*, & ipse inchoato anni imperii quinto a Ricimere occisus prope Dertonam. Maiorano anno 461. successit *Libius Severus*, cui Ricimeres ipse fertur abstulisse vitam propinato veneno. Idem fatum *Anthemio*, qui ducta in matrimonium Ricimeris filia soceri opera anno 467. obtinuit imperium; sed ab eodem socero per insidias captus, & occisus est Romae vix sexto Imperii anno inchoato. Commissum tum Imperii regimen *Fl. Anicio Olybrio* Placidiae Fi-

Filiae Valentiniani III. marito, post paucos menses, ipso inaugurationis suae anno 472. vita privato. Post Olybrium anno 473. electus est *Glycerius* Romanae Vrbis Senator, e solio proximo anno deiectus a *Iulio Nepote* filio Nepotiani, pulsus in Dalmatiam, & consecratus, ut fertur, Episcopus Salonensis. Pari sorte *Iulius Nepos* exauctoratus est ab Oreste Gotho, cui ille demandaverat exercitus Praefecturam; & subrogatus Iulio *Flavius Romulus Augustus* Filius Orestis, *Augustulus* nuncupatus an. 475. Non explevit *Augustulus* annum Imperii primum; nam a factione Iulii Nepotis in Italiam vocatus *Odoacer* rex Herulorum ingentibus *Barbarorum* copiis Ticini Orestem obsedit, superavit, occidit, eiusque Filium *Augustulum* cedere imperium coactum relegavit in Lucullanum parvam Campaniae insulam, Megarim olim dictam, prope Neapolim. Ita Romanum Imperium, quod incepit sub *Augusto*, sub *Augustulo* extinctum est.

In Oriente autem Imperatori Arcadio successit an. 408. *Theodosius* Iunior, ei ex Eudocia natus, pius & orationi deditus princeps, institutor Academiarum Constantinopolis, & Bononiae, & Codicis nomine suo inscripti promulgator. Theodosio vita functo anno 450. die 19. Iulii, ad Imperium, & ad nuptias Pulcheriae virginis, sororis Theodosii, electus est *Fl. Valerius Marcianus*, in Thracia humili loco natus, sed clarus virtutibus, pacator imperii, & defensor Ecclesiae, extinctus, ut creditur, veneno, Asparis Patri-

tii machinatione, an. 457. die 26. Ianuarii. Proclamatus inde Imperator *Leo I. Thracius*, favore Asparis, pietate, & clementia, atque erga Deiparam devotione commendandus; qui non semel Gensericum fudit, e Sicilia Barbaros expulit, aque ipsum Asparem Arianum, ac proditorem obtruncavit; e mortali vita sublatus an. 474. Huic successit nepos *Leo II.* Filius Zenonis Isaurici, qui eumdem parentem suum declaravit Augustum, eodemque anno, mense Novembri decessit. *Zeno* itaque post Filium susceptum ex Ariadna Filia Leonis I. turpis facie, sed moribus turpior, imperium tenuit ab an. 474. usque ad annum 491. quamvis ei principatum subripere tentaverit anno 476. *Basiliscus*, hortatu Aeliae Verinae sororis suae, quae fuerat uxor Leonis I. Mortuo Zenone praecit. an. 491. die 6. Aprilis, opera Ariadnae viduae ab ipso Zenone relictae, e scriba factus est Imperator *Fl. Valerius Anastasius*, a diversitate coloris in oculorum pupillis *Dicorus* denominatus, & ortus in Vrbe Macedoniae Dirrhachio. Anastasius praelaudatam Ariadnam duxit uxorem, imperavitque annis 27. labe infectus Eutychiana; unde percussus fulmine interiit anno 518. die 8. Iulii.

His Caesarum, Regumque temporibus, floruisse complures singulari praeditos sanctitate, ex primo, & quarto Capite coniicitur. At collustrarunt universum Fidelium Coetum alii quamplurimi. Venerando Episcoporum Ordini maximum contulerunt ornamentum *Zenobius* Florentinorum Antistes, *Caesarius*

sarius Episcopus Arelatensis in Gallia Narbonensi, *Alipius* Tagastensis in Numidia Africae, *Turibius* Asturicensis in Hispania Tarraconensi, *Patritius* Hibernorum Apostolus, *Epiphanius* Ticinensis in Insubria, *Eucherius* Lugdunensis, & *Germanus* Antissiodorensis in Galliis, *Petronius* Bononiensis, *Exuperius* Tolosanus, *Flavianus* Antiochenus, *Maruthas* in Mesopotamia, *Mamertus* Viennensis in provincia Narbonensi, *Gaudentius* Brixianus in Cenomanis. Martyrii palmam retulerunt in Persia sub Isdegerde cum aliis innumeris *Iacobus* intercisus., Alexandriae *Proterius*, Constantinopoli Flavianus, in Corsica Iulia virgo, in Africa sub Genserico *Martinianus*, & *Saturianus* cum aliis 270. virginumque pariter coronatarum sub Hunnerico multiplex chorus. Quanta vero pudicitiae laus in *Maxima* ipsarum Africanarum Virginum Matre, in Pulcheria Theodosii sorore, in *Eustochio* ad Praesepe Domini cum aliis Virginibus enutrita, & in *Genovefa* immortali gloria Parisiensium? Suos quoque proceres connumerant Monachi, & Anachoritae, ut *Sabbam* Palaestinorum Ascetarum Iubar, *Maronem* a quo Maronitae denominantur, *Arsenium* Scetis Aegyptii montis incolam, *Alexandrum* Acoemetarum, idest insomnium, vigilumque parentem, *Ioannem* Palaestinum *Silentiarium*, duosque Stylitas (quis enim universos commemoret?) *Simeonem*, & *Danielem*.

Alexandrinae Ecclesiae praefuerunt post Theophilum *Cyrillus*, *Proterius*, *Timotheus*, *Solophaciolus*,

 Ioan-

Ioannes Talaia, Eutychianis praetermissis: Antiochenae post *Flavianum Porphyrius*, *Alexander*, *Theodorus*, *Ioannes Domnus*, *Maximus*, *Basilius*, *Martyrius*, *Iulianus*, *Ioannes*, *Stephanus*, *Stephanus* alter Martyr, *Calendio*, *Palladius*; Hierosolymitanae post Ioannem *Praylius*, *Iuvenalis*, *Anastasius*, *Martyrius*, *Salustius*, & *Elias*.

DIS-

DISSERTATIO I.

DE PELAGIANAE HAERESIS AUCTORIBUS.

I. QUINTI Christiani Saeculi historiam scholastico, quem propitio Numine nunc auspicamur, auditoribus nostris anno traditurus, ex hoc autem loco ad dicendum aptissimo selectas aliquot controversias pro modulo ingenii mei, pro temporis opportunitate, atque pro adstantium utilitate & commodo explanaturus, haesi aliquantulum animo, ignorans quodnam prae ceteris argumentum proferre, atque in eo exponendo operam locare deberem. Occurrebat enim menti meae inter sapientia ac sanctitate celeberrimos Viros, qui eiusdem Saeculi floruere decursu, splendidissimum Catholicae Ecclesiae lumen Aurelius Augustinus Episcopus Hipponensis, & Latinorum omnium Patrum nobilissimus: quem celebrantibus eius libros coelesti doctrina refertos non Orthodoxis duntaxat universis, verum etiam Acatholicis omnibus, quotquot aut legunt, aut scribunt, si perpaucos invidos superbissimosque detractores excipias, a nobis, qui discipulorum filiorumque nomine gloriamur, silentio penitus praetermitti, indecorum ac turpe unusquisque vestrum existimaret. Verum, quum de Augustino, rebusque ab eo gestis, conscriptisque voluminibus alibi prolixe pertractaverimus, & supra vires nostras, eodem certe praesentissimam opem afferente, pro illius dogmate gloriosa exercere certamina minime dubitaverimus; consilium nobis est in hisce praelectionibus differere de tribus haeresibus, quae Saeculo V. Ecclesiam praesertim vexarunt, ac primum de Pelagiana, quam sapientissimus ille invictissimusque Fidei Athleta oppugnavit, devicit, atque contrivit, ceteris ad domesticas & quotidianas Exercitationes reiectis. CAPUT I.

II. Pelagianae Haeresis principia unde repetenda sint, iure meritoque disquiritur. Ea enim communiter Scriptores repetunt a Pelagio Britanno, a quo nomen sortita est; sed Cl. Ioannes Garnerius a Paullo Samosateno, & doctissimus Cardinalis Norisius ab Origene Adamantio arcessunt eiusdem haereseos initia. Arbitramur, ut rerum ceterarum, ita huius nefarii dogmatis distinguenda esse semen, occultamque radi-

II. *Semen Pelagianae Haeresis ab Angelis apostatis.*

radicem, germen, incrementa, propaginem. Ac semen quidem huius haereseos, quae, ut Theologi norunt omnes, bonorum operum, meritorumque, non in superni auxilii virtute, sed in humani arbitrii facultate primordia constituit, iecerunt Angeli apostatae, horumque princeps, a perditione hominum, quos nititur supplantare, diabolus appellatus, & a sapientia qua inflatur, & a divinitate, quam ardentissime concupiscit, daimon dictus; neque ea tantum ratione, quod ipsomet suadente mors, originaria labes, ignorantia, & radix malorum omnium cupiditas terrarum orbem invasit; verum etiam quia ductus superbia & magnitudine animi, non expendens illud, quod inter divinae liberalitatis munera, & naturae proprietates versatur, patens latissimumque discrimen, nec pro collatis beneficiis gratias Deo egit, nec postulavit perseverantiae adiutorium, sibique fidens, altissimam Divinitatis fastigium conscendere, & suamet excellentia frui & superbire tentavit. Quamquam enim fuere, qui cum Athenagora, Metodio, Lactantio, aliisque veterum opinati sunt, peccasse praevaricatores angelos turpi cum mulieribus consuetudine, decepti tum falsa Platonicorum sententia in spiritali angelorum substantia materiei adstruente extensionem, tum minus accurata interpretatione verborum, quae leguntur Gen. 6. *Videntes filii Dei Filias hominum, &c.* ac sint praeterea, qui scelus illud primum invidentiam fuisse autument, a quorum opinione non abhorrent fulgidissima Ecclesiae lumina Gregorius Nissenus Catech. 6. & Cyprianus de zelo, & livore: attamen perspicuum est, angelos illos apostatas cecidisse superbia: quod affirmavit Tobias cap. 4. *in superbia initium sumpsit omnis perditio:* Isaias cap. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua*, & Apostolus Paulus in priori ad Timotheum cap. 3. *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli*. Quoniam vero fieri non potuit, ut angelus, quem credimus a Deo fuisse conditum lucis & sapientiae participem, in superbissimae elationis crimen fuerit prolapsus, quod revera se Deo aequiparandum existimaret, nec agnosceret quam longe ab incommutabili Bono distet quaelibet res creata; in eam sententiam lubentes adducimur, sitam angelorum apostatarum superbiam, non in ea suorummet existimatione, quae ex ignorantia profecta sit, sed quae originem duxerit, ex quo non adverterint, se divinarum gratiarum auxilio indigere, nec istud suppliciter imploraverint. Quare bene sapienterque beatus Gelasius Papa in Libello adversus Pelagianos (Tom. IV. Conc.) aiebat, tam angelos, quam Adam in accepta iustitia non perstitisse, *dum nec de perceptis gratias referendo, nec ut ea intemerata durarent suppliciter implorando, ita de se fidit, tanquam ipso, qui condiderat, non egeret*. Perniciosa itaque haeresis, quae ita humanas & angelicas vires extollit, & palpat, ut spretis praevenientium gratiarum adminiculis adtribuat Creaturarum libertati virtutum omnium exordia, habet revera daemonem auctorem: ideoque Pelagianos ἀχάριςους, scilicet, laborantes ingrati animi vitio, superbosque dixere: & Prosper Aqui-

tani-

tanicus adversus illos acuens stilum, ita incipit notissimum Carmen de Ingratis,

Dogma, quod antiqui satiatum felle Draconis,

Quod de omni quidem dogmate haeretico dici potuit, at speciali ratione hic dictum de superbo illo Pelagiano, ob magnam ipsius cum antiqui Draconis, seu Daemonis peccato affinitatem: verba sunt Martini Steyarti Lovaniensis, aut quisquis sit Auctor adnotationum in praelaudatum Prosperi carmen.

III. *Errorem illum ad veteres Philosophos manasse demonstratur.*

III. Adspeximus ergo in Angelorum lapsu Pelagiani dogmatis originem ac pravitatem. Eamdem ad veteres illos Philosophos, qui e solius naturae sinu prodire benefacta quaelibet docuerunt, derivasse ostendit illustris Norisius M. Tullii, & Senecae testimoniis. Quorum ille in tertio de Nat. Deorum inquit, *Atque hoc quidem mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitae a Diis se habere; virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit.* Alter vero in Ep. 20. ad Lucilium ait: *Huc cogitationes tuae tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis.* Huc accedit, quod nunquam Ethnici inveniuntur Diis immortalibus, quos colebant, gratias egisse, quod homines iustos ac temperatos efficerent, sed tantum quod ii, opitulantibus superis, divites, honoribus cumulati, atque incolumes permanerent. Huius autem philosophorum veterum, & Stoicorum praesertim, opinionis ratio fuit, quod res omnes in eas, quae in nostra sunt potestate, & intrinsecus nascuntur, & in eas, quae ab externarum causarum dispositione, & ordine adveniunt, & oriuntur extrinsecus, distinguentes, arbitrabantur virtutum omnium vitiorumque nullam aliam dari causam praeter inditam immortalis animi potestatem, ceteris siderum elementorumque affectionibus, & supernarum causarum efficientiae attributis, quemadmodum collectae a Lipsio, & a Grotio, Simplicii, Epicteti, Pythagorae, aliorumque sententiae evidentissime ostendunt. Atque hinc est, quod eximius Ecclesiae Doctor Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem aiebat, Pelagianae aliarumque haeresum venena de Philosophorum & maxime Pythagorae & Zenonis principis Stoicorum fonte manasse.

IV. *Quomodo a Stoicis ad Christianos perniciosum dogma descenderit.*

IV. Hinc ergo pestilentissimam hausere doctrinam initia virtutum, quibus pie & salubriter vivitur nobis, non divino muneri adscribentem, qui Pelagio haeresiarchae praeluserunt. Imbuti enim Philosophorum illorum documentis, nec animadvertentes Deum esse nobis intimiorem intimo nostro, eumdemque in nobis operari velle & perficere, atque in ipso nos moveri, vivere, & esse, prout Apostolus primus divinarum gratiarum praeco testatur, quidquid in nostra potestate situm est, a liberi arbitrii facultate, non a praemovente Numine

mine primitus proficisci dogmatizarunt. Quos inter principem locum tenere diximus Origenem Adamantium: de quo, ne videamur immerito virum sapientissimum damnare, proxima Exercitatione agere cogitavimus.

An Origenes praeluserit Pelagianis.

CAPUT II. I. Qua aetate Origenes Adamantius floruerit, quantam ediderit librorum copiam, & quot errores in eius scriptis vetusti & recentiores Auctores reprehenderint, diximus in exornanda tertii Christiani Saeculi historia. Nunc de ea quaestione pertractaturi, num Pelagianis nefarium praemonstraverit dogma, praemittendum ducimus cum illustri Norisio in priori capite H. P. tria esse Pelagianae haereseos praecipua capita, ab Augustino enumerata 2. cap. libri de Dono Pers. videlicet, Dei gratiam secundum merita nostra conferri, posse hominem vivere in hoc corruptibili corpore absque omni prorsus peccato, neminem nasci peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, neque reatum, qui generatione contrahitur, Sacramento regenerarionis solvi oportere. Ad hanc itaque controversiam definiendam plana & expedita erit via, si in Origenianis libris tria illa Pelagiani dogmatis paradoxa, aut singula, aut saltem unum vel alterum ostendamus.

II. *Quaedam de Origene testimonia.* II. Itaque praenarrata Pelagianorum decreta in scriptis Origenis contineri, non praelaudatus tantum Norisius, verum etiam Natalis Alexander Sec. 3. dissert. 16. Daniel Huetius in Origenianis lib. II. q. 7. Honoratus Tournely q. 3. de Gratia, aliique viri doctissimi tradiderunt. Quibus sane Patrum consona est auctoritas. Enimvero S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem appellat Origenem Pelagiani erroris ducem ac *principem*, & adversus haeresiarcham Pelagium rethorica apostrophe exclamat, *Doctrina tua Origenis ramusculus est*; atque in fine Dialogorum, *Transite*, inquit, *ad amasium vestrum, qui praeterita in coelis, & antiqua delicta solvi dicit in baptismo, ut cuius in ceteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini*, carpens proculdubio Origenem, cuius potissimum auctoritate Pelagiani abutebantur. Paulus etiam Orosius in Apologia de Pelagianis aiebat, *Origenes in his vivit;* nec verebatur Vincentius Lirinensis in celebri Commonitorio asserere, Origenem evasisse Pelagii, omniumque pene haereticorum antesignanum atque magistrum. Quapropter si testimoniis veterum certandum foret, nullo pacto posset Origenes a praeformato Pelagiano dogmate vindicari.

III. *Prima Pelagianorum definitio ab Origene primum tradita.* III. Sed quoniam ex ipsis Pelagianae haereseos decretis diximus de hac re ferendum esse iudicium; videndum est, an recte Origenes senserit de Gratiae divinae adiutorio, vel potius conferri ipsum docuerit

rit secundum praecedentia Angelorum aut hominum merita: quod postremum, Augustino teste, erat princeps assertum Pelagianorum. Quod ab Origene propugnatum plura, eaque invicta & palmaria, argumenta commonstrant. Etenim in lib. I. περὶ ἀρχ. cap. 7. in lib. III. cap. I. in Philocaliis cap. 20. & lib. VII. ac 9. in Epistolam Pauli ad Romanos, quae loca profert, & ingeniose versat in Origenianis Huetius, totus Adamantius est in affirmando divinarum gratiarum munera, studiis, meritisque naturali industria comparatis rependi; quod cum aliis verbis comminiscitur, tum hisce luculentissimis atque expressissimis: *Est alia Spiritus Sancti gratia, quae dignis praestatur, ministrata quidem per Christum, impetrata autem secundum merita eorum, qui capaces efficiuntur, & unumquodque vas in honorem, vel in contumeliam formatur, prout ex se ipso causas, & occasiones praestitit Conditori.* Fidem quoque nostram, & boni cupiditatem praecedere supernarum gratiarum largitati, aperte docuit Origenes scribens in 7. adversus Celsum Epicureum: *Postquam obtulerimus nos, quae ex nobis sunt, venimus ad hoc, ut consequamur ea, quae ex Deo sunt. Cum enim fidem nostram & affectum obtulerimus ei, tunc & ipse largitur nobis diversa dona Spiritus Sancti; de quibus dicit Apostolus, Omnia autem ex Deo sunt.* Exponens item Origenes in sententiis ab Hugone Grotio collectis vol. IV. Oper. Th. quomodo accipienda sint, quae docet Apostolus, *Deum, cuius vult misereri, & quem vult obdurare*, non alia ratione id evenire autumat, nisi ea, quam postulat varia hominum dispositio, & naturalis affectio, proferens comparationem Solis, cuius calore obdurescit limus, & cera liquescit. Atque ne multus sim, ut evidentissime demonstrat Eminentissimus Cardinalis Norisius lib. I. H. P. cap. I. & Dissert. de V. Synodo cap. 12. perspicue Origenes tradidit Angelos ob anteacta merita promeruisse varia, quibus funguntur, officia: Ioannem Baptistam Domini praecursorem materno in utero Sanctificationis gratiam fuisse adeptum propter merita, quae sibimet comparaverat in vita quadam superiori, antequam ipsius anima devolveretur ad corpus; ipsumque praedestinationis & gratiae exemplar lucidissimum Christum Iesum eadem ratione consecutum fuisse unionem, quam Theologi *hipostaticam* vocant, gratiarum utique omnium excellentissimam. Quae, si fas nobis est, methodum adhibere scholasticam, & uti syllogistica ratiocinatione, id, quod intendimus, evidenter efficiunt. Quisquis enim ait, Deo a nobis offerri, quae ex animi nativa facultate eliciantur, cupiditatem boni, affectum pietatis, fidem, ac desiderium virtutis, ut Deus iis Spiritus Sancti dona rependat, docetque fieri unumquemque eorumdem donorum consortem, prout ad ea consequenda sese praecedentibus meritis comparavit; is profecto adoptat probatque primam illam Pelagianorum positionem, *Gratia Dei secundum merita datur*. At Origenes affirmavit, a nobis primum offerri Deo, quae ex nobis sunt, fidem, vo-

luntatem, affectum, deinde nobis conferri quae sunt Dei; quemlibet vero coelestium gratiarum muneribus cumulari, prout se illis, quae naturae sunt exequendo, dignum exhibuit. Tradidit itaque Origenes, probavitque primum illud scitum Pelagianorum, *Gratia Dei secundum merita datur*.

IV. *Contraria defensorum Origenis persuasio.*

IV. At enim Theophilus Raynaudus, in sua pro Valeriano Cemeliensi Apologia cap. 9. Annatus lib. VII. *Augustini* cap. 12. & quidam alii Origenis defensores reponunt, falsum esse hoc de ipsius Origenis sententia iudicium, & Iansenii lib. VI. de Gratia cap. 13. aliorumque recentiorum commentum, eiusdem Origenis de Gratia sententiam esse Catholicissimam, tradi ab illo exactam libertatis humanae ad bonum, & ad malum indifferentiam, quam tenetur asserere quisquis liberum arbitrium agnoscit, nec primi peccati granditate periisse cum Calvinianis, Iansenianisque delirat: commendari supernarum gratiarum munera in 2. Periarchon cap. 8. in Psalmum 36. homilia 4. atque in locis aliis compluribus; Pelagianos denique adeo Origenem abominatos fuisse, ut ipse Pelagius in Diospolitana Synodo agens de aeternitate poenarum, dixerit. *Et si quis aliter credit, Origenista est:* cumque veterum Patrum, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, aliorumque pro se testimonia produceret, nunquam tamen ad Origenis provocavit auctoritatem, ut constat ex libro Augustini de Natura & Gratia, quod nempe in Adamantii scriptis nihil dogmati suo affine, & consentaneum deprehenderet.

V. *Quam infirmo tibicine ea, quae modo dicta sunt, innitantur.*

V. Verum quam futilia, & insulsa haec sint, nemo ratione praeditus non ignorat. Quo enim pacto latum de Origene iudicium existimari potest commentum recentiorum, quando beatissimi Hieronymi, Pauli Orosii, & Vincentii Lirinensis, quorum testimonia praemisimus, auctoritate fulcitur & roboratur? Quo pacto adversus Baianistas iure exclamat Annatus, *Vestrum est illud, Origenes Pelagianorum omnium origo*, dum in eadem voce erumpunt Patres ac Theologi praestantissimi? Non sunt ergo Annati, Raynaudi, Martinez, sociorumque coniecturae talis generis, ut in his diluendis tantillum operis impendamus. Sat est respondere, commendandam quidem esse humanae libertatis indifferentiam, sed non Origenianam illam, & Pelagianam, qua liberum voluntatis arbitrium possit ex aequo, ac sibi relicta facultate bonum & malum, seclusa primae causae praemotione ad opera salutaria, quam indifferentiam e Stoicorum philosophia hausit, tradiditque in tertio περὶ ἀρχ. Origenes, ut in 3. contra Gentiles cap. 89. animadvertit Scholarum Angelus Thomas: commendari quidem saepenumero ab Origene gratiarum munera, & Dona Spiritus Sancti, sed collata offerentibus ea, quae ex nobis sunt, adeo ut meritis rependantur, & beneficium Christianae Fidei sequela sit, & merces humanae credulitatis, prout nos diximus paullo supra, demonstratque in Origenianis Daniel Huetius: Versute & callide abstinuisse Pela-

Pelagium a producendis testimoniis Origenis, huiusque dogma de aliquando cessaturis reproborum suppliciis palam damnasse in Synodo Diospolitana, utpote quem latere non poterat quam pessime apud Ecclesiae Patres Origeniana doctrina audiret; Pelagianos tamen, ac praesertim Rufinum, ac Theodorum Mopsuestenum, Origenistis arctissimo amicitiae foedere coniunctos, pro Origene defendendo, quamquam irrito prorsus conatu, plurimum laborasse, quod ex Historia V. Synodi a doctissimo Norisio descripta cuique apertissimum esse putamus, ac de priore Pelagiano dogmate e scriptis Origenianis deprompto, dictum est modo.

Sequitur quaestio de Origene Pelagianorum amasio.

I. Alterum Pelagianorum dogma fuit, *posse hominem sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore vitam ducere*, ut in tertio de Dono Persev. ait Augustinus, & in Carmine περὶ ἀχαρίστων beatus Prosper his verbis: Caput III.

> *Posse autem insontes omnes virtutis in arce*
> *Vitam agere, & meriti ingenitum servare decorem.*

Quum itaque superiori Capite demonstratum sit, Origenem priori Pelagiani dogmatis capiti, de gratia collata meritis, praelusisse; ordo rerum expostulat, ut de *impeccantia* instituatur oratio; atque ut recta methodo procedamus, Origenis primum, tum haeresiarchae Pelagii, postremo Catholicorum sententiam investigemus:

II. Ac principio Cardinalis Norisius traditam ab Origene ἀναμαρτησίαν, evincit apertissimis testimoniis magni Hieronymi, qui in proemio libri IV. Comment. in Ieremiam, *Haeresis*, inquit, *Pythagorae, & Zenonis, ἀπαθείας, καὶ ἀναμαρτησίας, idest, impassibilitatis, & impeccantiae, quae olim in Origene, & dudum in discipulis eius Grunnio, Evagrioque Pontico, & Ioviniano iugulata est, coepit reviviscere.* In Epistola item ad Ctesiphontem ita S. Hieronymus scribit: *Illud autem Origenis proprium est, impossibile esse humanam a principio usque ad mortem non peccare naturam; & rursum possibile esse, cum se quis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit.* Quare si Hieronymi standum est auctoritati; constat tradidisse Origenem impeccantiam Pelagianorum; quod non diffitetur eruditus Garnerius, qui etsi opinatur, primum Pelagianismi auctorem esse Paulum Samosatenum, aliquantulum Origene posteriorem, haud tamen negat, ipsum Origenem, Rufinum, Evagrium, Iovinianum, Palladium, Priscillianum, & Mani- II. *Origenem ἀναμαρτησίαν tradidisse testatur S. Hieronymus.*

chaeos, ἀναμαρτησίας fuisse praecones, nec immerito hac in parte Pelagii prodromos nominari. Hinc Evagrius Hyperborita, cum edidisset librum & sententias περὶ ἀπαθείας, in VI. Synodo Act. 11. appellatus est *Origenianae vanitatis foedissimus secretarius*.

III. *Producuntur Origenis verba interprete Hugone Grotio.*

III. Sed quoniam nolumus Origenem, ipso inaudito damnare, audiamus, quomodo in 3. περὶ ἀρχ. doceat, in nostra esse potestate omne scelus vitare, omnemque virtutem acquirere, nunquam vero a rectitudinis via deflectere, & insistere improborum semitis, aut succumbere tentationibus: atque id non alia ratione deputandum esse Divinae gratiae adiutorio, nisi quatenus indidit nobis liberrimam voluntatis potestatem, qua bene uti nostrum sit, nulla accedente divini adiutorii motione. *Docet ratio*, inquit, *quae extra nos sunt, non esse in nostra potestate: si autem his sic, aut aliter utamur, assumta ratione, quae exploret & diudicet quomodo quis se circa illa externa gerere debeat, id iam nostrum esse opus. Esse autem opus nostrum recte vivere, idque Deum a nobis exigere, non ut opus suum, & aliunde nobis adveniens, ne a Fato quidem, ut nonnulli arbitrantur, testis erit Michaeas propheta, ubi dicit: Quid tibi, o homo, significatum est, aut quid Dominus a te exigit? annon ut facias iusta, & ames clementiam? Et Moses, in conspectu tuo posui iter vitae, & iter mortis, ut quod bonum est sumas, in eoque verseris*. Quae, aliaque Scripturarum loca, ut paullo antea innuebam, ita Origenes accepit, ut sit in manu nostra opus quodcumque bonum peragere, & a peccato quolibet abstinere, omni alia gratia seclusa, praeter inditam nobis voluntatis animique potentiam, & facultatem arbitrii. Nam explicans paullo post verba Apostoli: *Deus operatur in nobis velle, & perficere*, haec subiicit: *Dicendum est, Apostoli sermonem non hoc secum ferre, esse ex Deo mala velle, aut esse ex Deo bona velle, parique modo operari aut peiora, aut meliora, sed generaliter velle & generaliter currere, Sicut enim a Deo habemus quod sumus animantia, & quod sumus homines, sic habemus generatim ipsum velle, & universum ipsum moveri. Quemadmodum vero quod sumus animantia habemus moveri, atque etiam moveri his membris, puta manibus, aut pedibus, neque tamen recte dicimur habere nos a Deo illud speciale, puta moveri ad verberandum aliquem, aut ad interficiendum, aut ad auferenda quae alterius sunt; Sed accepimus a Deo generale illud moveri, nos autem utimur eo ad bona, vel sequiora; pari modo velle accepimus ab opifice, illo autem velle nos utimur ad honestissima, aut ad his contraria*. Ex quibus percipimus recte Doctorem Angelicum, ut superiori lectione dicebamus, in 3 contra Gent. scripsisse, Origenem in 3. περὶ ἀρχ. dogmatizasse, eatenus Deum operari in nobis velle, quatenus tribuit facultatem virtutemque volendi, *non quatenus faciat velle hoc, vel illud*: & quod est scopus huius

huiusce dissertationis, in ea Origenem fuisse sententia, quod valeat quisque implere praecepta, tentationes superare, & agere vitam immunem ab omni culpa, absque speciali divinae Gratiae adiutorio.

IV. Ab hac, de perfectione hominis in hac vita, Origeniana sententia alienum non fuisse Pelagium colligitur ex eius Epistola ad Demetriadem, in qua ait: *Arbitrii libertate qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere, Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus*, & in libro de Actuali Conversat. apud Hieronymum lib. 3. Dial. contra Pelagianos, nec non apud Augustinum de Gestis Palaestinis cap. 6. *Ille enim merito ad Deum extollit manus, ille preces bona conscientia fundit, qui potest dicere, Tu nosti, Domine, quam sanctae, quam innocentes, quam purae sint ab omni fraude & iniuria & rapina, quas ad te extendo, manus: quam iusta, quam immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus ut mihi miserearis, preces fundo*: Huc spectant quae apud praelaudatum Hieronymum leguntur in dissertatione Attici, & Critobuli: *Nunquid negare potes plurimos iustos & sanctos viros post vitia, omni se ad virtutes animo contulisse, & per has caruisse peccato?* necnon definitio illa Caelestii apud Augustinum in Epist. ad Paulinum, & de Gestis Palaest. cap. 18. *Filios Dei non posse vocari, nisi omnino absque peccato fuerint effecti*. In hanc vero opinionem primum adducti sunt Pelagiani, quoniam Scriptura divina plurimorum iustitiam & sanctitatem commendat, ut Abelis, Abrahami, Iobi, Zachariae, aliorumque, de quibus praecitatus Critobolus sustinens Pelagiani hominis personam usurpabat illud Ioannis, *Scimus, quod omnis, qui ex Deo est, non peccat*. Deinde nitebantur duplici potissimum ratione; quarum prima est, dicendum Deum vel ignorare quod possumus, vel inique exigere quod non possumus, si leges praescribat, quas humana implere non possit infirmitas: altera, tolli libertatem arbitrii, & consequi, ut Manichaei contendebant, naturam esse malam, nisi a se ita corrigi possit, ut vivat sine peccato.

IV. *Pelagii cum Origene consensio.*

V. *Catholicorum contraria sententia.*

V. At adversus Pelagianos statuerunt Ecclesiae Patres, neminem sola naturae potestate legem implere; neminem, si Deiparam excipias, vitam omnem sine omni prorsus culpa transegisse; neminem tanta pollere perfectione virtutis, ut nunquam admittat quorum in Oratione Dominica veniam expiationemque non postulet. Verissimum enim est quod tradit Ecclesiastes: *Homo non est iustus in terra,*[1] *qui faciat bonum, & non peccet:* & Apostolus ad Galatas: *Omnes peccaverunt, & indigent gloria Dei*: atque Ioannes ad Parthos, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Verissimum quod in Apologia David inquit Ambrosius: *Non invenitur quisquam illibatus a culpa. Habet quis bona merita? habet & vitia & peccata*. Verissimum quod ait Cyprianus in

Tra-

Tractatu de Oratione Dominica: *Ne quis sibi quasi innocens placeat; cum innocens nemo sit, & extollendo plus pereat: instruitur, & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare:* Verissimum denique quod Augustinus ait in Psalmum 142. „ Ne intres in iudicio cum servo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens „ *Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam; coaptas me ad eam, & pravus invenior.* Enim vero cum semper in hac mortali vita iustitia ac virtus augeri possit & minui, nunquam plenissima ac perfectissima est, ideoque semper vitio aliquo adinvenitur permixta. Neque immorandum puto in exsufflandis Pelagianorum cavillulis: siquidem potest homo, si velit, esse sine peccato, sed adiutus a Deo, qui impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis: nec adstruit cum Manichaeis naturam malam, quae immutari non possit, quisquis ait, per arbitrii libertatem, si Dei gratia iuvetur, effici sine peccato. Haec est responsio Augustini lib. II. de peccat. meritis, & remiss. cap. 6. & 42. & Hieronymi in Epistola ad Ctesiph. Ex quibus probe intelligimus non dari illam Pelagianorum ἀναμαρτησίαν, qua post Origenem Gratiae Christi hostes effutiebant,

Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua.

Atque idem, qui eam inchoavit, dissertationem absolvit Auctor Carminis περὶ ἀχαρίςων.

De tertio Pelagiano dogmate sententia Origenis.

CAPUT IV. I. PRAETER ἀναμαρτησίαν, atque impeccantiam, negarunt Pelagiani contrahi ab Adae posteris originale peccatum: putabant enim adtribui Deo iniquitatem, si primorum parentum scelus parvulis imputetur, damnandas fore nuptias, quibus gignendis liberis datur opera, si hereditaria labes generatione trahatur, & nos cum Manete malam affirmare naturam, ac Diabolum dicere nascentium hominum conditorem, si homines ex eo vulnere procreantur, quod ille primum inflixit. Hoc tertium placitum Pelagianorum ita ab Augustino de Dono persev. describitur: *Tertium* (quod adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia) *est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.* Videndum igitur, num Origenes sicuti impeccantiam asseruit, ita originalis peccati negaverit transfusionem: quod facile assequemur, si illius testimonia scrutabimur, si principia inspiciemus, si utraque conciliabimus.

II. Oc-

II. Occurrunt enim in Origene bene multa, quibus affirmat peccato primi hominis universorum, qui carnali procreantur generatione, pollui naturam, sed tria praesertim decretoria ac palmaria. Quorum primum petitur ex libro IV. adv. Celsum, ubi ait: *Maledictio Adae est communis hominum omnium; & non est mulier, de qua non dicantur, quae leguntur de muliere prima.* Alterum occurrit in Commentariis ad cap. 4. Epist. ad Romanos: *A sorde peccati mundus non est quisquam, etiamsi unius diei fuerit vita eius super terram.* Tertium habetur hom. 8. in Leviticum: *Cum baptisma Ecclesiae in remissionem peccatorum detur, secundum Ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismus datur; cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem pertinere deberet, gratia baptismi videretur superflua.* His, aliisque Origenianis locis permoti complures graves doctique Theologi, Origenis sententiam in hoc, quod attinet ad originale peccatum, indemnem orthodoxamque pronuntiavere. Quomodo enim, inquiunt, denegat in Adae posteros originariam sordem transfundi, qui tam expresse, tam diserte docet in illos descendere primi hominis maledictionem, illos mundos non esse, labisque expertes in suae nativitatis exordio, illisque ad remissionem peccati conferri spiritualis regenerationis lavacrum?

II. Videtur Origenem de originali peccato Catholicam tenuisse sententiam.

III. Ego tamen praeeunte Norisio, lib. XIV. Theol. Discipl. cap. 1. affirmavi, perdifficile esse definire quid hac in re Origenes senserit, & laudavi quoque doctissimum Danielem Huetium, qui licet lib. II. Origenian. n. 24. eumdem Origenem a calumniis Ianfenii strenue vindicaverit, fatetur tamen in ipsius Commentariis in Epistolam ad Romanos plura inveniri parum consentanea Fidei Orthodoxae, & in Catena etiam Graecorum Patrum in Ps. 48. haberi testimonium Origenis, quo apertissime peccatum originale exploditur, & oppugnatur; tametsi Huetius reponat Commentarios illos fuisse interpolatos a Rufino Aquileiensi, de quo dicemus proxima praelectione, Catenarum autem fidem incertam esse, ac sublestam. In hac ambiguitate iudicii, extra controversiam positum esse arbitror, admisisse Origenem animorum praeexistentiam iuxta veterum illorum philosophorum opinionem, quae, ut in Catone docet M. Tullius, tenebat, ex altissimo domicilio in corporum carceres, ob perpetrata crimina, fuisse depressos. Et quidem Origenem in eo errore fuisse versatum, testantur S. Hieronymus in Calce Dialogorum adv. Pelagianos, Augustinus libro II. de Civit. Dei cap. 23. Ioannes Damascenus hom. de Sabbato Sancto, & 2. libro de Fide Orthodoxa cap. 12. Isidorus lib. VIII. Originum cap. 5. & Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, ex qua placet unam, vel alteram periodum exscribere: *Illud quoque*, ait Epiphanius, *quis Origenem dicentem in libris περὶ ἀρχῶν patiatur, quod animae angeli fuerint in coelis, & postquam peccaverint in supernis deiectas esse in istum mundum, & quasi in tumulos & sepulcra, in* cor-

III. Explicatur sententia Origenis de praeexistentia animorum.

corpora ista relegatas, poenas antiquorum luere peccatorum, & corpora credentium, non templa Christi esse, sed carceres damnatorum? Paucisque interiectis: *Quamquam istiusmodi nugas, & deliramenta soleat ille Scripturarum interpretatione perversa, & aliud significante, quam quod verum est, affirmare dicens: Priusquam a malitia humiliarer ego deliqui*; & illud: *Revertere, anima mea, in requiem tuam*; necnon & aliud: *Educ de carcere animam meam*; Et alio in loco: *Confitebor Domino in regione vivorum, &c.* Quibus verbis Epiphanius nos docet, quomodo Origenes ad veterum philosophorum, qui peccatum originale ignorantes, referebant in superioris vitae flagitia mortem, & corporalis vitae aerumnas, placitum statuendum, divinis Scripturis abuteretur. Legitote & Hieronymum in epistola ad Demetriadem, ubi inducit Origenistas ita loquentes: *Si iudicia sunt Domini vera, iustificata in semetipsis, & nihil apud Deum iniustum est; ipsa ratione compellimur, ut credamus animas fuisse in coelestibus, & propter antiqua quaedam peccata damnatas in corporibus humanis, &, ut ita loquar, sepultas; nosque in valle lacrimarum poenas luere veterum peccatorum: unde & Propheta dicit, Priusquam humiliarer, ego deliqui, &c.* Porro similia leguntur lib. II. περὶ ἀρχ. cap. 9. ubi Origenes comminiscitur, Esau reprobatum fuisse ob scelera ante conceptionem patrata, & Iacob dilectum in maternis visceribus ob merita superioris vitae; ne repetam quae de Ioanne Baptista, iuxta Origenem, sanctificatum in utero ex meritis praecedentibus, habentur in lib. I. περὶ ἀρχων, cap. 7. Indubitatum est igitur, exploratissimumque, ab Origene propugnatum fuisse errorem veterum philosophorum, de animorum praeexistentia.

IV. *Conciliatio eorum, quae praemissa sunt num. 2.*

IV. Quae, cum ita sint, facile possunt cum iis testimoniis conciliari, quibus supra videbatur Origenes agnoscere in parvulis Adae maledictionem, & necessitatem baptismi, si tamen ut genuina sint eadem testimonia recipienda. Neque enim potuit Origenes aliud velle, ac intendere, nisi animabus, quotquot intruduntur in corpora, eadem, ac protoparenti, contingere, terrenum nempe carcerem, aerumnas, ac mortem, propterea quod in superiori vita peccatum aliquod, cuius causa carcerem hunc subirent, admiserint, & quod expiare oporteat Sacramento baptismatis: idque recte animadvertit in fine Dialogorum contra Pelagianos egregius Ecclesiae Doctor Hieronymus, ita eos alloquens: *Transite ad Amasium vestrum* (Origenem) *qui praeterita in coelis, & antiqua delicta solvi dicit in baptismo, ut cuius in ceteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini.* Dixi tamen, si genuina sint producta ex Origene testimonia; nam quis ignorat illius scripta fuisse a Rufino, aliisque interpolata & correcta? Quis etiam ignorat eidem abiudicari Homilias in Leviticum, quas alii S. Cyrillo Alexandrino, alii incerto auctori censent esse adscribendas?

V. Hoc

V. Hoc tamen ex praecitatis Hieronymi verbis animadverto, Origenem inter Pelagianosque intercessisse discrimen, quod ii negantes originale peccatum, non in superioris vitae delicta, sed in humanae conditionem naturae referebant lacertosam concupiscentiam, mentis caecitatem, corporisque miserias, nec valere ad originalis peccati remissionem, sed ad gratiam adoptionis, & ad acquirendum ius ad regnum coelorum tantummodo, existimabant baptismi lavacrum. Damnabant siquidem iidem Pelagiani Origenianam animorum praeexcentiam, ut constat ex Libellis Fidei Pelagii ac Rufini. Sane Pelagii num. 16. haec est professio: *Animas a Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus, anathematizantes eos, qui animas quasi partem divinae dicunt esse substantiae. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccasse, vel in coelis conversatas fuisse dicunt, quam in corpora mitterentur*; & Rufinus in septimo Anathematismo inquit: *Qui dicunt animas nostras ex angelorum fastigio in haec corpora corruisse propter quaedam antiqua peccata, & in isto mundo agere poenitentiam, assumentes illa testimonia*, Priusquam humiliarer, ego deliqui, *&*, Educ de carcere animam meam, *& cetera his similia, anathema sit*. Hoc itaque errore excepto, Origenis & Pelagii dogmata, in tribus illis positionibus, quae erant expendendae, inveniuntur simillima. V. *In quo Sententia Origenis differat a sententia Pelagianorum.*

De Paulo Samosatensi, ac Theodoro Mopsuesteno.

CAPUT V.

I. Utut se habeat Origenis Causa, quam paullo supra agitavimus, fuerit scilicet, necne, prodromus Pelagianorum, his proculdubio in eo saltim capite, quod Gratia secundum praecedentia merita conferatur, praelusere Paulus Samosatensis Luciani apostatae conterraneus, & in Episcopatu Antiocheno opera Zenobiae uxoris Odenati regis Palmyrenorum suffectus Demetriano, ac Theodorus Antiochenus quidem patria, Episcopatu autem Mopsuestenus; quorum primus labente tertio saeculo, alter inchoato quarto haereseos venena spargebat. De his autem, eorumque cum Pelagianis affinitate dicturus, primum de Paulo, tum de Theodoro, brevem opportunamque instituam dissertationem.

II. Ergo Samosatenus, cum Noeti ac Sabellii imbutus esset errore, ac ita in Deo adstrueret τῆς οὐσίας, unitatem, ut eliminaret τρισυπόςατον, trium scilicet distinctionem, proprietatemque personarum, duabus in Synodis celebratis Antiochiae anno 265. & 270. condemnationem promeruit, anathema in illum pronuntiantibus Viris sanctitate, ac doctrina clarissimis, Firmiliano Caesareae in Cappadocia, Gregorio Thaumaturgo, huiusque fratre Athenodoro in Ponto, Hymenaeo Hierosolymorum, & Maximo Bostrensium Episcopis. Quae in II. *Errorum Pauli Samosatensis connexio, & consectaria.*

Hi-

Historia tertii saeculi diss. 3. narravimus. At enim quaenam huiusce haeresis cum Pelagiana similitudo, & affinitas? Attendite. Denegans Paullus Samosatenus Divinarum Personarum Trinitatem, effutire coactus est Filium habere distinctam a Patre hypostasim, & Oeconomiam humanae reparationis, sive Incarnationem aeterni Verbi cum ceteris Antetrinitariis subvertere. Ausus propterea est affirmare, Christum piissimum humani Generis Redemptorem ante Deiparam Virginem non extitisse, ab Orco revocans, quae olim Ebion, Cerinthus, & Artemon, tum Beryllus, Praxeas, ac Sabellius sacrilego, blasphemoque ore evomuerant. Cum autem ignorare non posset, eumdem Salvatorem ac Dominum in sacris litteris *Deum* nuncupari, atque ad dexteram Patris in throno maiestatis sedentem ab Angelis adorari; asseruit amplissimam hanc dignitatem, cum illius non deberetur naturae, studiosis eius operibus, meritisque suamet virtute comparatis, fuisse justa retributione collatam; atque ita gratiam quoque sublimiorem, quam postea Magnus Augustinus ad refellendos Pelagianos in exemplum adducere consuevit, ausus est Samosatenus deprimere, obscurare, redditamque pro meritis praedicando, viam sternere Pelagii & Caelestii deliramentis.

III. *Demonstratur, Samosatenum praeluxisse Pelagio.*

III. Hanc fuisse Samosatensis sententiam Ioannes Garnerius Iesuita doctissimus haud obscure ex tribus locis confectat. Depromit primum ex Epistola S. Dionisii Episcopi Alexandrini ac Martyris ad eumdem Paulum Samosatenum, alterum ex oratione 4. S. Athanasii contra Arianos, ac tertium ex Synodo Arianorum Antiochena an. 344. Est autem primus: *Audi, & intellige contra ea, quae a te dicta sunt, & adverte quae a te dicuntur: Homo maioribus a Deo gratiis honoratus, praesertim cum magis Deo probaretur, vitam ducendo studiosam.* Alter istiusmodi est: *Christus est ne, ut alii homines, an Deus carne indutus? Si vulgaris homo, & quales alii homines, esto, ut homo proficiat. Haec autem est Samosateni sententia, quam vos toto animo, & ope fovetis, nomine propter homines repudiato.* Tertius vero ad hunc modum se habet: *Quia unum solum Deum esse patrem Domini nostri Iesu Christi, unumque Unigenitum profitemur; non ideo Christum Deum ante saecula esse abnegamus, qualia faciunt Pauli Samosatensis discipuli, qui eum post Incarnationem suam ex profectu virtutis Deum factum esse asseverant, eo quod merus homo esset.* Eapropter Samosatenus haeresiarcha gratiam quoque omnium maximam, quam iuxta ipsius dogmata consecutus est Christus, ut propter merita in natura humana, propriisque viribus patrata, Deus fieret, ex Dei beneplacito, ac liberalitate fluxisse negavit, asseruitque antea actis meritis ex divina aequitate rependi; quod est assertum princeps Pelagianorum.

IV. *Agitur de Theodoro Mopsuesteno.*

IV. Ebibit Antiochiae, ubi in hanc mortalem lucem fuit editus, pestiferum Pauli Samosateni venenum Antistes Mopsuestiae Theodorus: quod

quod ne iniuria dictum videatur, quatuor argumentis evincam. Principio enim quaestionem illam Pelagianorum, an Adam & Eva mortales creati fuerint, suaque praevaricatione posteros laeserint, in qua iidem Pelagiani praefracte negantem partem propugnaverunt, motam a Theodoro testatur in lib. Subnotationum de Haeresi Caelestiana M. Mercator his verbis. *Quaestio contra Catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & praecipue in Cilicia, a Theodoro quondam Episcopo oppidi Mopsuesteni iamdudum mota, nunc usque penes paucos eorum admodum occulte nutritur, nec ea palam profertur, sed ab ipsis, qui de ea cornicantur, velut Catholicis, intra Ecclesias interim retinetur.* In hac autem quaestione tradidisse Mopsuestenum, a Deo Adamum conditum non fuisse immortalem, mortemque merito non esse inflictam peccati, liquet ex eius Fragmentis editis a Norisio lib. 1. H. P. cap. 9. Deinde ex eodem Mario Mercatore, atque ex Photio in Bibliotheca cod. 177. apertum est, Theodorum non solum negasse Dei Verbum venisse in carne ad delendum originale peccatum; verum etiam pro sententia Pelagianorum scripsisse adversus Dialogos S. Hieronymi, & adversus S. P. Augustinum *defendentem*, ut inquit Mercator, *originale peccatum, & Adam per transgressionem mortalem factum, Catholice disserentem.* Praeterea cum Paulo Samosateno audacter, & inverecunde affirmavit Christum evectum ad consortium Deitatis ex praecedentibus naturae meritis, evomens teterrimam illam horrendissimamque blasphemiam, damnatam act. 10. Concilii Chalcedonensis; *Non invideo Christo facto Deo, quoniam & ego, si volo, possum fieri secundum illum.* Denique Theodorus comminationem illam factam a Deo Adam, *In quacumque die, &c.* ita interpretatus est, ut primus homo fraudatus post lapsum Paradisi deliciis, in aerumnosa conversatione, & exilio mortem obierit, quam tamen compactus e terra, contrariisque elementis, etiamsi permansisset in accepta iustitia, minime declinasset. *Nam prorsus* (ait Theodorus apud Marium Mercatorem loco superius citato) *ita mortalis* (Adam) *factus, & tunc paradisi fructibus indigebat, sicut nunc terrae fructus inquirit, & pro supplicio pristinis fraudatus deliciis, hac aerumnosissima, laboriosissimaque conversatione multatur. Vnde ad postremum consequenter adiecit:* Quia terra es, & reverteris in terram. *Haec etiam mortalitatem naturae significant: non enim immortali, & tunc primum incipienti sententiam mortis excipere, sicut sapientissimi defensores peccati originalis, immo potius patres peccati mirabiles asseverant, vocabulum huic Terrae imposuit; sed ut ab exordio naturaliter effecto mortali, appellationem hanc congruere iudicavit divina Scriptura, &c.* Dum ergo Theodorus pro partibus Pelagianorum pugnavit, dum contra assertores originalis peccati libros conscripsit, dum asseruit gratiam omnium excellentissimam naturalibus meritis comparari, dum fecit primum hominem

minem in sui conditione obnoxium morti, Pelagianae factionis ducem & antesignanum se prodit.

V. Explicatur ex dictis Epitaphium H. Nestorianae & Pelagianae, editum a Prospero.

V. Hinc intelligimus, quomodo Pelagiana & Nestoriana haeresis dicantur a Prospero eodem utero procreatae; nam quod Theodorus ait, Christum Deum factum profectu virtutis, non autem esse cum Verbo Dei unam eamdemque personam, id blasphemiam olet Nestorianam; quod vero addit, gratiam meritis comparari, commentitium esse peccatum originale, nec mortem eiusdem peccati esse poenam, id spirat undique Pelagiana deliramenta: tradiditque Mopsuestenus dogma illud Nestorio, ut in Epistola ad Successum testatur S. Cyrillus Alexandrinus, reliqua docuit Rufinum, a quo Pelagius, & Caelestius imbuti fuere, sicut Marius Mercator ait in praecitatis Subnotationibus. Hinc Prosper in Epitaphio,

Nestoriana lues successi Pelagianae,
Quae tamen est utero progenerata meo.
Infelix miser genitrix, & filia natae,
Prodivi ex ipso germine, quod peperi.

Quippe haeresis Nestoriana paullo post Pelagianam erupit, sed haec auctorem habuit Mopsuestenum institutorem Nestorii, ut nuperrime dicebamus.

Agitur de magistro Pelagii Rufino.

CAPUT VI. I. THEODORI Mopsuesteni, de quo superiori egimus Exercitatione, auditorem fuisse Rufinum Aquileiensem presbyterum, diu in Syria commoratum, & controversiis inter illum, ac beatissimum Hieronymum subortis, cuique notissimum, ab eoque Rufino in Urbe Roma Pelagium & Caelestium fuisse nefario dogmate imbutum, communis fuerat persuasio; quum doctissimus Ioannes Garnerius dissert. de primis auctoribus & defensoribus haeresis Pelagianae cap. 3. plura momenta produxit, quibus videtur evinci, non Rufinum illum Origenistam, & adversarium Hieronymi, sed Rufinum alterum, quem idem Hieronymus anno 399. Mediolanum misit ad Venerium, iussitque ut Roma transiret, & ad Pammachium diverteret, aut forte Rufinum alterum ignotum, in Urbe Pelagiana venena sparsisse. Quoniam vero, ut nova quaeque solent, Garnerii opinio Ioanni Pherepono, idest, Clerico in Appendice Augustiniana, virisque sapientissimis, qui Norisiana Opera perpetuis adnotationibus illustrarunt, visa est contrariae, quae omnium animis insederat, praevalere; operae praetium duxi tria in hac praelectione demonstrare, scilicet, Rufinum esse Pelagianorum dogmatum auctorem, Rufinum illum esse Rufinum Aquileiensem,

at-

atque perperam Rufinum alium in scenam induci, & inique tanquam Pelagii, & Caelestii institutorem infamari.

II. *Apertum est, aliquem Rufinum nomine fuisse Pelagianae haeresis auctorem.*

II. Atque Rufinum aliquem, quisquis hoc nomine delituerit, prodromum fuisse Pelagii, nemo unus in dubium vertit. Mercator enim in Subnotat. ad Haeresim Caelestianam pertractans de Sententia Mopsuesteni denegantis traducem Originalis peccati, *Hanc ineptam* (inquit) *& non minus inimicam rectae Fidei quaestionem, sub sanctae recordationis Anastasio Romanae Ecclesiae Summo Pontifice, Rufinus quondam natione Syrus, Romae primus invexit, & ut erat argutus, se quidem ab eius invidia muniens, per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum, monachum, tunc decepit, eumque ad praedictam adprime imbuit, atque instituit impiam vanitatem*, Ipsemet Caelestius interrogatus in Synodo Carthaginiensi sub Aurelio, a Paulino Diacono, a quo audierit, non dari peccati originalis traducem, ut refert Augustinus de Peccat. Originali cap. 4. respondit, *Sanctus Presbyter Rufinus Romae, qui mansit cum Sancto Pammachio, ego audivi illum dicere, quia tradux peccati non erat*. Sunt praeterea haec apud praelaudatum Marium Mercatorem Rufini placita: *Insaniunt, qui per unum hominem Adam omnem orbem terrarum iniquitatis flagitiorumque condemnant. Vnusquisque hominum, cum sit liberi arbitrii, ex suorum qualitate gestorum aut laudandus nimis, aut vituperandus habebitur: Quidam scripturarum inscientia divinarum in nefariam & iniustam de Christo vocem audent erumpere, asserentes eum pueros minime baptizatos aeterni ignis poenae deputare, quae solet in Scripturis gehenna nominari: Baptisma infantes non propter peccata percipiunt, sed ut spiritalem procreationem habentes, quasi per baptisma in Christo creentur, & ipsius regni coelestis participes fiant. Propterea Christus factus est homo, ut damnato in carne peccato, relinqueret nobis exemplum, quemadmodum quisque debeat carnalibus superatis vitiis, non ultra diaboli fallaciis decipi: Multis testibus edocti, quod mors ista communis mala non sit, iam longe valere dicamus, qui mortem malam appellant*. Haec Rufinus, quibus Pelagiani simpliciorum mentes solebant illudere, prout ex Augustini adversus illos lucubrationibus passim dignoscitur. Rufinum igitur coriphaeum fuisse Pelagianorum, Mercatoris testimonia, confessio Caelestii, excerptaque eiusdem Rufini satis superque commonstrant.

III. *Demonstratur Rufinum Pelagianismi Auctorem esse Rufinum Aquileiensem.*

III. At quisnam fuit Rufinus ille nefariae doctrinae subdolus propagator; Aquileiensis ne, an discipulus Hieronymi, an Syrus, vel Palaestinus alter ignotus? Aquileiensem fuisse incunctanter pronuntio. Primum enim quo iure discipulum Hieronymi, nullo unquam tetro charactere notatum, nullius auctoritate reprehensum, nullis editis scriptis notum, a Sanctis eruditum, Sanctorumque contuberniis honestatum, calumniari & infamare fas est? Quis autem Rufinus alius ma-

ioribus nostris ignotus, ac tantae nihilominus famae, ut Pammachii exciperetur hospitio, eiusque doctrinam Pelagius & Caelestius porrectis auribus cupidissime reciperent, nomenque in Concilio Carthaginiensi Orthodoxis Episcopis opponeretur? Contra, Rufinus Aquileiensis annon libros περὶ ἀρχῶν Origenis latinitate donavit, annon assertor fuit ἀνα. μαρτησίας, & impeccantiae, teste Hieronymo in Epistola ad Ctesiphontem, ac praefat. libri IV. Commentariorum in Hieremiam, annon pro Origene contra ipsum Hieronymum invectivis scriptisque pugnavit, annon ab Anastasio Romano Pontifice una cum memorato Origene anathemate percussus fuit? Iniqui ergo non sumus, si hunc Rufinum Pelagianorum patronis accenseamus, bene tamen si in Rufinum alterum id criminis audeamus impingere. Praeter haec autem, ne coniecturis nimium indulgere videamur; cuique notissimum esse puto, Rufinum hunc sub Grunnii nomine a beato Hieronymo vapulare; quum praef. lib. I. in Hieremiam Grunnium appellat eum, qui Commentarios suos in Epistolam Pauli ad Ephesios carpere, & reprehendere ausus fuerat: quod certum est praestitisse Rufinum Aquileiensem, contemptim Grunnium a Hieronimo dictum, allusione ad M. Grunnii Corocottae Porcelli testamentum, quod magno cum risu a cirratis pueris excipiebatur. Hunc autem Grunnium qui a Pelagii doctrina alienum existimat, legat, obsecro, citato in loco Hieronymum, ubi aperte ipsum Grunnium vocat Praecursorem Pelagii, legat praefat in lib. III. eorumdem in Hieremiam Commentariorum, ubi ait criminatorem suum Grunnium, mutum latrare per Alpinum canem, grandem, & corpulentum, & qui calcibus magis saevire possit, quam dentibus, quibus verbis Pelagium ipsum designari nullus ambigit: legat praefationem in lib. IV. in qua scribit, haeresim Pythagorae & Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, iugulatam in Origene, & dudum in discipulis eius Grunnio, Evagrioque Pontico, & Ioviniano; legat eodem lib. IV. in caput Hieremiae 22. ubi ait, miserabilem Grunnium, qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum, ausum fuisse interpretari, & sub nomine S. Martyris Xysti Episcopi Urbis Romae, edere librum Sexti Pythagorei, quem *Annulum* nominavit, & qui ubique legitur ab iis, qui praedicant ἀπαθείαν, & impeccantiam, ipsum nempe librum, cuius auctoritate haeresiarcha Pelagius ad oppugnandam divinam gratiam abutebatur: videat Augustinum de Nat. & Gratia cap. 64. legat Epistolam ad Ctesiphontem, in qua legitur librum quoque Evagrii Hyperboritae περὶ ἀπαθείας, eiusdem surfuris & nequitiae, opera Grunnii, seu Rufini discipuli eiusdem Evagrii, a plerisque in Occidente lectitari: quid plura? Constat, Grunnium Hieronymi esse praecursorem Pelagii: constat Grunnium illum esse Rufinum Aquileiensem, constat itaque Rufinum Aquileiensem praecursorem esse Pelagii. Mitto autem brevitatis gratia, quod doctissimus Huetius animadvertit lib II. Origenian. 9. 7. hunc Rufinum in latina versione librorum περὶ ἀρχῶν plura addidisse

quae

quae in nullo Graeco exemplari leguntur, & quae proinde Rufinus cudit, ut verbis utar Huetii, ex *sua Pelagianismi officina*; & mitto etiam quod habetur in Cap. *Sancta Romana*, in eiusdem Rufini libris censura notandum esse quod attinet ad libertatem arbitrii, concludens, non sola permotus auctoritate doctissimorum virorum Baronii, Norisii, Huetii, Dupinii, Natalis, aliorumque, sed ratione ipsa, reique evidentia, Rufinum Aquileiensem presbyterum accensendum esse Pelagianorum antesignanis.

IV. Sunt quidem Garnerii coniecturae ponderis alicuius, sed quae nostram, communemque sententiam nequeunt labefactare. Ait vir doctissimus a M. Mercatore Rufinum ducem Pelagianorum appellari Syrum, quum Aquileiensis fuerit. Italus, ut inquit Palladius, aut ex oppido agri Aquileiensis, ut scribit Hieronymus. Addit Mercatorem iis verbis, *Rufinus quidam*, indigitare hominem obscuri nominis, non Aquileiensem universo orbi, ob opinionem sanctitatis, ob eruditionis famam, & ob consortium Melaniae notissimum. Inquit: Rufinus Syrus invexit Romae quaestionem de peccati Originalis traduce sub Anastasio, cum Aquileiensis anno 13. Siricii induxerit Romam navem plenam suarum blasphemiarum, ut lib. II. contra ipsum Rufinum inquit Hieronymus. Ait tandem, neque enim leviora alia persequar, Rufinus Caelestii seductor Romae diversatus est apud S. Pammachium, Hieronymo addictissimum, qui nequaquam excepisset hospitio amici sui acerrimum molestissimumque adversarium. Sed his facillime occurritur, tametsi constaret de Pelagianismo Rufini Aquileiensis, quamquam Rufinus alter Romam quaestionem de traduce peccati invexisset. Respondemus enim dici Rufinum Aquileiensem a Mercatore natione Syrum, quoniam plenis quinque lustris in Oriente degerat, & licet natus in pago Aquileiensi, Syrus tandem vulgo habebatur. Non legi apud Marium Mercatorem, *Rufinus quidam*, *sed Rufinus quondam*, quamvis & prior lectio parum nobis incommodat: Rufinum, de quo agimus, venisse utique Romam sub Siricio, anno 396. sed ibi diu commoratum, saltim usque ad annum 398. quo Siricio successit Anastasius, qui omnium primus recentem haeresim, operam navante Marcella, compressit; nam saltem biennio Rufinus moram egit, libros περὶ ἀρχῶν in latinum vertens, hortante Macario nobilissimo viro, urbisque praefecto. Quo tempore nondum Hieronymum inter, ac Rufinum exorta erant dissidia, quae nata sunt ob vulgatam interpretationem praedictorum librorum *Periarchon*, an. 399. immo hoc anno mittens Hieronymus Rufinum discipulum suum Mediolanum, iussit ut Roma pertransiens Rufinum Aquileiensem suo nomine obsequio & animo inviseret, ut idem Hieronymus scribit ep. 66. quare tum ob amicitiam santissimi Viri nondum violatam, tum ob necessitudinem Rufini cum Paulino, ceterisque amicis Pammacchii, tum denique, quod huius domus esset commune Monachorum hospitium, praedictus Rufinus in Romanis Pammachii aedibus exceptus fuit.

IV. *Quid respondendum sit loanni Garnerio.*

De

De Patria, instituto, scriptisque Pelagii.

CAPUT VII. I. SAEPENUMERO mirari soleo, Viri ornatissimi, non clarissimorum virorum tantum, sed & scelestissimorum historias conscribi; de patria, de genere, rebusque gestis contentiosas disceptationes institui, & quorum delenda esset memoria, diligenter, sollerterque facta narrari. Etsi enim haereticorum dogmatum insectantibus pravitatem, opportunum admodum, ac necessarium est, auctorum scripta pervolutare, sensusque scrutari, ut ubi serpit error, ubi fraus latet, simpliciores dignoscant, & perversitatis germina radicitus evellantur: quid tamen affert commodi de auctorum patria, ac professione, improbo otio disserere, nimiamque legentium fovere, ac palpare curiositatem? Verum sive id fiat, quod nemo conterraneos proximosque desiderat homines iniquissimos, ne horum infamia & dedecore loca gentesque afficiantur, uti de optimorum propinquitate, quod de Homero Graecorum poetarum nobilissimo fertur, contendunt urbes & oppida, sive alia quaelibet adsit causa; inhaerentes aliorum Scriptorum vestigiis, quandoquidem post Rufinum Aquileiensem de eius discipulo Pelagio, a quo perniciosissima haeresis sortita est nomen, dicendum est modo, de haeresiarchae huius patria, de instituto, de scriptis cogimur pertractare.

II. *Agitur de patria Pelagii.*

II. Et quantum ad Pelagii patriam attinet, Lambertus Danaeus Genevensis Comment. in lib. Augustini de Hh. cap. 88. fuisse putat eam Galliarum partem, quam Geographi Tractum Armoricanum appellitant: Balaeus Centuria 1. Scriptorum, Pelagium in Anglia natum existimat; Gerardus Vossius lib. 1. H. P. cap. 3. Scotum opinatur, Norisius, Garnerius, aliique ex transmarinis Brittaniis prodiisse tradunt. Est autem postrema haec sententia verissima. Primum quoniam S. P. Augustinus Ep. 106. ait, Pelagium Britonem fuisse cognominatum, ut distingueretur a Pelagio altero Tarentino. Secundo quia S. Prosper initio Carminis *De Ingratis* illum *Anguem Britannum* appellat. Tertio quia idem Prosper in Chronico ad Consulatum Lucii, & Heraclinai, idest ad annum 413. *Britonem* fuisse testatur. Quarto quoniam eadem est S. Hieronymi in Hieremiam, & Pauli Orosii in Apologetico, assertio. Et quoniam Britanniae nomen pluribus provinciis commune fuit, Aremorica autem, & Gallia Celtica nondum Britannia dicebatur, consequens est, Pelagium in transmarinis Britanniis ortum duxisse. Scotum vero fuisse negat Norisius, propterea quod, teste Beda lib. 1. Hist. Anglorum cap. 12. Scoti ac Picti teneant Septemptrionales insulae plagas, ac sint a Britonum parte remoti; Garnerio tamen scrupulum inicit, quod olim revera etiam Scotia, & Hibernia communi Britanniae vocabulo censerentur, ac praestantissimus Hieronymus praefat. lib. III. Comment. in Hieremiam Pelagium vocaverit

verit *Scotarum pultibus praegravatum*, ac rursus de illo scripserit: *Habet enim progeniem Scoticae gentis de Britannorum vicinia*. Sed haec verba Hieronymi in Caelestium potius quadrant, quam in Pelagium. Improbabile non est Pelagium patria lingua *Morgan*, nempe *maris filium* fuisse appellatum, ac ne aures laederet Latinorum, se, nominis significatione retenta, nominasse Pelagium: de qua re legendus Vsserius de Primordiis Eccl. Brittan. cap. 8. Fertur etiam natus eodem die, qua Augustinus in Africa: Sed his, quae incerto auctore narrantur, omissis, a Pelagii patria ad eius Institutum progrediamur.

III. *De Monachatu, & instituto Pelagii.*

III. Fuisse Pelagium instituto ac professione Monachum, consentiunt omnes. Etenim Augustinus de Hh. n. 88. de Pelagiana inquit: *Pelagiana est Haeresis omnium recentissima, a Pelagio Monacho exorta*; & Marius Mercator de Rufino, ut praeced. Exercit. dictum est, *Pelagium*, ait, *Britannum Monachum decepit*. Hinc tamen inferri nolim Ordini nostro aliquam notam dedecoris. Nam, ut de apostata quodam monacho scribebat Institutor noster Augustinus ep. 78. melior non est Domus quaelibet monachorum Arca Noe, ubi inter octo homines inventus est unus reprobus, nec melior Abrahae, Isaac, Davidisque familiis, in quibus improbi, & nequissimi filii vixere, nec melior Apostolorum collegio, cui cooptatum invenimus furem unum perfidum, suique Domini proditorem; nec melior denique supernorum civium cohabitatione, unde mali Angeli ceciderunt. Quamquam ii, qui Pelagium monachum fuisse testantur, non eum vel Caenobitam, vel Anachoretam sub alicuius antistitis disciplina, & certa vivendi ratione vixisse tradunt; sed potius fuisse unum ex iis, qui habitu ad pietatem composito, modesto induti pallio incedebant, vitamque religiosam profitebantur; quales fuerunt eo temporis Paulinus, Pammachius, Melania, aliique tam viri, quam mulieres. Ex quorum genere cum bonos invenimus, ut quos modo commemoravimus: tum malos, ut Evagrium Theodori Mopsuesteni discipulum, & illius, *cui nomen nigredinis*, inquit ad Ctesiphontem Hieronymus, idest praelaudatae Melaniae, consuetudine clarus, Pelagius iste, aliiqui errones, qui domos cursitant & vagantur, superbia tumidi, dapibusque inhiantes. Quamobrem idem Pelagius dicitur ab Orosio cap. 27. Apologetici, balneis epulisque enutritus, gestans latos humeros, robustamque cervicem, ac praeferens etiam in fronte pinguedinem. Cum autem Monachus iste miserrimus tum a Paulo Orosio citato in loco, tum a Zosimo Romano Pontifice in epistola ad Aurelium, aliosque Episcopos Afros, laicus dicatur; merito Balaeus, & Prateolus, qui asserunt Pelagium fuisse antistitem amplissimi Coenobii Bannochorensis, & Episcopali charactere condecoratum, ab eruditis omnibus contemnuntur. Atque haec de monachatu Pelagii, quem ignotum Isidoro Pelusiotae, & Ioanni Chrysostomo, alibi contra Gerardum Vossium, ex Garnerio, & Norisio supputatione temporum demonstravimus.

IV. *Recensentur scripta Pelagii.*

IV. Iam vero ad Pelagii Scripta deveniamus. Postquam Pelagius Romam profectus esset, quod contigit circa annum 384. edidit tres libros de Trinitate, quorum meminerunt in Catalogo Scriptorum Eccl. Gennadius, & Honorius Augustodunensis. Conscripti fuerunt hi libri ante adventum Rufini in urbem, ideoque ante annum 396. idque ut Pelagius ostenderet quantum distaret ab Arianis, quod erat tunc temporis Fidei Catholicae tessera. In his tamen libris circa processionem Spiritus Sancti a solo Patre, videtur Pelagius consentire Theodoro Episcopo Mopsuesteno. Vbi Rufinus Romam venit, ab eoque Pelagius novo imbutus est dogmate, conscripsit librum Eulogiarum, sive, de Actuali Conversatione, ac paullo post libros XIII. Expositionum in omnes Epistolas Pauli: quorum operum primum commemorant Hieronymus Dial. 3. contra Pelagianos, Augustinus lib. de Gestis Pelagii cap. 1. & lib. IV. ad Bonif. cap. 8. Orosius in Apolog. & Gennadius de Script. Eccl. cap. 42. Alterum Augustinus de peccat. meritis lib. III. cap. 12. & de Gestis Pelag. cap. 16. Marius Merc. in Commonit. & in Praef. Subnotat. & Cassiodorus lib. VIII. Divin. Instit. Hisce in libris aperte negat Pelagius originale peccatum, docetque Adae lapsum sola imitatione transire ad posteros. Dedit & Romae an. 405. epistolam ad S. Paulinum, ac an. 408. alteram ad Constantium Episcopum, quas non carere veneno demonstrat in libro de Gratia Christi cap. 35. & 36. Augustinus. Eodem anno 408. aut proximo 409. antequam ex urbe discederet, libros duos, consolatorium unum, alterum hortatorium ad Viduam, quam alii opinantur fuisse Memorii coniugem, ac parentem Iuliani, alii matrem Demetriadis, Iulianam nomine, alii demum Albinam socrum Piniani. Hos libros Pelagius mentitus est non esse suos, cum tamen redargui facile posset fide dignorum testimonio, inquit Augustinus lib. de Gestis Palaest. cap. 6. Haec Pelagius Romana in urbe exaravit.

V. *Enumerantur reliqua Pelagii scripta.*

V. Quum vero Pelagius, barbaris Italiam depopulantibus, una cum Caelestio Roma excedens in Siciliam se recepisset, & biennio usque ad annum 411. commoraretur Syracusis, scripsit librum *de Natura*. Haec ex sententia Garnerii. Sed alibi diximus scriptum hunc librum in Palaestina anno 414. Vide de Th. Disc. lib. XIV. cap. 2 in quo gratiam, qua iustificatur impius, & qua Christiani sumus, quanta potuit argumentatione oppugnavit: quem librum ad se missum ab honestissimis adolescentibus Timasio, & Iacobo, libro ei opposito, quem inscripsit *de Natura, & Gratia*, refellit. Postea autem ineunte Vere an. 411. Pelagius e Sicilia solvens venit cum Caelestio Hipponem Regium, Sedem Episcopalem Augustini; ad quem, cum forte S. Praesul abesset, dedit Pelagius epistolam, qua amicitiam eius initet, memoratam ab eodem Augustino libro de Gestis Pelagii cap. 26. Tum Pelagius & Caelestius profecti sunt Carthaginem: ubi Caelestius palam negans dari originale peccatum, Synodali Episcoporum sententia an-

anno 412. damnatus est, & fugam arripiens transmisit in Asiam: Pelagius adiit Hierosolymam, ubi fretus Ioannis Hierosolymitani Episcopi patrocinio plures sibi adscivit discipulos, coepitque errores suos palam disseminare. E Palaestina scripsit Pelagius epistolam ad Demetriadem de Virginis Institutione, circa annum 413. quam Epistolam S. P. Augustinus exagitat in libro de Gratia Christi cap. 37. Iudicio demum postulatus in Synodis, quas suo loco enumerabimus, fidem suam vindicare Pelagius conatus est anno 415. epistola altera ad Augustinum, quatuor libris de libero arbitrio, editis ad declinandam negatae Dei gratiae invidiam, verbisque in sensum Catholicis haeresim dissimulandam, necnon litteris datis ad Presbyterum quemdam amicum suum de rebus Diospolitanis: ac demum anno 417. cum eius Causa Romae ageretur, misit Pelagius ad Innocentium Romanum Pontificem, una cum litteris, suae Fidei libellum; de quo Augustinus libro de Gratia Chr. cap. 30. Et haec de patria, de instituto, & de scriptis Pelagii.

De Pelagii Achate Caelestio.

I. EX Vrbe Roma cum haeresiarcha Pelagio, imminente Visigothorum obsidione anno 409. discessisse Caelestium, simulque biennio commoratos Syracusis, simul Hypponem Regium, portum, urbemque Africae utrumque appulisse an. 411. Exercitatione diximus praecedenti. Postquam igitur scrutati sumus quae spectant ad Pelagii personam, aequum est, de fidissimo eius Achate, comiteque individuo, instituere orationem, quam, de Caelestii genere, de peregrinatione, ac de studiis pertractaturi, invocato Auctoris omnium gratiarum praesidio exordimur. Caput VIII.

II. Caelestium iteque Baronius ad annum 410. num. 61. Vsserius de Brit. Eccl. Primordiis cap. 8. Iansenius initio libri de H. P. & Norisius cap. 3. fuisse Scotum affirmant; Garnerius autem diss. 1. de Auctoribus & Defensoribus H. P. cap. 5. Romanum, aut Campanum saltem, fuisse contendit. Et illi quidem innituntur testimonio Hieronymi mox expendendo; is autem epigrammate Prosperi in Obtrectatorem Augustini, in qua haec leguntur: II. *Cuias fuerit Caelestius.*

Aut hunc fruge sua aequorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.

Sed potior est sententia priorum, suffulta verbis Hieronymi Praefat. lib. III. in Hieremiam: *Mutus latrat per Albinum Canem grandem, & corpulentum, & qui calcibus magis possit saevire, quam dentibus: habet enim progeniem Scoticae gentis de Britannorum vicinia, qui iuxta fabulas poetarum instar Cerberi spirituali percutiendus est*

clava, ut aeterno, cum suo magistro Plutone, silentio conticescat. Mutum illum latrantem per Albinum Canem, Garnerius interpretatur Rufinum Aquileiensem, qui cum triennio antequam Hieronymus haec scriberet, in Sicilia obiisset, adhuc tamen superstitem in Pelagio defensore videbatur vivere, suisque calumniis in Hieronymum debacchati. At certo certius Pelagium haeresim ore Caelestii disseminantem producta S. Hieronymi verba delineant; tum quia Rufinus iam ab anno 401. libros Invectivarum contra eumdem Hieronymum absolverat & limaverat, nec proinde mutus dictus est in Commentariis a Hieronymo editis anno 414. tum quia in iisdem Commentariis non designat S. Doctor Rufinum tanquam Mutum alieno ore latrantem, sed tanquam scorpium, hydramque multorum capitum, quae Thrinacriae humo premebatur, & sibilare cessaverat; tum quia Pelagius nec Scotus fuit, sed Britannus, neque Canis latrans dici potest, a Hieronymo maxime, qui & in Epist. ad Ctesiphontem, & in Dialogis contra Pelagianos animadvertit adeo versutum fuisse Pelagium, adeo callidum, ut nihil de suis mysteriis aperte crederet, sed fidis duntaxat auribus, & serpentis instar, aut nihil, aut solum ambiguum aliquid, contra ac faciebat Caelestius, eructaret. Mutus itaque latrans per Albinum Canem intelligitur esse Pelagius venena pravitatis effundens impudentissimo, scelestissimoque ore Caelestii. Is ergo Scotus fuit: ac frustra Campanum, Romanumve dixeris ob praecitata Prosperi verba, de Iuliano Eclanensi certissime accipienda. Nulli autem dubium est, Caelestium fuisse nobili loco natum, sed editum naturae vitio materno ex utero Eunuchum, id asserente in Commonitorio ad Pintam Mario Mercatore. Quae tantum de Caelestii genere dicta sunt.

III. *Varia Caelestii itinera, & exilia narrantur.*

III. De varia Caelestii peregrinatione diximus praelectione superiori, eumdem Roma, ubi circa annum 400. coepit dare operam Pelagio, indutoque pariter pallio monasticam vitam professus est, itemque post adventum Rufini oppugnare coepit originalis peccati traducem, in Siciliam migrasse,¹ ubi multos in haeresim suam pertraxisse, colligimus ex Hieronymo asserente Praefat. lib. IV. in Hierem. haeresim impeccantiae plerosque in quibusdam insulis, praecipue Siciliae, & Rhodi, maculasse: ex Hilario Monacho Syracusis ad Augustinum scribente, tradi a quibusdam Christianis, posse esse hominem sine peccato, & mandata Dei facile implere, si velit, & infantem non baptizatum, morte praeventum non posse perire merito, quoniam sine peccato nascitur; ex libro Augustino de Perf. Iust. in cuius praefat. ait respondere se allatis e Sicilia definitionibus, quae dicebantur Caelestii: atque ex cap. 2. Carminis περὶ ἀχαρίστων, ubi Prosper inquit,

Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.

Di-

Diximus quoque, Caeleſtium e Sicilia in Africam transmiſiſſe; atque in Vrbe Carthagine an. 412. quo ab Aurelio celebratum fuit Concilium provinciae proconſularis, accuſatum a Paulino Diacono, fuiſſe anathemate percuſſum Africanorum Patrum ſententia. Se inde ergo ſubripiens fugit in Aſiam, adiitque Epheſum, ubi ab Heraclide Memnonis praeceſſore ordinatus eſt presbyter. At ubique ſui ſimilis, protervus ſcilicet, & audax haereſis diſſeminator, Epheſo per tumultum eiectus exeunte anno 416. petiit Conſtantinopolim: proximo anno Conſtantinopoli pulſus conceſſit Romam, ubi anno 418. damnatur a Zoſimo: pellitur Roma decreto Conſtantii anno 421. Extruditur opera Caeleſtini Pontificis anno 426. totius Italiae finibus: foedus init an. 428. cum haereſiarcha Neſtorio, qui per ea tempora in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſucceſſerat Siſinnio, e Conſtantinopoli rurſus eiicitur an. 430. edicto Imperatoris Theodoſii; ac demum in ſequenti anno ab Oecumenica Synodo Epheſina proſcriptus, miſerrimam & obſcuriſſimam vitam egit: recte a Hieronymo Cani, & Cerbero comparatus, dignusque ſane, a quo Pelagiana haereſis Caeleſtiana paſſim nuncuparetur.

IV. Hanc inhoneſtiſſimam impuriſſimamque nomenclationem ipſius Caeleſtii ſtudia, & ſolicitudo in propaganda haereſi promeruerunt. Quamvis enim ante Caeleſtium occulte alii dogmata Pelagiana ſparſiſſent; is tamen omnium primus inverecunde impudenter eadem auſus eſt propugnare ac docere, ut non immerito ſcripſerit S. Vincentius Lirinenſis cap. 34. Commonitorii: *Quis ante prodigioſum diſcipulum Pelagii Caeleſtium, reatu praevaricationis Adae omne genus humanum negavit adſtrictum*? Et Auctor Praedeſtinati lib. 1. h. 88. *Caeleſtius contra traducem peccati primus ſcripſit*. Ad haec, ut erat, vir *acerrimi ingenii*, quemadmodum illum appellat Auguſtinus lib. II. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 3. atque a puero conſcribendis libellis & epiſtolis animum applicuerat, ut in Cat. Scrit. Eccl. cap. 44. ait Gennadius, omnes ingenii ſui vires & conatus exercuit in nova haereſi ſtabilienda, nec Sanctorum documenta reveritus, nec exilia, nec populares impetus, nec Auguſtorum Divalea, nec Epiſcoporum anathema pertimeſcens. Eam ob rem ipſe, priusquam Pelagius ederet Commentaria in Epiſtolas Pauli, oppugnavit ſcripto, de quo paullo ſupra, traducem peccati protoparentum: Ipſe concinnavit definitiones e Sicilia ad Auguſtinum miſſas, & antecedenter commemoratas: ipſe libellos Fidei ſuae pluries edidit, ut Carthagine retunderet Paulini Diaconi accuſationes, & Romae Sedem deciperet Apoſtolicam: ipſe denique auſus eſt Eccleſiae Romanae Clericos publicis litteris inſimulare praevaricationis atque perfidiae, & audientiam plenariae Synodi poſtulare. Neminem haereticorum audaciorem invenimus.

IV. *Caeleſtii erga Pelagiana dogmata vehemens ſtudium.*

V. Varia de eo fuere iudicia. Nam S. P. Auguſtinus, ut praemonui, vocat Caeleſtium hominem *acerrimi ingenii*, additque, *profecto*

V. *De Caeleſtii doctrina profertur iudicium.*

fecto si corrigeretur, plurimis profuisset. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, ubi Caelestium vocat Pelagii licet discipulum, magistrum tamen, & ductorem exercitus, ait illum per *solaecismorum, & non, ut sui iactant, per syllogismorum spineta decurrere*. Et Gennadius in Catalogo Script. Eccl. de libris a Caelestio adhuc adolescente compositis inquit: *Moralis in eis dictio: Nihil ibi vitii postmodum prodiit, sed totum ad virtutis incitamentum tenuit*: At quoniam Hieronymus solet adversarios contundere penitus, ac deprimere; Gennadii autem iudicium, praesertim de Pelagianis, horumque Reliquiis, non semper libratum rectumque est; idcirco Augustino utroque pollice subscribimus. Atque haec de Caelestio.

Iuliani describitur patria, uxor, & vita.

CAPUT IX. I. POST Caelestium agendum nobis est de Iuliano, qui in oppugnanda Dei Gratia, & adversus Catholicam Fidem denegando traduce originalis peccati, tum eloquentia ingenioque acumine, tum pervicacia & nequitia, Pelagianis ceteris antecessit, & cum quo fuit Augustino pugna molestior ac diuturnior. Ipsius Iuliani, etsi a Gennadio Massiliensi in Catalogo, & a Beda prefat. in Cantica asseritur fuisse Campanum, idque innuere quoque videtur beatus Prosper eo versu, *Aut huic Campano gramine corda tument*, controvertitur tamen natale solum; pluraque de eius uxore, affinibusque a recentioribus morosisque Criticis in disputationem trahuntur, quae nos in quaestiunculis agitandis aliquantulum vel invitus immorari compellunt. Ut rerum tamen delectu, ac brevitate reddantur auditoribus iucundiores, quae ad Iuliani conditionem, quae ad coniugium, quae ad vitam spectant, praelectione una, quam nunc aggredior, conabor absolvere.

II. *Patria, genus, & parentes Iuliani describuntur.*

II. Iulianum in Apulia natum innuit Augustinus lib. VI. Operis Imperf. cap. 18. ubi ait: *Noli istum Poenum monentem vel admonentem terrena inflatus propagine spernere: non enim quia te Apulia genuit, ideo Poenos vicendos putas gente, quos non potes mente*. De Patria tamen Historici non conveniunt. Norisius enim, & Pagius ad annum 419. natum putant Eclani: est aut Eclanum Campaniae oppidum, quod Ptolomaeus vocat Αἰκέλανον, unde, apud Geographos Aeculani, Campaniae, seu potius Apuliae Peucetiae populi. Opinatur Gerardus Vossius Iulianum patriam fortasse habuisse vetustam urbem Ἡράκλειαν, uti nominatur a Strabone, & a Dionysio Halicarnassensi, sive ut Ciceroni, Plinio, & Melae dicitur, Herculaneum, eam nempe, quam superioribus annis dirutis prope Neapolim iussu Caroli Borbonii Regis vetustis ruderibus, mortalium oculis antiquorum subterraneorum miracula ferunt exhibuisse; ac demum Baronius, ad quem recentiores nonnulli

accessere, Iulianum natum putant Atellae, quod Chronica Prosperi, iuxta editionem, quam curavit Sigonius habeat *Atellensem*, cui lectioni fovent quoque Contractus, & Marianus. Fuit autem Atella duplex, una in Campania prope Aversam, altera vero in Apulia, in qua si dicamus ortum Iulianum, habemus consentientes Prosperum, & Augustinum, inquiunt adversus Norisium recentiores. At facile, nulloque negocio doctissimus iste P. H. illustrator has recentiorum coniecturas retunderet, atque enervaret. Nam & castigata Chronici Prosperi Exemplaria, editionesque Pontaci, & Scaligeri, & aliae omnes melioris notae, non *Atellensem* habent, sed *Eclanensem*; ideoque Chronico Prosperi confirmatur, non evertitur, sententia Norisii: Adde, ab Atella, non Atellensem, sed Atellanum fuisse Iulianum denominandum, servata latini sermonis proprietate; ut mittam, quod supra praemonui, Eclanum in Apulia constitui a recentioribus vetustisque Geographis, ac pertinere tamen una cum Benevento ad Campaniam, ex divisione Hadriani. At quodque solum monstrum istud protulerit, parentes habuit generis nobilitate conspicuos, patremque Memorium Episcopum Capuanum, matrem Iulianam feminam honestissimam: unde ita in eumdem Iulianum invehitur Marius Mercator in lib. Subnot. cap. 4. *Tu ne Sanctae & beatissimae recordationis Memorii Episcopi filius? Tu Iulianae primariae feminae, & qua nihil honestius inter veneratissimas matronas invenias, utero editus? Absit, absit, ut istud tibi credere ausim; vernularum eorum potius te crediderim filium, suppositumque illis, ut saepe dictum, factum*. Viderentur postrema Mercatoris verba Iulianum tanquam spurium notare, nisi haec foret consueta quaedam forma filios degeneres increpandi. Ex eodem Mercatore didicimus, Iuliano duas fuisse sorores non admodum pudicas: quae tantum de genere ac prosapia Iuliani duximus praenotanda.

III. *De Iuliani cum Ia matrimonio.*

III. Ad illius nempe nuptias, & post nuptias Episcopatum trahit nos rerum series, Scriptorumque dissensio. Certum est Iulianum clericum, & Lectoratus ordine initiatum duxisse in uxorem Iam, quam Vignerius, Norisius, Garrerius, aliique viri doctissimi, putant fuisse filiam Aemilii viri Consularis, & Episcopi Beneventani, idque colligi e S. Paulini Nolani Epithalamio; quamquam ex eodem Epithalamio quidam cum Ludovico Muratorio tom. 1. Anecd diss. 8. coniici arbitrentur, Aemilium non fuisse patrem Iae, sed fratrem Memorii, natu quidem minorem, sed seniorem Episcopatu, siquidem de Aemilio ad nuptias veniente ait Paulinus,

Surge Memor, venerare Patrem, complectere fratrem,
Posterius natus, senior quia Sede sacerdos,
Gestat Apostolicam pectore canitiem.

At fallor, si non Paulinus appellat Aemilium, ut patrem, ita fratrem Memoris, aut Memorii, spectato Episcopali munere, non sanguinis cogna-

gnatione. Enimvero Fulgentius apud Vignerium in praef. 2. p. Suppl. de Iuliano inquit: *Nec illi fastidiebat paternae nobilitati Aemiliorum fasces admovisse, quos haeresi degenere turpiter maculavit:* quae verba liquido ostendunt Aemiliae Gentis splendorem Iuliano non paterno ex genere, sed aliunde, videlicet, Iae connubio accessisse. Ergo Ia Aemilii filia haud immerito dicitur a praelaudatis Scriptoribus, nec recte, meo quidem iudicio, recentiores Memorium & Aemilium fratres, eodemque semine procreatos existimant.

IV. *Episcopatus Iuliani tempus, & locus.* IV. Soluto Iuliani, aut morte Iae, aut alia ex causa, coniugio, ordinatus est ab Innocentio Romano Pontifice Episcopus ante annum 417. quippe hoc anno die 12. Martii S. Innocentius decessit; ideoque a Garnerio ante an. 386. statuuntur Iuliani natalia, propterea quod nemo tunc temporis ante annum tricesimum fieri legitime poterat presbyter vel Episcopus. Cuius urbis Antistes renunciatus sit, obscurum primo adspectu videtur. Capuanum enim vocat Gennadius de Script. Eccl. cap. 45. Celanensem Beda praef. in Cant. & Gelasius cap *S. Romana*, Edanentem Petrus Diaconus libro de Grat. Heraclensem Ger. Vossius lib 1. de H. P. Celaniensem Vignerius, Eclanensem Norisius, Garnerius, Suaresius. Quorum posteriorum sententia certissima evasit, postquam inter Codices Mercatoris repertum est Scriptum contra Symbolum Theodori, ubi legitur, *Iulianum Episcopum oppidi Eclanensis, haereticum Pelagianum, seu Caelestianum, hunc secutum esse Theodorum;* quamobrem apud Gennadium imperita manu τὸ *Capuanum* irrepsit, quod & Baronio, & Vghello, aliisque occasionem tribuit errandi: in ceteris excribendis, aut coniunctione, aut transpositione litterarum peccarunt Amanuenses. Eclani itaque, ac fuaemet Patriae, qua diruta Sedes Trequentum in Hirpinis translata est, Iulianus tenuit Episcopatum: atque haec tantum de eius tum carnali, tum spirituali connubio.

V. *Rerum a Iuliano gestarum Synopsis.* V. Cetera brevissime persequamur. Eloquentia Iulianus plurimum valuit, fuitque olim Augustino carissimus, ut apparet ex epist. 131. Sancti Patris ad Memorium. Sed ubi confidentissimus juvenis adhaesit Pelagianis, & ingenio, quo pollebat, & latina & graeca, lingua superbiens, coepit adversum Orthodoxam Fidem fluctum movere, magna exorta fuerunt inter utrumque dissidia. Ac scripsit Iulianus post aliquot ad Zosimum, & ad Rufinum Thessalonicensem epistolas, anno. 418. libros quatuor adversus primum Augustini de Nuptiis, & concupiscentia, & rursus libros octo adversus secundum post ann. 421. quibus S. Doctor opposuit sex alios, & rursus octo, quorum tamen duo desiderantur, ideoque inscribuntur, *Opus imperfectum contra Iulianum*. Praedicto enim anno 421. pulsus & Italia edicto piissimorum Imperatorum Honorii, & Theodosii, in Siciliam primum, deinde ex toto ejectus Occidente, in Ciliciam ad Theodorum Mopsuestenum confugit, ibique postremos octo libros superius commemoratos adversus Augustinum conscripsit, qui serius ad S. P. manus pervenere. *Ad*

Theo-

Theodorum, inquit Mercator praef. Ref. Symboli, *peragratis terris, & exarato mari, atque Oriente lustrato, cum sociis & participibus suis magno nisu, tanquam ad Christianorum dogmatum predicatum Magistrum Iulianus tetendit ut de haeresi Pelagiana, seu Caelestiana, quam defendendam & sequendam suscepit, ab ipso confirmaretur. Atque inde velut instructior octo contra Fidem Catholicam potius, quam contra sanctae memoriae Augustinum, volumina illa, ut putat, prudentissima conderet.* Ex Oriente Iulianus in Italiam reversus an. 424. sperans, post obitum Bonifacii, & Honorii Imp. recuperare Episcopatum, repulsam a Caelestino passus, Italia rursus excessit, navigavitque Constantinopolim. Inde etiam anno 425. ab Attico una cum Caelestio, aliisque Pelagianis ejectus, usque ad annum 428. per Orientem vagavit, donec Nestorio evecto ad Constantinopolitanae Ecclesiae regimen, in eam urbem cum suis rediit, atque in amicitiam a Nestorio receptus, cum isto, & Caelestio damnatus est anno 431. in Synodo Ephesina. Egit post haec Iulianus vitam profugam ac dejectam, obitque in ignobili Siciliae vico circa an. 453. aetatis suae 69. plus, minus, quorum triginta octo Catholicam vexavit Ecclesiam. Atque haec de Iuliano, qui a Gennadio Massiliensi in Cat. illustrium Script. dicitur *Vir acer ingenio, in Scripturis doctus, Graeca, & Latina lingua scholasticus, & priusquam impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in Doctoribus Ecclesiae*: a Beda in Cantica, *Verbetor peritissimus, ita gratiae Dei post Pelagium impugnator acerrimus*: a Prospero in Chronico, *Iactantissimus Pelagiani erroris adsertor, praeditusque multimoda arte fallendi*: a Mercatore in lib. Subn. *Vernularum Filius, scurra, amentissimi erroris ventilator, aliud in pectore, aliud promptum in lingua habens &c.*

Pertractatur de Anniano Pelagianorum Dogmatum propugnatore.

I. Sequitur, ut post Iulianum Eclanensem Episcopum de Anniano Celedensi Diacono pertractemus, quem non auderem connumerare inter praecipuos Pelagianae haeresis adsertores, nisi duo gravissimi, doctissimique viri, Ioannes Garnerius dissert. 1. cap. 1. & Henricus Norisius lib. 1. H. P. cap. 19. praeivissent, atque aperta judicii sui produxissent munimenta. Hi enim animadvertunt Pelagianum interpretem octo primarum Homiliarum S. Ioannis Chrysostomi in Matthaeum, Homiliae alterius ad Neophitos, & septem de laudibus Pauli, fuisse hunc, de quo loquimur, Anianum, non alterum eiusdem nominis, qui sub rege Alarico compilavit Codicem Theodosium, ut visum est Sigeberto ad annum 506. atque interpretem illum purum putum Pelagianum fuisse, quod nec Isaac Habertus Vabrensis Episcopus in Con- Caput X.

 cor-

cordia Patrum Graecorum & Latinorum de Gratia, nec Possevinus in Scriptorum Catalogo, nec Vossius lib. 1. H. P. cap. 6. nec alii plures adverterant. Praemissa itaque huius Anniani notitia, de huius scriptis, & manifesto Pelagianismo ita agemus, ut quidquid in hanc quaestionem venit, brevi, perspicue, & apodictice expediatur.

II. *Quisnam fuerat Annianus, de quo pertractatur.*

II. Innotuit nobis Annianus, de quo agimus, ex Epistola S. Hieronymi ad Alipium, & Augustinum; inter Augustinianas 24. scripta anno quo decessit nobilissima Virgo Eustochium, idest, anno 419. in qua Epistola legimus: *Quaeritis, utrum rescripserim contra libros Anniani Pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime pascitur, ut alienae blasphemiae verba frivola subministret*. Testatur eadem in Epistola S. Hieronymus missos ad se Anniani libros ab Eusebio presbytero, ex Invectivis Rufini, ex Epistola ipsius Hieronymi ad Pammachium, atque ex praef. Commentar. in Hieremiam, & in Matthaeum, quibuslibet noto: hisce in libris solitas contineri Pelagianorum cantilenas, nihilque haberi aliud, exceptis *verbis tinnulis, & emendicatis*: operosum non esse ineptissimis naeniis respondere, idque se facturum, si Deus vitam tribuat, paucis lucubratiunculis, non ad confutandum emortuam haeresim, sed ad confutandam Anniani imperitiam, atque blasphemiam, quamquam melius hoc facerent Augustinus & Alipius, quibus cooperatoribus & adiutoribus haeresim Caelestianam iugulatam esse gratulatur, ne idem Hieronymus suimet scripta compellatur laudare, dum haereticum hominem insectatur. Ex qua Hieronymianae Epistolae synopsi constat, Annianum fuisse Diaconum Celedensem, sive, ut corrigendum putant Garnerius & Vossius, Celenensem, eiusdem cum Iuliano provinciae; Celeda enim apud Geographos nusquam comparet. Constat scripsisse adversus Epistolam S. Hieronymi ad Ctesiphontem, damnata iam haeresi Pelagiana, & paullo ante Hieronymi obitum: Constat demum a Pelagianis incitatum fuisse, ut ad proscriptam iugulatamque illorum haeresim instaurandam ingenii sui nervos omnes intenderet. Neque enim sub Anniani corio latuit Valerianus, quem cavendum esse significavit per litteras S. Cyrillo Eusebius Episcopus Cremonensis, ut opinatur Baronius ad ann. 417. num. 16. aut Iulianus Eclanensis, ut visum Vossio lib. 1. H. P. cap. 6. aut demum ipse haeresiarcha Pelagius, nomen suum ementitus, ut lib. 1. de H. P. sentit Iansenius Iprensis. Fugit enim hos viros, alioqui eruditissimos, revera eo tempore vixisse Annianum, cuius praefatione in homilias Chrisostomi Op. Perf. in Matthaeum fit mentio. Nulla praeterea apparet ratio, cur Valeriani in Anniani nomen commutaret Hieronymus: qui cum ridiculis fictisque vocabulis hostes suos delinearet, si noluisset adversarium proprio nomine exprimere, certe lepidiori aliqua nomenclatura designasset; praeterquamquod respondens Augustino & Alipio, proprium nomen viri, de quo ii Hieronymum ipsum interpellaverant, minime adulterasset.

In-

Iulianus vero cum gloriae duceret praestantissimos Ecclesiae Catholicae Patres aggredi aperto marte, minime Diaconi Celedensis nomen assumpsisset cum Hieronymo pugnaturus, ac dedisset operam ut potius ad ipsum Hieronymum Bethelemi commorantem, quam ad Augustinum in Africa positum, elucubrationes suae pervenirent. Quid vero de Pelagio? Cum praelaudatus Hieronymus scribat, Annianum *alienae blasphemiae verba frivola subministrare*, eiusque libri ad eumdem Hieronymum missi fuerint ex Occidente ab Eusebio presbytero, certe Annianus non est Pelagius, qui proprias blasphemias alieno ore promebat, atque in Oriente eo temporis versabatur. Forte dicet aliquis, Hieronymus de Anniano ait, interfuisse Synodo Diospolitanae, in qua certum est Pelagium haeresim mentiendo suffuratum fuisse absolutionem; ideoque non videtur inverisimile, ipsum Annianum non fuisse a Pelagio diversum: Sed respondemus hinc potius evinci oppositum: Cum enim Pelagius Graecam linguam ignorans, coactus sit Diospoli per interpretem Graecis Patribus respondere, ut scribunt Augustinus in libro de Gestis Palaestinis, & Orosius in Apologetico; haud obscure colligitur hunc Annianum in Graecis litteris doctissimum fuisse illum Pelagii interpretem: unde recte Norisius lib. 1. H. P. cap. 19. ait: *Erat Annianus Diaconus, atque ob Latinae Graecaeque linguae peritiam magna in aestimatione a Sectariis habebatur. Pelagii lateri adhaerens in Asiam se contulit, suamque eidem operam in Diospolitana Synodo praestitit.*

III. *De Versione quarumdam Homiliarum S. Ioannis Chrysostomi ab Anniano exornata.*

III. Ob illam haud mediocrem Graecae linguae peritiam Annianus in donandis latinitate quibusdam Homiliis S. Ioannis Chrisostomi locavit operam, hortantibus proculdubio, ac impellentibus Pelagianis, ut auctoritate, si potuissent, praestantissimi illius Ecclesiae Graecae doctoris, suam haeresim propugnassent. Principio, ut opinatur Garnerius, Annianus latinitate donavit Homiliam S. Ioan. Chrysostomi ad Neophytos: ex qua Iulianus deprompsit argumentum ad demonstrandum infantes non esse obstrictos originali peccato, obiectans ea verba, *Hac de causa etiam baptizamus infantes, cum non sint coinquinati peccato*. Quae verba a Pelagiano interprete esse viriata, cum ita se habeant in Graecis, *διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοὺς ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα*, demonstrat Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 6. ubi ait: *Comparans ergo eos Ioannes maioribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos* non habere peccata, *non sicut verba eius ipse posuisti*, non esse coinquinatos peccato, *dum vis utique intelligi*, non eos peccato primi hominis inquinatos. *Verum hoc non tibi tribuerim, sed interpreti: quamquam in aliis codicibus eamdem interpretationem habentibus, non peccato, sed peccatis legatur*. Iam ergo ante annum 418. quo Iulianus adversus Augustinum scripsit primos quatuor libros, opera alicuius Pelagiani in latinam linguam conversa fuerat praedicta ad Neophytos homilia, nec sane alterius, quam Anniani, cum & ha-

beatur ratio temporis, & idem stilus, qui deprehenditur in versione octo Homiliarum Chrysostomi in Matthaeum, & septem de laudibus Pauli Apostoli, quam certum est foeturam esse Anniani huius conspersu Pelagianorum fuligine. Aberravit enim a vero in libro de Script. cap. 70. ut initio diximus, Sigebertus, qui Annianum Chrysostomi interpretem confundit cum Anniano, qui sub rege Alarico edidit Volumen de Legibus Theodosii, cum iste floruerit circa annum 506. quo in Codice Theodosiano navavit operam; Annianus autem ille anno 419. scripserit adversus Hieronymum. Ex ipsa quoque Anniani praefatione ad Homilias in Matthaeum constat Sigeberti alucinatio. Enimvero Annianus Versionem suam nuncupavit Episcopo Horontio: at Horontius fuit Episcopus Pelagianus, & amicus Nestorii, una cum Iuliano, Caelestio, ceterisque Pelagianis & Nestorianis damnatus anno 431. in Concilio Ephesino.

V. *Ostenditur Annianum fuisse Pelagianum.*

V. Iam vero de Anniani Pelagianismo abunde efficimur certiores. Primo Pelagianum prodit Epistola S. Hieronymi ad Alipium & Augustinum. Secundo eius pro Pelagio opera in Synodo Diospolitana. Tertio adulteratio verborum S. Ioannis Chrysostomi in Homilia ad Neophytos. Quarto studium ergo Horontium Pelagianum Episcopum. Iis dilucidiora quoque argumenta occurrunt in iisdem Anniani versionibus: nam in praefatione ad Homilias in Matthaeum, Augustinum, aliosque Gratiae defensores suggillat, clamans ore Pelagianorum commendandum esse decus ingenitae libertatis, hominem ad imaginem Dei conditum non esse peccandi necessitate devinctum, possibilia esse Dei mandata, hominesque totius virtutis esse capaces; aliaque id genus, quibus Pelagiani ad tollendum originale peccatum, & gratiam Christi denegandam, potissimum abutebantur. In praefatione autem ad Homilias de laudibus Apostoli, aperte Augustinum peccati originalis propugnatorem calumniatur, appellatque ignominiae causa Traducianum, quo postea nomine etiam Iulianus Sancto Doctori insultabat, ut observarunt viri clarissimi, quos initio laudavimus, Garnerius, & Norisius: ex quibus plura mutuati sumus, quoniam pertractantes de Anniano, meliora, quam illi scripserint, dicere non possunt, deteriora proferre non debent.

De Pelagianis erroribus, & quomodo fuerint disseminati.

CAPUT XI. I. QUINAM fuerint praecipui Pelagianorum errorum Auctores, dictum est hactenus. De iisdem modo erroribus est agendum, & qua anteac versutia disseminati sint, explorandum. Enumeravimus in Theologicis Disputationibus lib. XIV. cap. 2. duodecim Pelagianorum asserta, quae S. P. Augustinus recenset epist. 106. ad Pau-

Paulinum, subiiciens totidem e diametro oppositos articulos, insertos a Cresconio suae Canonum Collectioni, aliaque octo adiecimus eo loci Pelagii dogmata ex libris Augustini deprompta, quae item haeresiarcha ore pestifero evomuit. Ea nunc ad pauciora capita revocabimus, ut de calliditate, de hypocrisi, de tergiversatione, qua insinuata fuere mentibus simplicium, nonnulla dicere valeamus.

II. Magnopere Pelagiani insudarunt in denegando originali peccato, huius assertores appellando Manichaeos, Traducianos, patres peccati mirabiles, ut constat ex his, quae de Theodoro Mopsuesteno, & de Iuliano, & de Anniano praemisimus; quasi Catholici peccati traducem adstruentes, naturam hominis malam, & Deum iniquum, malorumque auctorem inveherent. De hac prima Pelagianorum assertione plura Augustinus lib. III. de peccat. meritis & remissione, lib. de nat. & grat. lib. I. contra Iulianum, & saepe alibi. Hinc tres aliae, tanquam necessaria consectaria, positiones fluebant, scilicet, neque per Adae praevaricationem mori genus humanum, sed mortem corporis contingere ex conditione naturae, eamque subituros protoparentes, etiamsi non peccassent: neque ignorantiam pronamque libidinem, qua animo excruciamur, esse peccati poenam, aut vitium insitum, sed ingenitas proprietates naturae; neque mortem aeternam, ignisque supplicium manetibus. Agit autem Augustinus de morte corporis lib. I. de peccat. meritis, lib. II. Op. imperf. contra Iulianum: & lib. de Gestis Palaestinis: de Ignorantia & libidine lib. I. adv. Iul. libris duobus de nuptiis, & concupisc. & lib. IV. ad Bonifacium: ac de morte aeterna, suppliciisque parvulorum sine baptismate decedentium, in lib. de Gratia Christi, & de peccato orig. in epistola ad Sixtum; contra duas Epist. Pelag. in 5. contra Iul. & de verbis Ap. Serm. 14. Hinc Pelagiani nullum in humana natura agnoscentes vulnus generatione contractum, aiebant posse illam ita virtutibus exornari, ut careat peccato quolibet, etiam minimo; quae est celebris Pythagorae, Origenis, & Theodori Mopsuesteni ἀναμαρτησία, & impeccantia, adversus quam disputat Augustinus in lib. de nat. & grat. in lib. de perf. Iust. & in 4. contra duas epist. Pelagian. Ad haec naturae vires extollentes negabant necessitatem gratiae ad opera supernaturalia, eamque repugnare autumabant ingenitae hominum libertati, dogmatizantes posse naturae viribus servari praecepta, diligi Deum, tentationibus resisti, & quodlibet pietatis opus patrari: quae Augustinus refellit in libris de natura & gratia, de Gratia Christi, & de Gratia, & lib. arbitrio. Extollebant praeterea virtutes eorum, qui ante legem gratiae vixerunt, necnon Gentilium; qui sine fide Christi plurimas laude dignas operationes exercuerunt, sola, ut aiebant, liberi arbitrii facultate; atque de huiusmodi virtutibus & operibus prolixe Augustinus disputat lib. I. & IV. contra Iulianum. Ne viderentur tamen Pelagiani divinam gratiam denegare, eam oretenus profitebantur; sed *gratiae*

II. *Pelagiana dogmata ad certa quaedam capita revocantur*,

nomine nunc possibilitatem naturae, nunc legem ac doctrinam, nunc etiam internas illuminationes, suadentes tantum, non adiuvantes voluntatem, intellexere: Gratiam item, qua delentur peccata, confessi sunt aliquando, sed non quae adiuvat voluntatem ut non peccet; ac demum, si veram aliquando supernae gratiae admiserunt inspirationem, hanc ad facilius, non ad simpliciter operandam perficiendamque iustitiam, necessariam existimarunt. Exagitat haec, oppugnatque Augustinus in libris, de Gestis Palaestinis, de Gratia & lib. arb. de Gratia Christi contra Pelagium & Caelestium, & in omnibus aliis adversus Pelagianam haeresim editis. Ita Pelagianorum errores ad decem articulos commode revocantur. I. Impugnat originale peccatum. II. Negant, mortem huius peccati merito inflictam esse. III Idem sentiunt de carnis concupiscentia. IV. Censent parvulos absque baptismo denatos, innoxios, & immunes a damnatione. V. Impeccantiam propugnant. VI. Nimium naturae vires extollunt. VII. Infidelium virtutes undique bonas depraedicant. VIII. Gratiam, quae voluntatem adiuvat, reiiciunt. IX. Illam, quae confert peccatorum remissionem, quemadmodum confitenda est, non admittunt X. Quae requiritur, ut absolute opera salutaria operemur, eam ad facilius operandum tantummodo exigunt. Habemus Pelagiana dogmata brevius, quam fieri potuit, exposita.

III. *Pelagianorum hipocrisis, astutia, confidentia, & fallacia.*

III. Sed quibus machinationibus, qua daemonum, hominumque fallacia fieri potuit, ut pestilentissima Pelagianorum haeresis longe, lateque diffusa Occidentalem, atque Orientalem Ecclesiam pervaderet? Contulit in id plurimum hypocrisis, & mendax astutia principis sectae Pelagii, quem diximus monachorum pallio incedentem, solitum alieno ore latrare, negare palam quod clam docuisset, alienam in proponendo errore induere personam, loqui more dubitantis, si cogeretur quid sentiret exprimere, libros suos a se non editos, vel subreptos, prius quam emendarentur, asserere, perplexis & in speciem Catholicis verbis audientes illudere, & consilia quoque Evangelica in praecepta commutando, affirmare, *non debere omnino iurare*, *gloriam vestium & ornamentorum esse Deo contrariam*, *Christianum debere esse illius patientiae*, *ut si quis sua afferre voluerit*, *gratanter amittat*, aliaque, quae in Dialogis contra Pelagianos eleganter enumerat S. Hieronymus. A qua hypocrisi simulataque pietate non abhorruisse istantissimum omnium Pelagianorum Iulianum, testatur in Catalogo illustrium Scriptorum Gennadius, qui cap. 45. ait: *Hic Iulianus eleemosynis, tempore famis & angustiae, indigentibus omnibus suis prorogatis, multos miserationis specie, nobilium praecipue religiosorum, illiciens haeresi suae sociavit*. Accedit astutia maxima, qua difficilioribus quaestionibus ea, quae cuique nota sunt, opponebant. Disserendum ne erat de originalis peccati traduce? Aiebant nullum esse peccatum quod non sit voluntarium, neminem aliena culpa perire, animas creari a Deo, qui iniquus foret, si maculandas terreno corpori in-

insereret, non esse inseminatam peccato libidinem, qua liberi procreantur, & connubiorum exercentur officia. Agendum ne de Gratia Reparatoris? Docebant, divina esse munera naturam qua conditi sumus, Evangelicam legem, Christi & Sanctorum exempla, innumera incitamenta virtuti, sed possibilia esse praecepta, plena nos libertate pollere, posse manus aeque ad ignem, & ad aquam extendere, complenda, quae nostrae sunt facultatis, ut Deus quae sunt munificentiae suae, superaddat; aliaque plura opportuniori loco examinanda, quae videntur rudioribus planiora. Adde confidentiam maximam, & superbissimam animositatem, qua licet ejecti, licet prostrati, licet proscripti, nunquam tamen suam causam deseruerunt, ut novos sibi patronos inquirerent, nunc Ioannem Hierosolymitanum, nunc Theodorum Mopsuestenum, nunc Nestorium Constantinopolitanum adeuntes, nunc fidem suam probare conantes apud Romanos Pontifices Bonifacium, Zosimum, Innocentium & Caelestinum. Postremo Pelagiani, ubicumque illorum fides discuteretur, alias damnantes haereses propriam execranda fallacia occultabant: atque ut verbis utar Orosii cap. 1. Apologetici, ad instar serpentum, *cum tuendi solius capitis causa reliquum concisioni atque iniuriae corpus opponunt, nihil damni arbitrabantur, ea tantum sui parte a periculo libera, quae multimodas venenatasque in se continet linguas, etiamsi membris omnibus amputarentur.* Ita Pelagius in Confessione sua, seu in libello Fidei misso ex Oriente Romam anno 418. damnat praeexistentiam animarum ab Origene assertam, damnat eos qui cum Manichaeis primas nuptias, aut secundas cum Cataphrygibus reprobant, damnat qui cum Manichaeis & Ioviniano asserunt, hominem vel peccatum vitare non posse, vel non posse peccare; sed nihil habet de supernae gratiae necessitate, & de originali peccato. Ita Caelestius in libello Fidei, quam obtulit Zosimo circa ann. 412. anathematizat haereses Photini, Apollinaris, Arii, Manichaei, Ioviniani, at de proscriptis Pelagianorum erroribus silet omnino. Ita se gerit Iulianus in Fidei libello ad Sedem Apostolicam misso circa annum 419. nomine xviii. Episcoporum detractantium subscribere damnationi Pelagii, atque Caelestii. Igitur haec sunt, quibus propagata potissimum est haeresis Pelagianorum, istorum hypocrisis, astutia, confidentia, & fallacia.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE IIS QVI PELAGIANOS REFVTARVNT ET PROSCRIPSERVNT.

CAPVT I. I. ADVERSVS ea, quae superius descripsimus, damnata Pelagianorum asserta pugnarunt Catholicae Ecclesiae Doctores ac Patres sapientissimi; quorum agmen ducit sacro suo nomine, linguarum scientia, librorum copia, stili venustate, eruditionis ornatu, & vitae austeritate clarissimus, Betlehemitici specus incola S. Hieronymus; de quo Prosper tertio capite περὶ ἀχαρίςων,

Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes
Hebraeo simul, & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplar, mundique magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Differuit; noscique dedit quo turbine veram
Vellent exortae lucem obscurare tenebrae.

Exagitavit autem Hieronymus Pelagianos Epistolis, Dialogis, & Commentariis, quemadmodum dicere instituo.

II. *Epistolae Hieronymi, quibus Pelagianos exagitat.* II. Inter Hieronymianas, de quibus pertractatur, Epistolas, principem tenet locum ad Ctesiphontem; nam data ad Marcellinum anno 411. quam priori loco recenset Garnerius, cum agat de origine animarum, earumque sententiam improbet, qui vel elapsas e coelo, ubi praeextiterint, vel defluentes, tanquam excisae particulae, e divina substantia, vel ex abdito loco, ubi latuerint, eductas somniarunt, nil habet adversus Pelagianos, easdem nugas, ut liquet ex praecitatis Pelagii & Caelestii libellis, repudiantes. Illic tantum sententiam de animarum traduce tribuit *maxime parti Occidentalium*, id, quod Augustini de hac re haesitationem non esse temere sentientis opinationem evincit. Prior itaque Hieronymi contra Pelagium epistola est ad Ctesiphontem conscripta, anno 412. si Norisio, 413. si Garnerio, 415. si Pagio subscribimus. Si animadvertamus Pelagium & Caelestium e Sicilia in Africam contendisse anno 411. quo ab Honorio indicta fuit celebris Collatio inter Catholicos, & Donatistas, & Caelestium in Synodo

do Carthaginiensi fuisse damnatum anno 412. Hieronymum autem Ctesiphonti rescripsisse, posteaquam plurimi simulatam haereticorum illorum humilitatem deprehenderant; facile percipiemus commemeratam epistolam ante praedictum annum 412. non esse datam, & falli Baronium, qui eam refert ad praecedentem annum 411. Porro in hac epistola S. Doctor refellit librum Pelagii *de Natura* editum in Sicilia, & a Iacobo & Timasio eiusdem quidem discipulis, sed ingenuis adolescentibus, missum in Africam ad Augustinum; impugnat ἀναμαρτησίαν, cuius assertores fuisse ait, Stoicos, Pythagoreos, Evagrium, Grunnium, Iovinianum: refellit quatuor Pelagianas positiones: *Homo potest esse sine peccato, si velit. Gratia Dei, sine qua id homo non potest, ipsum est liberum arbitrium, & lex Dei. Unusquisque suo regitur arbitrio. Facilia sunt Dei mandata.* Reiicit calumnias Pelagianorum, quod Catholici sentiant cum Manichaeis asserentes malam hominis naturam, & necessitatem inducentes arbitrii; omnesque monet *ne per unum, aut, ut multum, tres homunculos* (haud male Garnerius designari existimat Pelagium, Caelestium, & Annianum) *suscipiant tantarum faeces haereseon.* Sunt & aliae tres Hieronymi epistolae, in quibus agit de Pelagianis, nempe ad Alipium & Augustinum scripta post obitum Eustochii anno 319. & aliae duae ad Augustinum, scriptae paullo post Synodum Diospolitanam celebratam anno 415. sed quoniam hae duae brevissimae sunt, & nihil continent peculiare, de illa vero egimus paullo supra pertractantes de Anniano Diacono Celedensi, his idcirco praetermissis, ad libros Dialogorum progredimur.

III. Tres istos Dialogorum libros contra Pelagium scriptos fuisse praedicto anno 415. ante Diospolitanam Synodum celebratam mense Decembri, non postea, ut inquit Baronius, eruditi Critici, & Historici Norisius & Garnerius, evidenter ostendunt, primum quia Pelagius in libello Fidei edito statim post ipsam Synodum attingit quaestiones, de quibus Hieronymus agit in iisdem Dialogis: deinde quia in his S. Doctor meminit Synodi Carthaginensis sub Aurelio, nullam vero Diospolitanae mentionem facit; tum quia Paulus Orosius, qui ineunte praedicto anno 415. ex Hispania profectus fuerat ad Augustinum fama sapientiae eius permotus, illinc vero in Asiam transmittens adierat Hieronymum, in Synodo Hierosolymitana habita in causa Pelagii eodem anno, 3. Kal. Augusti, de Pelagiano dogmate inquit: *Hoc beatus Hieronymus, & in epistola sua, quam nuper ad Ctesiphontem edidit, condemnavit. Similiter & in libro, quam nunc scribit, collata in modum Dialogi altercatione, confutat.* Quae Orosius ipse ait cap. 3. Apologetici. Die itaque 30. Iulii anno 415. Sanctus Hieronymus edendis Dialogis incumbebat, in quibus Attici. & Critobuli nomina induxit invicem colloquentium. Et *Critobuli* quidem persona non hominem aliquem hoc nomine appellatum significat, sed ipsum

III. *Dialogorum, quos Hieronymus edidit adversus Pelagianos, tempus, personae, caussa, argumentum.*

Pelagium, iam in Caelestio damnatum, & propediem alia subiturum iudicia. Nam Critobuli vocabulum ex κρίνειν, & βουλὴ conflatum est, ut vidit initio Scholiorum in praedictos Dialogos Desiderius Erasmus. Profecto ipse Hieronymus Pelagium expresso quoque nomine notavit, scribens in Proemio: *Iovinianus, cuius, o Pelagi, a te nunc haeresis suscitatur, Romanam fidem me absente turbavit*. Attici autem nomen non ideo a Hieronymo usurpatum est, quod imitari vellet Atticum dicendi genus, ut praedicto in loco opinatur Erasmus; sed potius, ut Catholicam fidem propugnandi honorem tribueret Attico Constantinopolitano Antistiti, qui item Pelagianis adversabatur, & proximo anno accedentem ad se Caelestium e regia urbe procul abire coegit. Dixi de tempore, quo Dialogi conscripti sunt, & de nomine secum invicem altercantium: cur iis Hieronymus navavit operam, ipsemet monet in praef. dicens se ad opus accessisse, *post crebram fratrum expostulationem, cur promissum in Epistola ad Ctesiphontem plenius opus, ultra, quam pollicitus fuerat, differret*. Horum vero Dialogorum scopus est demonstrare divinarum gratiarum necessitatem, impugnare vanam Pelagianorum ἀναμαρτησίαν, & adstruere originale peccatum: de quo lib. III. breviter agit, quod de illo plenissime disseruisset Augustinus, affirmans sibi labori supersedendum, ne in se iactaretur illud Horatii: *In silvam ne ligna feras*. Quod ne item nobis obiiciatur, e silva potius ramusculos discerpendo, veniamus ad Hieronymi Commentaria.

IV. *De Hieronymi in Hieremiam Commentariis.*

IV. Edidit haec Hieronymus post mortem Rufini, qui ineunte anno 411. in Sicilia apud Messanam urbem fatis cessit, eo profectus cum Piniano, & Melania, dum superiori anno Gothorum rex Alaricus Italiam depopulatus, Romam versus cladem allaturus procederet. Tunc etiam Pelagius suam in Pauli Epistolas Expositionem vulgaverat, in urbe conscriptam, ut inquit Marius Mercator in libello supplici ad Theodosium Imp. ante eiusdem urbis devastationem, ideoque ante mensem sextilem anni 410. quo Alaricus Romam vastavit. Eo quoque tempore Pelagius, Caelestius, & Annianus addictissimi Rufino, adversus Hieronymum obloquebantur, quod illum stilo magnopere lacessisset: nec tamen erat adhuc Pelagius notorie damnatus, siquidem in iis Commentariis occulto nomine carpitur. Eleganter enim Pelagianos ipsum dicteriis proscindentes, & quasi venenata germina prodeuntes e busto Rufini vita functi, describit S. Doctor praef. libri VI. Comment. in Hieremiam. *Putabam*, inquit, *quod medio serpente confosso, non reviviscerent hydrae novella plantaria, & iuxta fabulas poetarum, Scylla mortua, nequaquam in me saevirent canes, qui latrare non cessant .... Haeresis ipsa non moritur, haereditariis contra nos odiorum suorum catulis derelictis, qui nostra simulantes, genitricis antiquae, & pellacis Ulyssis venena non deserunt, &c.* Igitur circa annum 414. ac tempore inter Rufini obitum, proditumque Pelagii nomen

men, Hieronymus hisce in Hieremiam Commentariis elucubrandis operam impendebat. In quibus proinde quaeritur, haeresim Pythagoreorum τῆς ἀπαθείας, καὶ τῆς ἀναμαρτησίας in Origene, in Grunnio, in Evagrio, & in Ioviniano iugulatam iterum reviviscere, nec tantum in Occidentis, sed etiam in Orientis partibus sibilare; propterea quod Roma Siciliam, e Sicilia Carthaginem Pelagius sociique processerant; Carthagine autem anno 412 expulsi, Caelestius Ephesum, Pelagius in Palaestinam transierant, pravitatis semina ubique spargentes. Atque haec de scriptis Hieronymi adversus Pelagianos, & singillatim de Epistola ad Ctesiphontem, de Dialogis Critobuli, & Attici, atque de libris Commentariorum in Hieremiam.

De Theophilo Alexandrino, & de Attico, ac Sisinnio, Constantinopolitanis Episcopis.

I. NON solum in Occidentis, quo illam invexit Rufinus, sed & in Orientis partibus, ubi eam olim Origenes, postea Caelestius Pelagii discipulus ex Italia, & ex Africa profugus, fovere conatus est, Pelagianam τῆς ἀπαθείας haeresim *sibilasse*, audivimus superiori praelectione a Hieronymo. Quoniam vero, exortis iam Pelagianis, Origenem proscripsit Theophilus Alexandrinus, in Caelestium autem sententiam protulere Atticus Constantipolitanus Antistes, huiusque successor Sisinnius; operae precium est, ut de trium horum Praesulum adversus novam haeresim conatibus, eorumque pastorali solicitudine, brevis saltem instituatur oratio. CAPUT II.

II. Fortasse, dum Theophilum Alexandrinae Ecclesiae Episcopum commemoravi, subiit animum vestrum, Viri ornatissimi, haud mediocris perturbatio. Memoria enim repetitis, hunc Theophilum an. 403. fultum patrocinio Eudoxiae uxoris Imperatoris Arcadii, Chalcedone in Rufini Basilica 36. Episcoporum coegisse conciliabolum, quo egregius, omniumque Graecorum Patrum nobilissimus Ioannes Chrysostomus, praetextu confictorum quorumdam criminum, e propria Sede deturbatus, cum maximo bonorum omnium moerore, coactus est exulare. Verum Theophili aliunde doctrinam simul ac sanctitatem, plurimum commendant Paulus Emisenus, Cyrillus, & universa Synodus Ephesina, necnon in Epistola ad Leonem Augustum S. Leo Magnus, & in Synodo Romana Gelasius, Rector uterque Apostolicae, & universalis Ecclesiae. Quod si in Chrysostomum contra Ecclesiasticam consuetudinem, & contra definitionem Canonum Nicaenorum, abusus est iurisdictione Patriarchatus Alexandrini; expiavit hoc scelus, tum poenitudine, tum humilitate, qua morti proximus eiusdem Chrysostomi adoravit effigiem, quemadmodum narrat in lib. III de Imaginibus Damascenus. Ceterum quidquid existimandum sit de aliis factis Theophili, certe sum- II. *Pertractatur de Theophilo Episcopo Alexandrino.*

mis laudibus est celebrandus, & quod vix περὶ ἀρχῶν libris cum latina versione in lucem editis a Rufino, indicta Alexandriae Synodo, in Origenis sententiam inquiri iussit, & placita, quae Pelagiani adoptarunt, Ecclesiastica censura proscripsit; ac si id quoque foret exiguum, Theophili ex fratre nepos, & discipulus fuit immortalis ille Cyrillus, qui anno 412. patruo in Alexandrina Sede successit, & anno 431. Nestorianos ac Pelagianos in Synodo Ephesina damnari, prae ceteris omnibus sedulo diligenterque curavir.

III. *Atticus ex Vrbe Constantinopolitana Caelestium eiecit.*

III. Post Theophilum commemorandus venit Constantinopolitanus Episcopus Atticus, ad quem se contulit Caelestius, ubi exeunte anno 416. ob haeresim Pelagianam eiectus est Epheso. Ac forte cum consuetis artibus in hac urbe irrepsisset in presbyterium, Constantinopolim adiit ad Atticum causam dicturus, & ad maiorem Sedem appellans, quoniam erat eo tempore Ephesius inter limites Constantinopolitanae dioeceseos. At quaenam Caelestii fortuna in regia Constantinopolis Vrbe, & sub Attici Episcopatu? Audiatur cap. 1. Commonitorii n. 4. Marius Mercator: *Inde post aliquantos annos* (Caelestius *sub sanctae memoriae Attico Episcopo Vrbem Constantinopolitanam petiit: ubi in similibus detectus, magno studio sancti illius viri, ex praedicta alma Vrbe detrusus est litteris super eius nomine & in Asiam, & Thessalonicam, & Carthaginem ad Episcopos missis, quarum exemplaria habentes proferre sumus parati. Praedictus tamen Caelestius etiam hinc eiectus ad Vrbem Romanam, sub sanctae memoriae Zosimo Episcopo, tota festinatione perrexit.* Commendante his verbis Mercatore magnum studium litterasque encyclicas Attici, putat doctus Garnerius ab eodem Attico indictam fuisse, & celebratam Synodum Constantinopolitanam, in qua discussa fuerit Causa Caelestii, & lata in hunc exilii sententia, a qua ausus sit ad Zosimum provocare, statuitque Garnerius diss. 1. cap. 5. & diss. 2. cap. 8. eiusdem Synodi Epocham in anno 417. nam revera hoc anno Zosimus successit Sancto Innocentio, qui ad superos evolavit IV. Eidus Martias.

IV. *Confirmantur superius dicta Augustini, Caelestini Papae, & Prosperi testimoniis.*

IV. Haec per Atticum gesta aliis praeclarissimorum virorum testimoniis corroborantur, Augustini praesertim, Caelestini Pontificis, ac Prosperi. Etenim S. Pater in tertio libro contra Iulianum ait: *Vbique diffusus Christi exercitus debellavit apud Carthaginem Caelestium, quando illic ipse non eram, & rursus Constantinopoli, tam longe a regionibus Africanis*; quibus in verbis post Synodum Chartaginiensem anni 412. sub Aurelio, designat Constantinopolitanam anni 417. sub Attico. Sanctus autem Pontifex Caelestinus in Epistola ad Nestorium, quae exstat inter Acta Synodi Ephesinae, inquit: *Post impium illud profanumque ac saepenumero condemnatum Pelagii, ac Caelestii dogma, Catholica fides aliquot vitae nostrae diebus pacem obtinuit. Etenim ut primum Oriens & Occidens concordi sententia, veluti telo quodam, illos illorumque sectatores semel percussit, e vestigio sancta*

ctae memoriae Atticus, egregius sane Orthodoxae fidei Doctor, verusque ea in re beati Ioannis successor, ita eos communis omnium Regis causa est insectatus, ut ne consistendi quidem spatium eo in loco reliquum illis faceret. Post illius vero e vita discessum, non vulgaris cura nos tenuit, anxie expectantes, unum ne, eumdemque ille & muneris & Fidei quoque successorem ex aequo sortiretur. Quandoquidem quae pulcra sunt, ea diuturnam moram non facile ferunt. Plerumque enim evenire solet, ut opposita alternis se viribus excipiant. Verum post illius obitum sanctus Sisinnius, qui & ipse quoque paullo post deserturus nos erat, nobis obtigit; vir profecto & vitae sanctimonia, & Fidei simplicitate clarus, eiusque, quam compererat, religionis praeco insignis. Denique Prosper περὶ ἀχαρ. cap. III. post Hieronymum, Pelagianorum insectatorem acerrimum Atticum laudibus istis prosequitur:

Quid loquar & curam, magna quam gessit in Urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus antiqua Legatos haereticorum
Confutando fide? De qua tunc impia corda,
Quamvis se obductae tegerent velamine formae
Iudicii, tacitae tulerint tormenta repulsae.

V. Ex praelaudata S. Caelestini Papae ad Nestorium epistola, etiam Attici, eiusque successoris Sisinnii illustratur Episcopatus. Data quippe est eadem epistola Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. an. 430. III. Idus Augusti cum Nestorius pro Iuliano, Floro, & Orontio, aliisque Pelagianis apud ipsum Caelestinum intercessisset. Dum itaque ait S. Pontifex Atticum Ioannis, Sisinnium vero Attici successorem fuisse, utrumque vero iam vita functum, sederet autem dum haec scriberet in Sede Constantinopolitana Nestorius, illi duo Atticus & Sisinnius inter sanctissimum Antistitem Ioan. Chrysostomum, & iniquissimum Haeresiarcham, tenuerunt Episcopatum. Posteaquam ergo decessit anno 407. Coss. Honorio VII. & Theodosio II. Ioannes, ob aureum eloquentiae stilum Chrysostomus cognominatus, sedem eius legitime indeptus est Atticus, cuius librum de Virginitate ad Reginas, scilicet ad Pulcheriam, Placillam, Arcadiam, & Marinam Theodosii Sorores, ad annum 416. laudat in Chronicis Marcellinus, fideique zelum, quo sequenti ann. 417. pugnavit contra Caelestium, paullo supra descripsimus, seditque Atticus usque ad annum 425. a quo tempore Constantinopolitanam Ecclesiam rexit Sisinnius usque ad annum 428. quo in Sisinnii locum substitutus est memoratus Nestorius. Audivimus autem S. Attici, Sisinnii sanctimoniam ac Fidem a Caelestino plurimum commendari, atque ita maiorum suorum laude reprehendi Nestorium Pelagianorum partibus adhaerentem. Atque ita post Atticum invenimus Sisinnium insectantem Pelagianos, & praedecessoris sui

V. Epocha Episcopatus Attici, & Sisinnii animus Caelestianis adversus.

vesti.

vestigia calcantem. Hoc item spectant quae beatus Caelestinus in laudata Epistola subiicit: *Cur itaque* (Nestorium alloquitur) *in ea inquiris, quae iam olim contra illos acta, decretaque sunt? Ignoras forsan ab Attico, Catholico per id tempus Episcopo, commentarios de illorum condemnatione inde ad nos fuisse transmissos? Cur sanctae memoriae Sisinnius eadem retractari non quaesivit? Ob id nimirum, quia iuste illos a praedecessore suo condemnatos intelligebat.* Haec ut post Hieronymum de Theophilo, de Attico, & de Sisinnio ageremus, nos impulere.

Quae adversus Pelagianos scripsit Augustinus.

CAPUT I. I. HIERONYMI, & Attici, quorum unus Pelagium exagitavit, alter Caelestium Epheso eiectum Synodo Constantinopolitana proscripsit, ubi fidem, sanctimoniam, & vigilantiam in Carmine περὶ ἀχαρ. Prosper Aquitaniensis commendaverat, cap. 4. ad Africanos Paesules se convertens, inquit,

Tu causam fidei fragrantius Africa nostrae
Exequeris, tecumque suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.

In Africa enim & plura adv. Pelagianos Concilia celebrata fuere, & enituit praesertim fulgidissimum Ecclesiae astrum Augustinus, cuius undique effusis radiis dissipata est tenebrosa errorum caligo. Aequum est igitur, ut nos etiam, qui eiusdem Augustini instituta sectamur, & orthodoxam, saluberrimamque doctrinam profitemur, & propugnamus, de iis, quae adversus Pelagianos S. Pater edidit, disseramus.

II. *Enumerantur libri ab Augustino contra Semipelagianos conscripti.*

II. Augustini contra Pelagianos scripta alibi hac ratione, & ordine commemoravimus: „ Pelagianos errores, antequam vulgarentur, praefocaverat S. Pater in libris de libero arbitrio, de duabus animabus, & in quaestionibus ad Simplicianum, necnon in sermonibus quibusdam, quos cum gratiae Dei commendatione habuerat ad populum. Sunt hi in postrema PP. S. Mauri editione 170. 174. 175. 176. Irrumpente autem pestifero dogmate, edidit anno 412. libros tres de peccat. meritis & remissione, in quibus maxime disputat de parvulorum baptismate ad delendum originale peccatum, ac Pelagium non absque laude commemorat, quoniam tunc eius Vita commendabatur a multis. Fuerunt autem hi libri conscripti ad Flavium Marcellinum V. C. qui proximo anno Donatistarum fraude fuit obtruncatus. Eidem Marcellino sub finem anni 412. inscripsit Augustinus librum de Sp. & Lit. in quo ostendit posse hominem divino auxilio fretum multas

tas magnasque exercere virtutes, sed ad iustitiam habendam praeter legem necessariam esse gratiam, quae imbecillem erigit voluntatem, oppugnata impeccantia Pelagianorum. Data est eodem anno epistola 140. ad Honoratum, quam in 2. Retr. &. cap. 36. S. Doctor librum appellat, & in qua novi haeretici exagitantur. Sequenti anno 413. perstrinxit Augustinus sermone, quem habuit in Natali S. Ioannis Praecursoris in celebri Conventu Carthaginiensi. Scripsit anno 414. epistolam ad Hilarium Syracusanum contra Pelagianos in Sicilia commorantes: anno autem 415. librum de perfectione iustitiae ad Eutropium & Paulum adversus definitiones Caelestii. Eodem anno 415. conscripsit epistolas duas, 166. & 167. ad Hieronymum; necnon librum de nat. & gr. adversus illum, quem elapso anno scripserit Pelagius de natura, proditum a Iacobo & Timasio eiusdem Pelagii discipulis, sed ad frugem statim ab Augustino revocatis. Demonstrat eo in Opere S. Pater humanae naturae vitia non ad primam institutionem pertinere, sed ad poenam peccati, detegitque Pelagii cavillationes, eius tamen nomini adhuc parcens. Proximo anno 416. scripsit S. Doctor epistolas ad Ioannem Hierosolymitanum, ad Marium Mercatorem, ad Hilarium Narbonensem, atque ad Innocentium: iisque epistolis narratur damnatio Pelagii facta in Synodis Carthaginensi, & Milevitana. Ineunte anno 417. edidit librum de Gestis Pelagii, in quo pertractat de Synodo Palaestina, de calliditate eiusdem Pelagii, & de chartula defensionis suae, quam ad eumdem Augustinum miserat. Scripsit S. Doctor & ad Iulianam matrem Demetriadis, & ad Dardanum epistolas 188. & 187. an. 418. editi sunt duo libri, unus de Gratia Christi, & alter de peccato originali, pertractantes de adiutorio possibilitatis, & operationis, de peccato Adae, de nuptiis, de libidine, & de effectibus Sacramenti baptismatis. Garnerius scriptas opinatur hoc anno epistolas ad Paulinum, ad Syxtum, & ad Optatum, sed harum prior superiori anno data videtur. Exeunte praedicto anno 418. scriptus est ab Augustino liber primus de Nuptiis & Conc. ad perillustrem Virum Valerium Comitem, in quo de Bono nuptiarum, de concupiscentia, ac pudore, accurate diligenterque pertractat. Sub finem anni proximi 419. edidit S. Pater libros de Anima & de eius origine, quibus refelluntur simul Manichaei, & Pelagiani, in iis quae spectant ad ignorantiam, & ad libidinem, quibus anima coniuncta corpori subiicitur; & quae cum sint vitia primi hominis inseminata peccato, a Manichaeis in naturam malam, principiumque malorum, a Pelagianis autem referuntur ad naturales hominis conditiones. Cum vero pervenissent ad Augustinum obiecta quaedam Iuliani, excerpta e quatuor libris huius haeretici contra praelaudatum de nuptiis, & concupiscentia edidit egregius Doctor an. 420. alterum eiusdem argumenti ac tituli librum, quo Iuliani cavillationes depellit, confirmatque quicquid in primo tradiderat, de peccati originalis traduce, de poenis eiusdem, & de gratia spiritalis regenerationis per

per baptismum collata. Interea scripsit epistolam 217. ad Vitalem, & quatuor libros ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum. Pervenerunt deinde in Augustini manus quatuor libri Iuliani, quorum excerpta, ut diximus, refutaverat an. 420 in secundo de nuptiis & concup. illisque opposuit sex notissimos, doctissimosque adv. eumdem Iulianum, circa finem anni 421. & initia sequentis. His paullo ante mortem, quae contigit 5. Kal. Sept. Coss. Theodosio XIII. & Valentiniano III. A A. idest, anno 430. & decennio post obitum Magni Hieronymi, addidit Augustinus libros alios octo, numeris omnibus absolutos, quorum cum duo desiderentur, praefigitur titulus, Opus imperfectum contra Iulianum. „

III. *Librorum Augustini asseritur auctoritas.*

III. Ex horum enumeratione librorum, quibus addamus oportet quos scripsit ad Monachos Adrumetinos, & adversus errores Massiliensium, constat quam iure meritoque S. Prosper in Praef. adv. Collatorem scripserit: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiae Dei Catholica acies huius Viri, Augustini, ductu pugnat & vincit*. Neque arbitramur nos decipi, & filiali amore excaecari, dum in iis maxime, quae attinent ad Theologicas de Gratia Christi Controversias, inconcussam esse S. Patris doctrinam, & inexpiabile scelus esse, eidem temerario ausu refragari. Apostolicae enim Sedis iudicio, auctoritate Sanctorum, atque ipsa ratione permoti, non Scholarum praeiudiciis arrepti id asserimus. Enimvero S. Innoc. I. Romanus Pontifex testatus est, scripta Augustini adv. Pelagianos *integra ratione consistere*, se vero iis *pari assensione* adhaerere. Caelestinus in litteris datis ad Galliarum Episcopos, ait, *resistendum* esse iis, qui Augustino obloquuntur, utpote quem *nunquam sinistrae suspicionis rumor adspersit*; atque scripsit adv. Semipelagianos illius auctoritatem conantibus elevare. Hormisdas in ep. ad Possessorem inquit: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, idest Catholica sequatur & servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, & maxime ad Prosperum & Hilarium, abunde possit cognosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur*. Ioannes XXII. in Const. 2. edita an. 1326. *Celeberrimus*, ait, *Pontifex Augustinus profligatis haeresibus, harumque radicibus extirpatis, Catholicae fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis ac invictis rationibus solidavit*. Atque ne singula exscribendo infinitus sim, annon Augustinum appellavit *Ecclesiae auctoritatem* Paschalis II. *Ecclesiae quietem* Leo X. *Ecclesiae ducem* Clemens VIII. *Ecclesiae irrefragabile iubar* Innoc. XI, *Ecclesiae fulgidissimum lumen*, Clemens XI. *eiusque dogmata inconcussa ac tutissima* Alexander VII. & Benedictus XIII. An non Augustinum ita alloquitur ep. 25. inter Augustinianas Hieronymus: *Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur, atque suspiciunt!* Annon de Augustino ait Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus Ep. cap. 35. *Augustinus nec tanta perturbatione, & permotione fidelium ab in-*

intentione veracissimae & fidelissimae doctrinae suae frangi potuit, aut revocari? Annon, ut innumeros alios omittam, de Augustino sermonem instituit S. Prosper, dum in Carmine περὶ ἀχαρις. ait,

> *Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto*
> *Insanas pepulere feras, industria maior,*
> *Maius opus, totum praestantius imbuit orbem.*
> *Quaque per ambages anceps iter egit opertas,*
> *Huius ab occursu est praeventus, mille viarum*
> *Insidiis aditum non reperientibus ullum.*

Quare cum S. P. Augustinus in oppugnanda Pelagianorum Haeresi prae omnibus adlaboraverit, eiusque doctrina tam magnificis amplissimisque laudibus a R. E. Pastoribus, a SS. Patribus, ceterisque Scriptoribus celebretur; non abripi nos, aut nimio studio, aut praeoccupatione aliqua existimamus, dum pro eius definitionibus, scitisque vindicandis & propugnandis, tanquam pro aris focisque, accedente Ecclesiae auctoritate, certamus, & ubique cum Patribus V. Oecumenicae Synodi repetere non cessamus: *Sequimur per omnia Sanctum Augustinum, & suscipimus omnia, quae de recta fide, & condemnatione haereticorum exposuit.*

De Sancto Presbytero Orosio, eiusque Apologetico.

CAPUT IV.

I. AUGUSTINI, cuius Scripta adv. Pelagianos superiori Cap. recensuimus, famae celebritate permotum, Sanctum Presbyterum Orosium ex Hispania in Africam, se contulisse an. 414. tradunt omnes Ecclesiasticae Historiae scriptores. Discrepant in eo tantum, an Orosius missus fuerit a Galliae Episcopis Erote & Lazaro, qui proximo anno 415. accusavere apud Antistites Palaestinos Pelagium, an ab Hispanis Eutropio & Paullo, ut ad hunc annum inquit Baronius. Sed eodem Orosio in ep. ad Augustinum asserente se e patria egressum occulta quadam vi, sine voluntate, sine necessitate, sine consensu, & in Africae litora Deo dirigente translatum, Augustino item scribente ad Evodium, ad se Orosium advenisse solo Sanctarum Scripturarum ardore inflammatum; apertum est, neque a Gallis, neque ab Hispanis Episcopis fuisse missum. Quacumque autem impellente causa Orosius ad Augustinum accesserit; quaeritur, quomodo Pelagianorum causae se ipse immiscuerit, cur Apologeticum de arbitrii libertate conscripserit, & an Opus illud sit Orosio revera accensendum; quae discutere necessum est, ut eidem Orosio suus inter Pelagianae haereseos oppugnatores locus statuatur, & vindicetur.

II. *Quomodo Orosius se Pelagianis opposuit.*

II. Dum itaque Orosius cum Augustino versabatur in Africa, de haeresibus, quae tunc apud Hispanos grassabantur, Priscilliani &

Origenis disseruisse, & impense eximium Doctorem rogasse, ut gliscenti malo remedium opportunum afferret, inde constat, quod eo temporis Augustinus, Orosio suasore & hortatore, edidit egregium volumen contra Priscillianistas & Origenistas, cui praemitti solet eiusdem Orosii Commonitorium. Errorum Origenis confutatio Orosium movit, ut a perspicacissimo Augustini ingenio solvendam proponeret de animarum origine quaestionem obscurissimam ac difficillimam: in qua S. Praesulis mens diu multumque haesitavit, ut faciliori via & Origenistarum adstruentium ipsarum animarum praeexistentiam, & Manichaeorum affirmantium naturam malam, & Caelestianorum, quos paullo ante Aurelius Carthaginiensis Synodo coacta damnaverat, negantium peccati traducem, elideret & contereret cavillationes. Quare ne quid in magna animi fluctuatione temere Augustinus definiret, Orosium quamprimum a se discessurum vehementer hortatus est, ut quandoquidem discendi causa peregrinationem susceperat, in Asiam transmittens S. Hieronymum Bethleemi commorantem adiret. Scripsit ea occasione S. Pater ad Hieronymum prolixam de origine animarum epistolam, sententias expendens omnes, & exponens quicquid in singulis offenderet difficultatis. Discedentem vero a se Orosium Augustinus, qui optime illius eruditionem ingeniumque noverat, adhortatus fuit, ut scribendis Historiarum libris adversus Paganos daret operam; quem laborem statim susceptum quadriennio Orosius absolvit, absolutumque Augustino nuncupavit. Hinc Historiarum illarum initium est huiusmodi: *Praeceptis tuis parui, beatissime pater Augustine, atque utinam tam efficaciter, quam libenter;* & in fine quoque libri septimi & ultimi ita eumdem Augustinum alloquitur: *Explicui, adiuvante Christo secundum tuum praeceptum, beatissimae pater Augustine, ab initio mundi usque in praesentem diem, hoc est per annos 5618. punitiones & cupiditates hominum peccatorum, conflictationes saeculi, & iudicia Dei, quam brevissime, & quam simplicissime potui.* Libros istos Orosii Trithemius & Gesnerus lib. I. Bibliothecae, necnon Balaeus de Script. Britannicis cent. 2. cap. 16. appellant *Hormestam Paulii Orosii:* sed cum *Hormestae* vocabulum nec Graecum sit, nec Latinum, arbitratur Vossius lib. I, II. P. cap. 17. scribendum Ὁρμαθὸν, quoniam Ὁρμαθὸς catenam, temporúmque seriem significat. Vt ad Orosium revertamur; ubi is ad Hieronymum venit, et tradidit praecitatas Augustini litteras, huiusque libros de peccatorum meritis & remissione contra Pelagium elucubratos, eumque reddidit certiorem de iis, quae e Sicilia ad Augustinum fuerant relata, & quae Carthagine evenerant sub Aurelio. Invenit etiam Hieronymum de haeresi Pelagiana commonitum a Cresiphonte, & forte exarandis Dialogis dantem operam. Itaque Hieronymi amicis per Palaestinam divulgantibus, fieri non posse ut Catholica essent Pelagii asserta, adversus quae tanti viri, Augustinus & Hieronymus acuissent stilum, & Aurelius Africae

Pri-

Primas Synodum congregasset, contra vero Ioanne Hierosolymitano, qui Pelagium in sui clientelam susceperat, huius fidem Catholicam & Orthodoxam existimante; Orosius accitus est Hierosolymam, ut ex eius cum Pelagio colloquio, aut huius Orthodoxias, aut haeresis detegeretur. Habitus est Hierosolymitanus Conventus die 30. Iulii anno 415. ibique Orosio narrante quid in causa Pelagii, & Caelestii in Africa gestum fuerat, & accusante Pelagium asserentem, posse hominem esse sine peccato, Pelagio autem versute & callide reponente, non dicere se id posse fieri sine Dei adiutorio, & Ioanne Pelagii causam suscipiente tanquam suam; statutum fuit, ut de his consuleretur S. Innocentius Romanus Pontifex, interim vero Pelagius a sententia spargenda, eiusque accusatores ab omni insultatione abstinerent. Sed cum transactis 47. diebus a priori illo Hierosolymitano Conventu, prima die Encaeniorum, quae fuit xiv. Septembris, Orosius ad Hierosolymatanum Episcopum obsequii causa accessisset, repulsam passus est, quasi in Synodo per blasphemiam dixisset, non posse hominem, nequidem cum adiutorio Dei, esse sine peccato. Quare non tam in sui defensionem, quam ad detegendam tergiversationem fraudemque Pelagii, & Catholicam fidem in eo discrimine propugnandam, coactus est Orosius edere librum Apologeticum, pluribus quidem ignoratum, a pluribus etiam inter spuria, & adulterina scripta reiectum.

III. *Varia de Apologetico Orosii scriptorum iudicia.*

III. Dixi hoc Orosii Opus, quod inscribitur, *Apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate*, pluribus ignoratum, a pluribus reiectum esse. Illud enim ignorasse videntur Annalium parens Baronius, qui ipsum alto silentio praeteriit, nec causam cur ederetur narravit; Bellarminus, qui nihil de eo consignat, dum in Catalogo Scriptorum Eccles. loquitur de Orosii libris; Margarinus Bigneus, qui opuscula PP. colligens, in triplici Bibliothecae editione nullam huius Apologetici rationem habuit; & Possevinus in Apparatu ita huius Apologetici meminit, quasi a libro de arbitrii libertate sit segregatus. Abiudicant vero Apologeticum Orosio Iansenius libro 1. de H. P. Petrus Vitellius Carmelita tom II. Vindic. lib. III. sect. 5. & Lezana tom. III. Annal. Carmelit. ad annum 415. aliique nonnulli; quorum opinio sequentibus momentis possit quodammodo suaderi. Primo, inquiunt, auctor Apologetici in historia insigniter peccat, commentus Synodum habitam in Palaestina, in qua Orosius Pelagium accusaverit, habitam 47. diebus ante Encaenia, idest, die 30. Iulii, an. 415. & in qua sedens etiam Pelagius cum Orosio palam disceptaverit. Cum tamen ex Augustino lib. de Gestis Palaestinis cap. 11. scribat Pelagium accusatum fuisse non ab Orosio, sed a duobus Episcopis Galliarum Erote, & Lazaro, in Synodo Diospolitana celebrata circa finem anni 415. & cui neque Orosius, neque praedicti duo accusatores interfuere, sed tantum per litteras adversus Pelagium egerunt. Deinde Auctor Apologetici aperte se prodit haereticum Novatianum,

scribens cap. 10. solum Deum posse esse sine peccato, impossibile esse eum, qui aliquando peccaverit, esse sine peccato absque gratia baptismatis, ubi ex persona Domini dicitur, *Remissa sunt tibi peccata tua*, & rursus, habere nos in potestate peccare, non autem liberari a peccato, & absolvi. Est autem Novatiana haeresis, quae nullam aliam agnoscit in Ecclesia potestatem remittendi peccata, nisi per collationem baptismi, ea vero, quae post baptismum patrantur, talia esse putat, ut nequeant ab Ecclesia remitti. Tertio Auctor Apologetici iniquus est in Ioannem Hierosolymitanum, dum hunc, quem S. Augustinus ut sanctum colit, & magnopere veneratur, traducit tanquam Pelagio addictissimum. Praeterea etiam in Christum peccat, & Nestorianum se prodit, siquidem nullibi Redemptorem nostrum vocat, Filium Dei, Deum verum, Verbumque Incarnatum; ac tandem etiam se Augustinum temere mentitur; inquit enim, *In libris, quos ad Marcellinum scripsi, sicut potui, explicare curavi*; cum ad Marcellinum Augustinus scripserit, non Orosius, idemque Marcellinus occisus sit, priusquam Orosius in Africam appelleret, ut diximus supra.

IV. *Praedictum Opus Apologeticum esse ab Orosio editum demonstratur.*

IV. At Apologeticum, de quo agimus, revera auctorem habere Paullum Orosium, consentiunt modo eruditi omnes, & singillatim illud Orosio vindicant Norisius lib. 1. H. P. cap. 7. Garnerius dissert. 3. cap. 4. & Vossius lib. 1. cap. 17. quorum rationes innituntur veritati historiae, siquidem consonantia Apologistae, de Ioanne Hierosolymitano, de Pelagio, & de ipso Orosio tradit Augustinus libro de Gestis Palaestinis cap. 14. 16. & 30. Adde quod stilus, ut verbis utar Garnerii, auctorem demonstrat, manuscripti Codices Orosii nomen praeferunt, eruditi quoque consentiunt, & ii soli repugnant, quorum interest a tanto viro, tanquam antiquo scriptore, & quod praecipuum est, tam nobili discipulo Hieronymi, atque Augustini, arma non suppeditari, quibus & ipse olim Pelagium vicerit, & ipsi nunc vicissim a Catholicis vincantur. Neque vero alicuius sunt ponderis momenta opposita. Non primum, quia ante Synodum Diospolitam habitum fuisse iudicium sub Ioanne Hierosolymitano testatur etiam praecitatis in locis Augustinus. Non secundum, quoniam eo loci Orosius de peccati originalis, non de actualium remissione pertractat. Non tertium, quia tergiversatione Pelagii, non suamet indole, Ioannem haeretico patrocinatum affirmat. Non quartum, quia non ait cum Nestorio Christum, cum purus est homo, factum Deum ex profectu virtutis. Non ultimum, quoniam in tertia Apologetici parte a cap. 3. usque ad 22. plura appendicis loco addita sunt ex libro Augustini de Natura & Gratia, eo quod Orosius initio Apologetici eiusdem libri meminerit. Hactenus de Orosio.

De

De Synodo Diospolitana.

CAPUT V.

I. EOs, qui *Apologeticum* de arbitrii libertate abiudicarunt Orosio, idcirco a veritate aberrasse, quod Hierosolymitanam Synodum a Diospolitana non distinxerunt, praecedenti Exercitatione animadvertimus. Hinc ad pertractandum de Synodis, in quibus Pelagianorum causa discussa fuit, via nob's sternitur, & aperitur; omissisque tum Hierosolymitana, quam nuper commemoravimus, celebrata tricesimo die mensis Iulii anno 415. tum Carthaginiensi coacta mense Februario anno 412. quoniam & de hac disseruimus Cap. VIII. agentes de Caelestio, ad Diospolitanam accedimus, in qua callidissimus ac versutissimus haeresiarcha Pelagius anathema tergiversatione, mendaciisque, vitavit eiusdem Synodi epocham, acta, exitumque enarrantes.

II. *Synodi Diospolitanae Epocha & convocatio.*

II. Diospoli Palaestinae Vrbe, quam & Liddam appellant Geographi, celebrata est Synodus quatuordecim Episcoporum, iussu Eulogii Caesareensis, eiusdemque provinciae Primatis, die 20. mensis Decembris anno 415. *Honorio X. & Theodosio VI. AA. Consulibus.* Quidam cum Garnerio differr. 2. num. 3. arbitrantur, ut haec Synodus ageretur dedisse operam Ioannem Hierosolymitanum Antistitem, qui veritus ne causa Pelagii, cui adhaerebat, deferretur ad S. Pontificem Innocentium, atque ita haeresiarchae artificia paterent, curaverit aliquot Palaestinae Episcopos, ignaros Latinae linguae, sibique plurimum addictos, mandato Eulogii adunari, quibus & malignus interpres Annianus posset illudere, & Pelagius fidem suam probare simulatione mendacii. At alii cum Norisio lib. 1. H. P. tradunt, Eulogium praedictam Synodum indixisse, opera Erotis & Lazari, quorum unus Arelatensis, alter Aquensis erat Episcopus, & qui e Sedibus eiecti suis, cum in Orientem venissent, & comperta haberent quae cum Pelagio gesta erant in Palaestina, eumdem haereseos apud Eulogium Primatem libello exhibito accusaverunt. Quae sententia verissima est, & cohaerens iis, quae scribit Augustinus lib. de Gestis Palaest. cap. 35. immo ipse Pelagius in Epistola ad Innocentium, in qua Herotem, & Lazarum calumniatores vocat. Consentit Zosimus in Epistola ad Aurelium aliosque Episcopos Africanos scripta dum ad se Caelestius anno 417. confugerat: idemque scribit Photius in Biblioth. Cod. 54. ubi tamen pro Herote habetur Νέπωρος. Facile haec cum praecedenti sententia conciliatur, si dicamus Herote & Lazaro Pelagium accusantibus, Ioannem haeretici deceptum hypocrisi pro illo quidquid poterat, sedulo praestitisse. Dies autem & annus, quibus Diospolitanam Synodum alligavimus, constant ex narratione Luciani presbyteri de inventione reliquiarum Protomartyris Stephani. Ait enim Lucianus bis sibi reve-

revelatum fuisse quo in loco praedictae reliquiae delitescerent, Honorio decies & Theodosio sexies gerentibus Consulatum, idest anno 415. die 3. & die 10. mense Decembris, & rursus die 17. qua adiit Ioannem Hierosolymis commorantem, ab eoque facta sibi requirendi exuvias beati Stephani facultate, ad monumentum petrexit, haud procul ab Eleuteropoli, olim Hebron; inventisque tribus in loculis ossibus Stephani, Gamalielis, & Nicomedis, (quibus Sozomenus lib. ix. Hist. Eccl. cap. ult. addit corpus incorruptum, & flexile, floridumque, ac si vivum foret, Zachariae Prophetae, cum altero regii pueri, Filii Ioae,) Lucianus laetitia exultans renuntiavit Ioanni, qui Liddam profectus fuerat ad Synodum, & qui duobus aliis assumptis Episcopis, Eleutherio, Sebasteno, & Eleutherio altero Iericunthino, venit ad locum, & sacra pignora transtulit in Sanctam Ecclesiam Sion die 25. Decembris. Inter diem itaque 17. & diem 23. mensis decimi Diospolytanae Synodi Epocha figenda est. Convenere, ut diximus, Episcopi XIV. quorum nomina legi possunt apud Augustinum lib. 1. contra Iulianum cap. 5.

III. *Eiusdem Synodi Acta.* III. At quaenam ea in Synodo gesta sunt? Obiecti fuere Pelagio Articuli 31. excerpti ex eius libris Testimoniorum, & ad Viduam, horumque articulorum compendium recenset in libro de Gestis Palaestinis cap. 35. Augustinus. Versantur omnes circa mortem, originale peccatum, & gratiam Salvatoris. In iis enim Pelagius dogmatizabat, Adamum, sive peccaret, sive non peccaret, mortem subiturum; peccatum eius ei tantum, non humano generi attulisse nocumentum; infantes in eo statu nasci, in quo fuissent ante Adami praevaricationem, nullo originis obstrictos esse reatu; adepturos, etsi non baptizentur, aeternam vitam, Gratiam dari secundum merita nostra, atque situm esse in sola hominum potestate seipsos eadem gratia dignos efficere; eamdem gratiam non ad singulos actus dari, & in libero arbitrio constituendam esse, & in lege ac doctrina, & cetera huiusmodi, quorum Syntaxim exhibuimus praelect. xi. Haec quum obiecta essent Pelagio in consessum inducto, partim a se dicta negavit, partim ita interpretatus est, ut viderentur sensum praeseferre Catholicum, his verbis fidem suam coram Patribus declarans: *Quae mea esse confessus sum, haec recta esse affirmo: quae autem dixi non esse mea, secundum iudicium Sanctae Ecclesiae reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti Sanctae Catholicae Ecclesiae doctrinis; ego enim in unius substantiae Trinitatem credo, & omnia secundum doctrinam S. Catholicae Ecclesiae. Si quis vero aliena ab hac sapit, anathema sit.* De hac Pelagii fraude scripsit Augustinus lib. II. de peccat. mer. & remiss. cap. 8. *Fefellit iudicium Palaestinum ipse Pelagius; propterea videtur esse ibi purgatus. Romanam vero Ecclesiam, ubi eum notissimum esse scitis, fallere usquequaque non potuit, quamquam & hoc fuerit utcunque conatus.* Et Innocentius R. P. in Epistola ad Africanos

nos, *Obiecta* (inquit) *partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo, tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsa interpretatione vertendo.*

IV. Quamobrem exitus huius Diospolitanae Synodi fuit, ut Pelagius a Palaestinis illis Episcopis Orthodoxus existimaretur, & condemnationem vitaret. Synodus enim universa illius responsionibus auditis in hanc sententiam conspiravit: *Nunc quoniam satisfactum est nobis, prosequutionibus praesentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria vero Ecclesiae fidei reprobat & anathematizat, communionis Ecclesiasticae eum esse, & Catholicae confitemur.* Atque hinc Pelagius, quasi devictis hostibus triumpham ageret, coepit in Hieronymum, qui in ep. ad Ctesiphontem eius dogmata fuerat insectatus, & forte tunc temporis Critobuli & Attici Dialogos exarabat, amarulento stilo bacchari, Aurelium, Augustinum, aliosque Africanos praesules parvi pendere, ad Innocentium conscribere epistolas, fideique libellos, & accusatores suos tanquam falsidicos & iniquos insimulatores traducere. Quaeret fortasse aliquis, an Episcopi illi Palaestini, quibus Pelagiana hypocrisis fucum fecit, violatae fidei argui possint, & Pelagius in eadem Synodo, quam S. Hieronymus ep. 24. inter Augustinianas *miserabilem* vocat, revera purgatus, absolutus, & immunis ab erroribus sibi oppositis censeri valeat. Id quidem primo apparet adspectu; sed revera, licet Pelagius XIV. Episcoporum iudicium versutia sua, & Anniani Diaconi callida interpretatione elusit, & condemnationem vitavit, attamen neque iidem Episcopi causam Orthodoxae Fidei prodiderunt, neque Pelagius vere absolutus potest existimari. Enimvero cum ipse Pelagius pectore licet ficto, timens Catholicos iudices sententiam propriam damnaverit, iam Palaestini Patres Catholicam doctrinam in ore mentientis, non haeresim in ore vera loquentis probarunt; in hoc fortassis aliquantulum reprehendendi, quod haeretico faciles aures praebuerint, magnopere autem laudandi, quod illum ad condemnandam propriam haeresim, ne damnaretur ipse, impulerunt. Hinc Prosper in carmine de Ingratis cap. 2. inquit: IV. *Diospolitanae Synodi exitus.*

—————— Non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abiungi, & sancto mallet grege dissociari.

Eapropter neque in ea Synodo Pelagius absolutus & purgatus dici meretur, siquidem qui apud incorruptos iudices scelus mentitur, eosque mentiendo fallit, non innocens apparet, sed seductor; neque absolutionem impetrat, quam tentat perfidia subripere. Aiebat proinde in libro de Gestis Pelagii cap. 21. Augustinus, de hac Synodo Dio-

Diospolitana sermonem instituens: *Neque hoc dicens, Iudicum arguo vel negligentiam, vel conniventiam, vel, quod ab eis longe abhorrere certissimum est, impiorum dogmatum conscientiam: Sed eorum iudicio pro merito laudato atque approbato, Pelagius tamen apud eos, quibus amplius certiusque notus est, non mihi videtur esse purgatus.* Haec Augustinus, cuius in iudicando de Episcoporum factis aequitatem, prudentiam, & temperamentum, quantum Dominus dederit, curabimus imitari.

De Africanis Synodis celebratis in Causa Pelagii.

CAPUT VI. I. Diu latere non posse splendidissimam lucem veritatis, & quamprimum circumfusas mendaciorum errorumque tenebras evanescere, aperte dignoscitur ex ipsa, in qua versamur, Causa Pelagii; quem licet Palaestini Episcopi partim ob latinae linguae ignorantiam, partim ob Anniani subdolam insidamque explicationem, partim ob haeresiarchae versutissimam calliditatem, indemnem atque orthodoxum in Diospolitana Synodo pronuntiarunt, alia tamen sanctorum Praesulum Concilia post accuratum examen anathemati subiecere, tum in Africa, opera praesertim Augustini Doctoris Catholicae Ecclesiae fulgidissimi, tum Romae Summorum Pontificum auctoritate: De quibus historica narratione dicturus, ab Africanis initium ducam.

II. *De Synodo Carthaginiensi anni* 416. II. Igitur post primam illam Carthaginiensem Synodum celebratam sub Aurelio anno 412. adv. Caelestium, redeunte ex Asia Paullo Orosio, cum litteris Erotis & Lazari significantibus quae Diospoli gesta erant, idem Aurelius Coss. Theodosio A. VII. & Iunio IV. Palladio, id. anno 416. alteram indixit Synodum: in qua sexaginta & octo Episcopi provinciae proconsularis datis epistolis ad S. Innocentium Pontificem Maximum, eumdem certiorem fecerunt de iis, quae & ante annos quatuor in eadem urbe Carthagine gesta fuerant, & superiori anno contigerant in Palaestina: admonentes a novae haeresis auctoribus sacrilega superbia liberum arbitrium extolli, nullum relinqui locum gratiae, qua Christiani sumus, & qua liberamur a carnalis concupiscentiae damnatione, in eo Dei gratiam deputari, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quae per propriam voluntatem Dei legem possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam: illam vero gratiam, de qua ait Apostolus, *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video legem, &c.* nolle Pelagianos omnino cognoscere. Huic Synodicae respondit Innocentius VI. Kal. Februarias Honorio A. XI. & Constantio II. Cons. proximo nempe anno 417. quo & ipse Innoc. decessit IV. Idus Martias, cum his, aliisque Apostolicis litteris Pelagiana dogmata proscripsisset: ideo-

ideoque commemorata Synodus Carthaginensis habita est in Autumno anni nuper elapsi.

III. *De Synodo Milevitana.*

III. Hanc Synodum Carthaginensem secuta est eodem ferme tempore Milevitana coacta a Silvano Primate Numidiae, Zumensi Episcopo, ad quam intervenere sexaginta & unus Episcopi, inter quos Augustinus, eiusque discipuli Alipius & Possidius. Qui & causam convocandae Synodi in epistola ad Innoc. his verbis explicavere: *Haec duo, quibus omnino totum, quod Christiani sumus, nituntur evertere, quae fidelia corda sustinent, non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam iustitiam sit noster adiutor; & non opitulari parvulis ad consequendam vitam aeternam, Christianae gratiae Sacramentum:* duo nempe praecipua Pelagianorum asserta, non dari supernam gratiam quam precibus imploremus, nec contrahi a parvulis originale peccatum, quod deleatur baptismate. Huic Synodo attribuuntur in Conciliorum collectionibus Canones 27. quorum octo tantum priores damnant haeresim Pelagianam. Sed hos Canones supposititios, aut saltim Milevi non esse editos, censent Baronius ad annum 402. & in Adnot. ad Conc. Binius & Philip. Labbeus, quoniam praenotantur nota Consulatus Arcadii & Honorii, qui praedicto anno 402. ultimum Consulatum gessere, quo utique tempore nondum haeresis Pelagianorum exorta erat. Quamobrem praedicti Milevitani Canones ex variis Africanis Conciliis fuere collecti; & in ea, quam nunc memoravimus, Synodo, Pelagii causa Romano Pontifici commissa fuit; ut etiam evincitur e Synodica Epistola, in qua nulla editorum Canonum habetur mentio. Rescripsit ad Milevitanos Innocentius eadem die VI. Kal Februarii, sive ut legitur in Codice Corbeiensi edito a Sirmondo, *Pridie Kal.* ideoque eodem tempore Carthaginiensis & Milevitanae Synodi litterae ad Sedem Apostolicam pervenere.

IV. *De Synodo Carthaginensi plenaria.*

IV. Accedit post alias quasdam obscuriores Synodus Carthaginensis plenaria, collecta ex omnibus provinciis Africae, & celebrata Kalendis Maii, Honorio XII. & Theodosio VIII. AA. Coss. nempe anno 418. Huic Synodo attribuendos esse Canones, quos paulo supra diximus appellari Milevitanos, evincunt nonnulli litteratissimi Viri ex eo quod in vetusto Codice Gandavensi, in Editionibus Coloniensibus Petri Quentelii, in Codice Canonum Ecclesiae Africanae cap. 108. in Epistola Caelestini ad Episcopos Gall. cap. 10. in Epitome Canonum, quam Hadrianus I. Romae dedit Carolo Magno, aliisque Ecclesiasticis Monumentis, in quibus praelaudati Canones, non Synodo Milevi, sed Carthaginis adscribuntur. Profecto huic Synodo Episcopi CCXIV. interfuere, inter quos Aurelius, Augustinus, Alipius, Possidius, Evodius, aliique doctrina & sanctitate conspicui. Constat horum Episcoporum numerus ex Prospero contra Collatorem cap. 10. ubi ait: *Errarunt igitur ducenti quatuordecim Sacerdotes? qui in Epistola,*

 quam

quam suis Constitutionibus protulerunt, ita Apostolicae Sedis Antistitem B. Zosimum sunt allocuti. &c. Ex quo loco corrigendum est, quod habetur in Chronico eiusdem Prosperi: *Concilio apud Carthaginem habito CCXVII. Episcoporum ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta prolata sunt:* quibus probatis, per totum mundum haeresis Pelagiana damnatur. Hic enim inscius librarius pro XIV. scripsit XVII. deceptus proculdubio a numero Episcoporum Concilii IV. Carthaginensi, ad quod revera Episcopi CCXVII. convenerunt. At etiam in MSS. eiusdem Chronici melioris notae, necnon apud exscriptorem Marianum Scotum, non CCXVII sed CCXIV. invenitur. atque ita Micrologus cap. 5. Africanae Provinciae Concilium, cui Sanctus Augustinus, immo ducenti & quatuordecim Sancti Patres interfuerunt. Si autem dicas, cur in Carmine περὶ ἀχαρ. cap. 4. hi Patres tercenti fuisse dicuntur?

> *Condita sunt, & scripta manent, quae de cataractis.*
> *Aeterni fontis fluxere undante meatu,*
> *Et tercentenis procerum sunt edita linguis?*

Respondet Vossius lib. 1. H. P. cap. 46. omnia liquida esse, si pro *tercentenis* legatur *bis centenis*: ait Baronius, & Claudius Menardus, non de hac plenaria Synodo, sed de praecedenti Milevitana, & Carthaginensi, habitis anno 416. versus Prosperi esse accipiendos, & opinatur Martinus Steyart Carminis commentator, numerum rotundum 300. vel ideo in primis placuisse, quod iampridem in Patribus primae Synodi esset consecratus. Verum prior responsio nullius Codicis auctoritate fulcitur: altera falsa est, quoniam in Synodo Milevitana Patres LXI. & in Carthaginensi eiusdem anni LXVIII. convenerunt, omnes non tercenti, sed 229. Tertia item ingeniosior, quam verior, nam nec 300. tantum fuere Patres Nicaeni, nec congrue idem numerus ceteris Conciliis aptatur. Quare non procul a vero abesse putaverim, praecitato in Carmine numerari utriusque Synodi Carthaginensis Episcopos; siquidem 68. prioris, & 214. posterioris ad numerum 300. quem non credo a poeta arithmeticis calculis supputatum, propius accedunt. In hoc plenario Concilio, Africani PP. Zosimo significarunt, damnatam a se haeresim Pelagianorum rescripta Sedis Apostolicae postulantes; atque ne diutius Episcopi, qui ad Concilium congregati fuerant, Carthagine detinerentur, veriti ne propter maris procellas, ventosque flantes, Pontificis responsa diutius tardarent, elegerunt Patres ex unaquaque provincia Episcopos tres, qui cum Aurelio Carthaginensi quidquid opus esset cognoscerent, ac definirent. Electi sunt autem ex Provinciis Numidiae Alipius, Augustinus, & Restitutus. Ceterorum nomina postremo Synodi Canone describuntur.

V. *Recensentur tres aliae Synodi Carthaginenses.*

V. Tres alias Carthaginienses Synodos in Causa Pelagianorum indictas ab Aurelio, celebratasque adinvenimus. Una quidem eodem anno,

anno 418. mense Augusto: in qua, consederunt quindecim Episcopi, tres ex unaquaque provincia selecti, ut dictum est paullo supra. Hi duas Epistolas Zosimi legerunt, quarum una ad omnes Catholicae Ecclesiae Praesules directa erat; altera singularis ad Africanos, qui item cum debita gratiarum actione rescripserunt Pontifici. Rursus celebrata est Synodus Carthagine, Monaxio & Plinta Coss. idest anno 419. tertio Kalendas Iulias. Ad hanc convenere Episcopi 22. necnon Legati Apostolicae Sedis Faustinus Potentinae civitatis Episcopus, ac Philippus & Asellus presbyteri. Ea in Synodo superiorum decreta firmata sunt, denuntiatumque Imperiale decretum, ut omnes condemnationi Pelagii & Caelestii subscriberent. Iterum coacta est Synodus in eadem urbe Theodosio A. XI. & Valentiniano Caesare Coss. idest, anno 25.? in caussa Leporii monachi; qui in Nestorii & Pelagii deliramenta prolapsus, admonitus a Cassiano, diu errori pertinaciter haesit, atque a Proculo Episcopo Massiliensi communione privatus, profectus in Africam ab Augustino ad meliorem frugem revocatus fuit; edidítque fidei suae confessionem, ab hac Synodo approbatam, subscriptam, totius Synodi nomine, ab Aurelio, Augustino, Florentio, & Secundo, missam denique ad Proculum Massiliensem, ad Cilinium Aquensem, & ad alios Gallicanos Episcopos, ut certi fierent de Leporii resipiscentia, eiusdemque confessionem probarent. At de hac confessione Gennadius, Cassianus, Facundus Hermianensis, aliique apud Garnerium dissert. 2. num. 20. Vossium H. P. lib. 1. cap. 55. Norisium libro item 1. cap. ultimo. Et haec de Synodis Africanis habitis in Caussa Pelagii.

De Romanis Pontificibus, qui Pelagianam haeresim proscripserunt.

I. MERITO Africani Patres, quorum supra Conventus, Synodosque descripsimus, ad Romanam Ecclesiam editos a se Canones, vel probandos, vel rescindendos, miserunt; est enim eadem Ecclesia, supra firmissimam petram, quam nulla daemonum, errorumque possunt machinamenta subvertere, taliter edificata, ut de praelaudatis Africanis Patribus cecinerit Prosper in sua Apostrophe ad Africam cap. 3. περὶ ἀχαρ. CAPUT VII.

Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima coetu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

Revera ab Innocentio primum, deinde a Zosimo, Concilia, quae memoravimus, habuerunt omne robur, ac firmitatem, ut ex iis, quae de utroque Pontifice dicam, poterit unusquisque diiudicare.

II. *De tribus Epistolis S. Innocentii.*

II. Acceptis Carthaginensis, & Milevitani Concilii Synodicis litteris, tres Epistolas S. Innocentius Romanus Pontifex rescripsit, primam ad PP. Carthaginenses, alteram ad Milevitanos, tertiam ad Aurelium, Alypium Augustinum, Evodium, & Possidium. De his ait Vossius lib. I. H. P. cap. 17. *An vero Epistolae istae tanto sint dignae antistite, contendere cum quoquam nolumus. Negabat sane id Magnus Desiderius. Et Caelestiani, quod se eas eludere, suamque in sententiam detorquere posse putarent, subscribere iis velle se dicebant*. Sed qualecumque fuerit Erasini iudicium, forte non indignum decretalibus illis epistolis, prout olim legebantur ita scatentes mendis, ut legentibus vel fastidium, vel sui contemptum crearent; certe nunc adeo habentur expurgatae, & ad fidem vetustissimorum codicum tanta diligentia castigatae, ut nihil prorsus occurrat, quod morosis Criticis valeat stomachum quomodolibet commovere. Caelestius utique, quando post Innocentii obitum Romam venit, ut Zosimum eius successorem deciperet, ut inquit Augustinus in lib. de peccato orig. cap. 7. & lib. II. ad Bonif. cap. 4. beati Innocentii litteris non est ausus obsistere; ac Pontifici interroganti, num damnaret ea, quae in libello Paulini Diaconi ipsi obiiciebantur, respondit: *Damno secundum sententiam beatae memoriae praecessoris tui Innocentii*. Sed quis ignorat Caelestium Carthagine, Ephelo, & Constantinopoli eiectum, Romam ut Zosimo fucum faceret adiisse? quis ignorat noluisse venire, Innocentio superstite, ne ab illo ad canendam palinodiam inflicto anathemate cogeretur? Sane spreta conscientia ait haereticus damnari a se obiecta dogmata secundum Innocentii sententiam. Horum enim unum num. 6. spectans ad originalis peccati traducem, nec in ipsa Confessione Caelestii exhibita Zosimo refutatur. Egregie item gratiam Christi, & regenerationem baptismatis statuit ac praedicat prior epistola, ad Patres Carthaginenses, expresso etiam nomine Pelagio & Caelestio damnatis; quae epistola signatur Honorio XI. & Constantio III. Coss. idest, anno 417. VI. Kal. Februarias: quibus cohaerent aliae duae epistolae datae eadem die, sive ut habent exemplaria aliqua, *Pridie Kalendas*. Has autem epistolas non sine aliorum Episcoporum approbatione conscriptas censent viri eruditi, quod in more positum esset decretales in Concilia statuere, ut demonstrant Siricii, Anastasii, Sixti, Felicis, aliorumque Pontificum litterae; imo in coetu Episcoporum, qui Romae aderant, aut possent ex proximioribus urbibus convenire, legati exterorum Episcoporum exciperentur.

III. *Quae opponuntur adversus epistolas Zosimi.*

III. Eadem ratione conscriptas arbitror Epistolas Zosimi ad Aurelium, & ad universos Episcopos per Africam constitutos, datas Honorio Aug. XI. & Flavio Constantio II. Coss. XI. Kal. Octobris, erutas ex Vaticanis monumentis a Card. Baronio, & relatas ad ann. 417. num. 19. in quibus Caelestium & Pelagium excusat; & posteriores alias, quibus eos damnat, quae etsi perierint, scriptas tamen constat ex Augusti-

gustino lib. II. ad Bonifacium cap. 3. Ac priores quidem ab ipsis Pelagianis suppositas ad creandam invidiam Romano Pontifici, & Africanis Episcopis, quidam censent cum doctissimo viro M. Antonio Cappello in libro de Appel. Eccl. Africanae: alii etiam, ut inconsiderate scriptas vellicant apud Vossium lib. I. H. P. cap. 28. Et eorum, qui adulterinas, spuriasque putant praelaudatas Epistolas, haec sunt argumenta. Primo, inquiunt, si hisce litteris fidem adhibeamus, magnae animorum dissensiones Zosimum inter & Africanos Episcopos extitisse dicendum est; siquidem in iis Caelestius & Pelagius, quos Africani damnarunt, Catholici declarantur. Deinde Pelagius non potuit fallere Ecclesiam Romanam, ut scribit Augustinus de Peccat. orig. cap. 8. Fefellisset autem, si post iudicia Africana a Zosimo fidei suae commendationem retulisset, quae in iisdem litteris continetur. Rursus in iis accusatores Pelagii, Eros & Lazarus, quos Prosper in Chronico Sanctos vocat, his verbis Pseudozosimus traducit: *Video hunc Pelagium, Erote & Lazaro scribentibus, infamari. Itane, fratres dilectissimi ad aures vestras, qui sint isti turbines Ecclesiae, vel procellae, nec opinione pervenit? Ita ne vos latuit vita horum, atque damnatio?* Et post pauca: *Ecce Pelagius, Caelestiusque Apostolicae Sedi in litteris suis, & confessionibus suis praesto sunt. Vbi Eros? Vbi Lazarus? Erubescenda factis & damnationibus nomina!* & rursus. *Grave fuit Lazaro, & Eroti litterarum suarum pedissequos esse. At nesciebant dilectionem vestram ad Sedem Apostolicam relaturam? Hac certo calumniae compendio navigassent. Vbi de Episcopatu abdicando agitur, maria terrasque lustrant, nec ulla suffragia praetermittunt. Vbi vero innocentium fama percellitur, otiosi & dilicati, sive accusatores, sive testes (in utroque enim fallentibus nomen inane est) in cubilibus & lectulis suis litteris abutuntur, & totam Africam, universumque tranquillum Catholicae serenitatis inhibilant ad libidines suas duae pestes.* En aperte in his litteris, quae Apostolicae falso dicuntur, iniquissimi accusatores, conflatoresque calumniae, Gallicani Episcopi Eros & Lazarus appellantur; contra Caelestius & Pelagius declarantur innocentes & Orthodoxi. Praeterea Paulinus Diaconus in suo libello gratias agit Zosimo, quod Apostolica auctoritate damnasset Caelestium, recusantem damnare errores, quos ille ut accusator obiecerat. Quae sane non cohaerent cum Epistolis Zosimo adscriptis. Has itaque felle potius, quam atramento Pelagiani ipsi ediderunt, ut suo in accusatores Erotem & Lazarum, & in Africanos Patres, qui eos damnaverant, odio indulgerent. Haec ii, qui litteras supposititias esse contendunt. Qui vero ex iis in Zosimum dicteria effundere non verentur, aiunt in illis Epistolis non fuisse Zosimum ab ingenio, moribusque suis alienum, utpote qui etiam Apiarium, quo nihil fuit sceleratius, excommunicatum ab Vrbano Episcopo Sicensi, communioni reddidit, ignaris & inconsultis Episcopis Afri-

Africanis, & Faustinum Potentinum Episcopum, ac Philippum & Asellum presbyteros misit in Africam, ut Apiarii causam defenderent, & Vrbanum, nisi rescinderet ea, quae gesserat adversus eumdem Apiarium, communione, ac Sede exturbarent.

V.
Resolvitur quaestio de Epistolis Zosimi.

V. Verum utriusque partis scriptores hisce cavillationibus ludum ludunt. Primo enim Zosimum circa personas Pelagii, & Caelestii, non circa dogma aberrando, benignius erga ipsos datis ad Africanos litteris se gessisse, apertissimis & omni exceptione maioribus testimoniis convincitur. Id enim testatur in lib. II. ad Bonifacium cap 3. Augustinus, ubi testatur haec ingenia, Pelagii nempe, & Caelestii, aliquanto lenius, quam postularet severior Ecclesiae disciplina, fuisse tractata: Sed pluribus inter Apostolicam Sedem currentibus, & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, patefactam tandem, damnatamque haeresim execrandam. Testatur Marius Mercator, qui in Commonit. cap. I. num. 5 ait Caelestium a Zosimo epistolam quamdam benignitatis plenam ad Afros Episcopos meruisse, qua postea abusus est ad multorum ignorantium deceptionem. Testatur Facundus Hermianensis eadem scribens in defensione trium Capitulorum lib. VII. cap. 3. Quid autem admiratione dignum videtur, si R. P. Zosimus singulari humanitate praeditus, praesente Caelestio, qui se Catholicum simulabat, acceptis Pelagii libellis eadem simulatione conscriptis, de utriusque fide testimonium ferentibus octodecim Episcopis Siculis Epistola eorum nomine scripta a Iuliana Eclanensi accusantibus novam haeresim duobus adolescentibus Timasio, & Iacobo, ac duobus Episcopis revera eiectis pulsisque Erote & Lazaro, quid, inquam, mirum si Zosimus de Caelestii, & Pelagii personis benigne & humaniter iudicavit. At exstat ne in praecitatis epistolis vestigium aliquod, vel minimum, quo dignoscatur probasse Zosimum Pelagianorum vel de impeccantia, vel de gratia Christi, vel de morte Adae, vel de parvulorum aeterna sine baptismo vita sententiam? Immò Zosimus rescriptis Africanorum de rebus gestis plenius instructus, Caelestium renuentem damnare, quae Concilia Africana, & Innocentius damnaverat, eumdem proscripsit, & anathematizavit: Vide Augustinus lib. II. de peccato originali cap. 7. loquens de Pelagii & Caelestii damnatione peracta a Zosimo, inquit: *Sed posteaquam ex Africano Episcoporum Concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, ut iustissime in eum sententia proferretur, cuncta legite quia cuncta transmisimus.* Quaecumque igitur adversus Zosimum fuere producta, nil demonstrant aliud, quam in eodem Pontifice lenius cum Pelagianis agente fuisse correctionis clementissimam suasionem, non approbationem exitiosissimae pravitatis, eumque si aliquando in diiudicandis aut Caelestii, aut Apiarii, aut Erotis & Lazari personis inculpate deceptus fuit, nunquam tamen concreditam sibi violasse fidem, neque in Pelagiana dogmata consensisse.

Agi-

Agitur de Honorii adversus Pelagianos Edicto.

I. ZOSIMO Apostolicae Ecclesiae Pastori Bonificium, Bonifacio Caelestinum successisse, Romanorum Episcoporum Catalogi, & singuli docent Ecclesiasticae Historiae Scriptores. Vtrumque autem Bonifacium & Caelestinum animos ad profligandum Pelagianam haeresim intendisse, certissima monumenta suadent: nam de Bonifacio ait Prosper adv. Collatorem: *Sanctae memoriae Bonifacius, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum beati Augustini responsa poscebat*. Caelestinus vero una cum Nestorianis in Romana Synodo anno 430. & in Ephesina totius Orbis an. 431. Pelagianos proscribi, & damnari curavit. Sed cum eius opera potissimum in coercendis Semipelagianis enituerit; tum illius, cum eorum, qui subsecuti sunt, Apostolicas definitiones, quando ad Semipelagianos perventum erit, preferre, & explicare studebimus. Interim ad Romani Imperii Augustissimos Rectores, ac primo ad Honorium, dissertatio nostra progreditur; ut cuique perspicuum sit, non solum Ecclesiasticis definitionibus, sed etiam Imperialibus legibus Pelagianam haeresim fuisse proscriptam. CAPVT IX.

II. Occurrit itaque Honorii imperatoris *Edictum*, cuius caussis inquiram, tenorem proferam, consectaria narrabo. Meminerat illius Imperialis Constitutionis S. Possidius in Vita Augustini cap. 18. cumque desideraretur, temporumque iniuria tenebrosa oblivione lateret, advenit illam inter vetustos Codices Monasterii Atrebatensis Henricus Gravius Professor Lovaniensis, a quo acceptam inseruit Annalibus Caesar Cardinalis Baronius. Edidit deinde aliquantulum emendatiorem Claudius Salmasius e Bibliotheca Thuana in Eucharistico pag. 288. tum Vsserius libro de Primordiis Britannicarum Eccl. cap. 5. deinde Labbeus tom. II. Concil. & Baluzius in Appendice ad Salvianum, Norisius item in H. P. lib. 1. cap. 13. Garnerius dissert. 3. num. 1. Praefert Imperialis Constitutio hunc titulum, *Impp. Honorius, & Theodosius AA. Palladio P. P.* & subscriptionem istam: *Datum pridie Kal. Maias Ravennae, DD. Honorio XII. & Theodosio VIII. AA. Coss.* Ex his locus, ac tempus lati Decreti perspicue innotescunt: locus quidem vetustissima civitas, & Imperatorum, Regum, atque Exarcharum Sedes Ravenna; tempus vero annus, in quem designatus incidit Consulatus, 418. At cuius ope, & precibus permoti Decretum illud ediderunt Augusti? Num operam navante Alipio Episcopo Tagastensi, quem hac de causa ad Augustos a Patribus Carthaginensibus fuisse legatum scribunt ad praecit. annum Baronius, & Nostrates in Vita Augustini de legationibus Alipii pertractantes. Num ad Honorium scribentibus post Synodum Carthaginensem Patribus Africanis, dum Zosimus II. *Edicti Imp. Honorii tempus, causa, aliaque adiuncta.*

mus damnationi Pelagii, & Caelestii obsistebat, ut existimant Vsserius ac Salmasius paullo supra citati? An Zosimo Pontifice cum Honorio agente, ut post Synodales, suasque definitiones Pelagius & Caelestius Romano expellerentur imperio, ut scribit praelaudato cap. 13. Norisius? Videtur prior sententia omnino improbabilis: nam Synodus plenaria Carthaginensis, cui Alipius interfuit, & subscripsit, celebrata est Kalendis Maii anno 418. Non potuit ergo Alipius eodem anno, ac praecedenti die, Ravennae ab Honorio Constitutionem, de qua loquimur, impetrare. Sententia altera non melioris est notae; siquidem testatur Possidius Episcopus Calamensis in Vita Augustini cap. 18. primum a Zosimo, quam ab Honorio Pelagianos fuisse damnatos, piissimumque Imperatorem sequutum fuisse a Catholica Ecclesia prolatum iudicium; ideoque non est editum Imperiale Decretum Zosimo repugnante, & Pelagianis favente. Tertia quoque sententia difficultate non caret; si enim Zosimus ante plenarium Africanum Concilium pro Caelestio & Pelagio scripsit ad Aurelium, ceterosque Episcopos Afros, quomodo agebat apud Honorium, ut imperiali lege cohiberentur, & eiicerentur? Oportet ergo affirmare, aut Concilium illud plenarium indictum fuisse ineunte Vere, & protractum usque ad Kalendas Maias, & interea temporis Zosimum cognita Pelagianorum de cute & intus perfidia, in eos sententiam dixisse, ac pariter Honorium Constitutionem suam promulgasse, quae est opinio Baronii; aut bis Synodum convenisse, primum circa Kalendas Februarias, ut Zosimo Pelagianas technas detegerent, deinde, post acceptas litteras Zosimi iam Pelagianos damnantis, Kalendis Maiis, quae est sententia Norisii. Sane cum e Chronico Prosperi ad Consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. annum scilicet 418. habeamus hoc anno habitum Concilium apud Carthaginem Episcoporum CCXIV. praelata Synodalia Decreta ad Pontificem Zosimum, iisque probatis per totum mundum (Imperatoriis quoque Decretis) damnatam haeresim Pelagianam; necessum est eorumdem Episcoporum conventum aliquem & sessionem assignare ante Pridie Kalendas Maias, quo die & anno latam legem Honorii praemissa subscriptio & nota Kalendarum & Coss. perspicue demonstrat. Cohaeret Consulibus etiam praefectura Palladii, ad quem directum fuit Imperiale Decretum; ex Codice enim Theodosiano lib. xi. lege 12. de Indulgentiis debitorum, constat Palladium anno 418. fuisse Praetorio Italiae Praefectum: unde corrigendus Iacobus Gothofredus, qui in Prosopographia Tomi vi. Codicis Theodosiani ponit eodem anno praefectum Praetorio Occidentis, non Palladium, sed Liberium. At plura de Constitutionis Honorii loco, tempore, & caussis: tenorem illius nunc exponam.

III. *Tenor Constitutionis Honorii contra Pelagianos.*

III. Initio Pelagiana haeresis nativis coloribus pingitur, tanquam instructa dolosae artis ingenio, fallacis scientiae obumbrata mendaciis, commendata novi acuminis vento, & furioso debacchata luctamine. Tum asseritur impiae illius commentationis Pelagium Caelestiumque au-

auctores extitisse. Affirmatur deinde in quo eadem haeresim potissimum sita est, trucem inclementiam Deo impingere, dum ait condidisse hominem obnoxium morti, non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed exegisse legem immutabilis constituti; primitivi hominis errorem ad posteros non fuisse delapsum; alia quoque plurima, quae maturo remedio, & festina celeritate oportet intercipi, ne corroborato usu nequitiae, vix valeant coerceri. Addit ad aures suas pervenisse intra sacratissimam urbem, aliaque loca, ita pestiferum virus quorumdam inolevisse pectoribus, ut interrupto tramite rectae credulitatis, studiisque in partes discissis, materia impacatae dissensionis inducta sit, novoque scandali fomite concitato, nutet Ecclesiae intentata tranquillitas. Hinc Palladio latam a se Constitutionem his verbis significat: *Ob quam rem illustris auctoritas tua victura in omne aevum lege nos statuisse cognoscat, ut pulsis ex urbe primitus capitibus dogmatis execrandi, Caelestio atque Pelagio, si qui huius de cetero sacrilegii sectatores quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursus proferre sermonem, a quocumque correpti ad competentem iudicem pertrahantur. Quisque, sive clericus, sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine praescriptione aliqua perurgendi, quos relicta communi sententiae luce, novae disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apostolicam scilicet disciplinam, Evangelicamque, claram, & sine errore sententiam vafra rudis sectae calliditate pugnantes, involventesque splendentem fidem veri, ambagibus differendo. Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam infando scelere conferentes, a quibuscumque iubemus corripi, deductosque ad audientiam publicam ab omnibus accusari, ita ut probationem convicti criminis stilus publicus insequatur, ipsi inexorati exilii deportatione damnatis.* Iubet denique Imperator per omnem pene mundum, & quaqua Imperium extenditur, hanc, qua Pelagiani perpetuo exilio mulctantur, legem promulgari ac diffundi, ne impune quisque audeat, quod condemnatum vigore publico sese finxerit ignorare.

IV. Honorii Constitutionem sequitur Edictum Praefectorum Praetorio, cui titulus, *Iunius Quartus Palladius, Monaxius & Agricola iterum Praefecti Praetorio edixerunt.* Existimabat Salmasius edictum Praefectorum praeponendum esse legi Principum, & Iunium quartum, esse a Palladio diversum; sed in utroque Salmasium peccare Sirmondus, Norisius, & Garnerius apertissime demonstrarunt. Est itaque edictum illud quaedam Imperialis legis indictio, facta a Iunio Quarto Palladio praefecto Praetorio Italiae, & Illyrici, a Monaxio praefecto Orientis, & ab Agricola praefecto Galliarum. Compendio in hoc edicto continentur, quae fusiori stilo habentur in Augustorum Principum Constitutione. Hanc postea Aurelius Episcopus Carthaginensis misit ad omnes Episcopos Byzacenae, & Arzugitanae provinciae, litteris, qui- IV. *Quae praedictam Honorii Constitutionem consecuta sunt.*

bus significatur, damnationem Caelestii & Pelagii, eorumque dogmatis, peractam in Concilio plenario eorumdem Episcoporum consensu, firmatam esse *gloriosissimorum Principum Christianorum fidem rectam & Catholicam custodientium auctoritate*. Datae sunt litterae Aurelii Carthagine Kal. Augusti, Monaxio & Plinta Coss. idest, anno 419. Ad eumdem quippe Aurelium scripserant eodem anno V. Idus Iunias Honorius & Theodosius praecedentis legis, cui etiam indicta transgressoribus poena robur addiderant, significantes innovationem. Meminit geminati huius Imperialis Decreti etiam Photius cap. 53. Biblioth. Ἔγραψε δὲ καὶ Θεοδόσιος, καὶ Ὁνώριος, οἱ βασιλεῖς πρὸς Αὐρήλιον ἐπίσκοπον κατὰ τῶν αὐτῶν πελαγιανιστῶν. Sed quid tum ipsi Pelagianistae exules, extorres, eiecti? Eorum quidam sibi leges Augustorum adstipulari iactabant, alii cum id effutire non auderent, principum increpabant ignorantiam, nimiamque severitatem. Sed primos ita refellebat Augustinus lib. III. adv. Iulianum cap. I. *Fidei legem, non sicut se se habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum, si & de lege Imperatoris hoc facitis?* De aliis ita S. Pater eodem in loco Iulianum alloquitur: *Ne argumento miserrimo utamini, quo universi utuntur haeretici, quos a perniciosa licentia leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippe dicunt, quod ipse dixisti, laborare illam partem rationis inopia, quae in disserendo, cum terrorem subrogat, nullum a prudentibus impetrat, sed caecum a meticulosis extorquet assensum.*

Constantii adv. Pelagianos Edictum exponitur.

CAPUT X. I. HONORII Constitutionem contra Pelagianae haeresis sectatores Praefectis gnaviter exequentibus, sive Placidiae sororis Honorii in utramque flexibilis partem conniventia, sive Ethnicorum Iudicum in rebus Christianorum curandis torpedine ac negligentia; atque Caelestio adhuc Romae, vel in proximis oppidis latitante, ceterisque Pelagianis ob S. Hieronymi obitum novo sese ausu erigentibus; instante, ut creditur, Bonifacio Zosimi successore, Constantius ab Honorio ad Placidiae nuptias, & ad imperii consortium evectus ad Volusianum P. V. de haereticis omnino expellendis Imperialem conscripsit Edictum. De quo in praesentia dicturus, primum in eius exponendo titulo, deinde in lege proferenda, postremo in consequentibus enarrandis, aliquantulum impendam temporis.

II. *Edicti exponitur titulus.* II. Huic Imperatoris Constantii rescripto, quod ab Henrico Gravio acceptum Baronius inseruit Eccl. Annalibus, & Salmasius emendatum ex Thuano Codice exhibuit p. 2. de Ecclesiis Suburbicariis, Baluzius in Appendice ad Salvianum titulum istum apposuit, *Epistola Constantii Imperatoris, patris Valentiniani Iunioris, de exiliando*

do *Caelestio haeretico Pelagiano.* Melius scripsit Salmasius, *Valentiani Augusti.* Optime Garnerius *Valentiniani III.* nam e tribus Valentinianis primus Senior, secundus Iunior, postremus parvus ac *tertius* est appellatus. Eumdem Constantium Photius Cod. 53. Constantinum appellat dicens: Ἔγραψε δὲ μετὰ ταῦτα καὶ ὁ Κωνσταντῖνος ὁ Πλακιδίας ἀνὴρ, Οὐαλεντινιανοῦ δὲ τοῦ μικροῦ πατὴρ, περὶ τοῦ ἐξορισθῆναι Κελέστιον τὸν αἱρετικόν. In postrema item Garnerii editione Antuerpiensi habetur. *Imperator Constantinus Volusiano P. V.* Vtrobique mendose; nam omnino legendum est, *Imperator Constantius.* Huius Imperatoris habentur rescripta plura in Cod. Theodosiano data Ravennae Coss. Eustathio & Agricolâ, scilicet, an. 421. cum Inscriptione trium Imperatorum, *Honorius, Theodosius, & Constantius AAA.* sunt haec rescripta *l. unica de Repudiis*, data VI. Idus Martii *l. de petitionibus & ultro datis* VIII. Idus Iulias *l. si certum petatur de Chirographis* v. Kal. Augusti. Cum ergo Constantius sex tantum menses tenuerit imperium, quippe illud indeptus est VI. Idus Februarias, extinctus est autem IV. Nonas Sept. consequitur apertissime, Edictum illud contra Caelestium datum esse inter Februarium ac Septembrem anni 421. non autem anno praecedenti 420. quemadmodum Baronius, alique existimarunt; ut aperte demonstrant Norisius lib. 1. H. P. cap. 20. & Garnerius dissert. 3. de Constitut. Impp. editis in Causa Pelagianorum. Sed cur, obsecro, in hoc edicto Constantii nomen Honorii & Theodosii non legitur, sicut in rescriptis nuper laudatis Codicis Theodosiani? De Theodosio ea videtur esse ratio apertissima, quod egre ferens Constantium ab Honorio adscitum esse in consortium Imperii; noluit novi Imperatoris effigies recipere, eiusque inaugurationi acquiescere. Testantur id Olympiodorus, & Philostorgius apud Photium Cod. 80. Quare Theodosius in Rescripto dato Constantinopoli ad Philippum P. P. Illyrici pridie Idus Iulias, lib. XVI. tit. 2. l. 45. de *Episcopis*, Honorii, sed non Constantii, quem loco Imperatoris nolebat habere, nomen apposuit; ac frustra idcirco locus iste emendatus est additione Constantii a viro aliequi doctissimo ac sollertissimo Iacobo Gothofredo. Eamobrem Constantius quoque Theodosii nomen, & ne magis hunc irritaret, etiam Honorii, praetermisit in suo Edicto ad Volusianum P. V. Est Volusianus iste, qui licet Ethnicae superstitioni foret addictus, tanto nihilominus studio S. P. Augustinum prosequebatur, tanto afficiebat honore, ut de illo scribere non dubitaret: *Cum ad Antistitem Augustinum venitur, legi Dei deest, quidquid Augustinum contigerit ignorare.* Sed legite eiusdem Volusiani ad Augustinum Epistolam, accedentibus nobis ad Constantii preferendum Edictum.

III. Concipitur illud his verbis: *Quae, cum praeteritae superstitionis, tum recentis plena vanitatis iamdudum corrigi iussera-mus, quotidianis insinuationibus maiora fieri nuntiantur: & quoniam discordia animos commovet populorum, ea, quae iamdudum iussa erant,*

III. *Recitatur Constantii Imperatoris Edictum.*

rant, praecipimus iterari. Vnde his lectis, Eximietas tua omnes, qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim e muris urbis expelli, ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Caelestium quoque magis ac magis ex Vrbe pelli mandamus: constat enim, iisdem e medio sublatis gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sane deinceps, si tale quippiam fuerit nuntiatum, officium praestantiae tuae capitali sententiae subdendam esse cognosce: non enim patimur impunitum esse, praecepta nostra executionis negligentia protelari. Vale, Parens carissime, atque amantissime. Et subscriptione adiecta, *Impleatur quod iussimus, quia hoc famae tuae expedit*. Plura ex iis intelligimus: Primum, Caelestium, ut alibi diximus, vel Roma post Constitutionem Honorii non recessisse, vel occulte ad illam fuisse reversum, vel in suburbiis proximisque vicis profugum latitasse. Deinde Constantium non exilium tantummodo, & expulsionem ab urbe indixisse, verum etiam ad centum milliaria Roma procul haereticos ablegasse. Adiectam insuper poenam capitis iis, qui spreta sacra Constantii lege ad Vrbem ausi fuissent accedere. Demum ne Volusianus negligenter exequeretur quae ad veram religionem spectabant, Constantius inter subscribendum addidit propria manu, expedire famae suae iussa Augusti executioni mandare, ne diceretur ob neglectam Christianam fidem, etiam mandata Principum parvipendere.

IV. *Quae post edictum Constantii evenerunt.*

IV. Opportune quidem ac sancte Edictum istud emanavit. Nam statim Volusianus Imperatoris legem hoc promulgato decreto indixit: *Hactenus Caelestium divinae fidei, & quietis publicae turbatorem, iudiciis amica reis secreta subduxerunt. Iam leges, & iam edicta persequentur absentem: cui, quod primum est, aeternae Vrbis negatur habitatio, ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium, pro merito temeritatis & ausus sui.* Hinc fuga elapsus, & in Orientem profectus in ea discrimina incidit, quae Cap. VIII enarravi. Ceteri quoque Pelagiani huc & illuc abiecti despectique vagari coacti sunt. Deinde cum Theodosio Augusto, & Valentiniano Caesare Coss. idest, anno 425. Ioanne tyranno occupato per vim Imperio adversus Theodosium exercitus conscribente, rursus Pelagiani turbas ciere tentassent, & nonnullos quoque Episcopos Galliarum suas in partes traxissent, eorum audaciam coerceri, & per Patroclum Arelatensem praedictos Episcopos conveniri, & emendari curarunt commemorati Principes Valentinianus & Theodosius rescripto iisdem Coss. emanato Aquileiae VII. Idus Iulias ad Amacium P. P. Galliarum, ut constat ex Codice Theodosiano lib. XVI. *de Episc. & Cler.* lege 47. Quae cum legisset doctissimus Gothofredus, mirum est in paratitlo *de haereticis* affirmasse nullam per Galliam haeresim in sex amplissimis Theodosiani Codicis voluminibus commemorari, nec ulla hoc aevo monstra Galliam peperisse; quod a veritate alienum esse, com-

mon,

monſtrant, praeter ea, quae alibi diximus de Leporio, haec verba praelaudati Reſcripti: *Diverſos vero Epiſcopos nefarium Pelagiani, & Caeleſtiani dogmatis errorem ſequentes, per Patroclum ſacroſanctae legis antiſtitem praecipimus conveniri*: Patroclus enim Arelatenſis Antiſtes in locum Erotis anno 412. ſubſtitutus, & anno 426. a Tribuno barbaro occiſus, nequaquam electus fuiſſet iudex exterorum Epiſcoporum, qui proximas Galliarum Eccleſias non gubernaſſent. His autem legibus promulgatis, & Pelagiano dogmate, ut verbis utar Caeleſtini Pontificis in Epiſtola ad Neſtorium, telo unitae ſententiae in partibus Occidentis, & Orientis percuſſo; non tantum Pelagiani ubique Gentium proſtrati ſunt, verum etiam illorum aliqui gratia, quam oppugnabant, illuſtrati ad frugem ſunt revocati, ſuomet comprobantes exemplo, eamdem gratiam praevenientem & excitantem praecedentibus meritis non rependi. Horum Pelagianorum duos ſat eſt in medium proferre, praelaudatum ſcilicet Leporium Monachum, & Turbantium Epiſcopum. De Leporii enim reſipiſcentia teſtem habemus Ioannem Caſſianum lib. 1. de Incarnat. eiuſdemque Leporii Epiſtolam ad Epiſcopos Gallos, in qua abreptum ſe imperitia, ſuperbia, ſtulta ſimplicitate, & noxia perſuaſione fatetur, adeo, ut eximius animi candor ſincerae converſionis ſit argumentum. De reſipiſcentia autem Turbantii aperte loquitur Auguſtinus lib. 1. Operis imperf. contra ſecundam reſponſionem Iuliani. Cum enim ipſe Iulianus appellaſſet Turbantium *virum magno fulgore conſpicuum*; *Vtinam* (ait S. P.) *imiteris Turbantium poſt illa tua ſcripta, & poſt has tuas laudes, quibus eum dicis magno virtutum fulgore conſpicuum, a veſtro errore liberatum.* Ita aliquorum Pelagianorum exitium, aliquorum vero poenitentia & ſalus ſubſecuta ſunt ſanctiſſimas, aequiſſimasque Principum leges, de quibus hactenus diſſeruimus.

DIS.

DISSERTATIO III.

DE PRAECIPVIS PELAGIANORVM ERRORIBVS.

CAPVT I. I. QVINAM fuerint haeresis Pelagianae Auctores, quinam Ecclesiae Catholicae Patres illam potissimum oppugnaverint, quaenam adversus eamdem haeresim lata sint Synodorum statuta, quaenam Pontificum Romanorum Decreta, quaenam gloriosissimorum Imperatorum Edicta, praecedentibus praelectionibus, quantum patiebantur angustiae temporum, mentisque nostrae imbecillitas, explanavimus. Subiit nunc animus decem illas Pelagianorum quaestiones proponere, quas enumeravimus, aut potius ad breviorem numerum contraximus Cap. XI. & quarum primam versari diximus circa traducem originalis peccati. Etsi enim videtur priorem haereticos inter & Orthodoxos controversiam exortam fuisse circa primi hominis mortem, scribente Prospero cap. 1. περὶ ἀχαρ. primo Pelagium dogmatizasse, ita primos parentes fuisse conditos,

Vt seu praescriptum mandatum transgrederentur,
Sive inculpati servata lege manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent:

Et Augustino item narrante in lib. de Gestis Palaest. cap. 11. a Paulino Diacono secundo loco fuisse objectum Caelestio, quod diceret peccatum Adae ipsi tantummodo nocuisse, & non generi humano; attamen quia mors peccati originalis est poena, ac praestat causam prius, quam effectus exponere, & quia ipse Pelagius in lib. de Nat. apud Augustinum in Opere eodem titulo inscripto cap. 19. ait de eo primum disputandum esse, an per peccatum debilitata sit, & immutata natura, idcirco de peccato, quod ex Adamo procreati contrahimus, antea dicendum esse arbitramur, quam de morte, ceterisque miseriis, quibus propter idem peccatum afficimur.

II. *Quibus momentis permoti negarent Pelagiani peccati traducem.*

II. Ne itaque Pelagiani cogerentur asserere nasci unumquemque hominum originali obnoxium peccato, Sacrarum Scripturarum auctoritate, & ratiocinationum suarum praesidio munire sese adnitebantur.

Pela-

Pelagius in Com. ad Epist. Pauli ad Roman. cap. 7. expendens ea verba, *Sine lege peccatum mortuum erat*, inferebat inde, eos insanire, qui asserunt de Adam ad nos per traducem venire peccatum; cum ex Apostolo nullum in illis peccatum possit adinveniri, in quibus nulla est legis cognitio, quales profecto sunt parvuli, antequam ad usum rationis perveniant, ideoque in iis peccatum mortuum est, & nullum omnino. Rufinus, & Iulianus frequenter in ore habebant quae Dominus dixit ad Moysen Deut. 24. *Non morientur Patres pro filiis, neque filii pro parentibus, unusquisque in peccato suo morietur*; & quae leguntur cap. 18. Ezechielis, *Vivo ego, dicit Dominus, si amplius dicetur parabola haec in Israel (Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt) quoniam omnes animae meae sunt; quemadmodum anima patris, ita anima filii, omnes meae sunt: anima, quae peccaverit, ipsa morietur*. Item illic, *Filius non accipiet iniustitiam patris sui, nec pater accipiet iniustitiam filii sui: iustitia iusti super ipsum erit*. Et rursus, *Vnumquemque secundum viam ipsius iudicabo vos, dicit Dominus*. Quorum verborum vis est, iniquitatem parentum non esse liberis imputandam, ideoque Adae culpam non transfundi in posteros. Addebat Iulianus testimonium Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, quae gessit, sive bonum, sive malum*. Quod aiebant, non esse accipiendum de parvulis, maxime qui morte immatura rapiuntur, quoniam nihil mali, aut boni gesserunt, & iudicium nonnisi *de propriis operibus exercebitur*. Nedum his Divinae Scripturae locis, sed etiam petitis a ratione momentis Pelagiani nefasta bella gerebant. Aiebant enim, oportere omne peccatum esse voluntarium, nec posse Deo iusto ullatenus tribui, & quidquid naturale & necessarium est, a Deo, qui iudex est meritorum, non posse puniri: iniustum proinde, & iniquum Deum fore, si per unum hominem Adam damnaret universum terrarum orbem: Diabolum futurum ipso Deo fortiorem, eo quod naturam humanam, quam Deus creaverat bonam, potuerit per Adae praevaricationem corrumpere, atque malam efficere: ipsam naturam, quae peccatrix effecta non posset a malis sese penitus abstinere, fore malam, ut autumant Manichaei: excogitari ulterius non posse effectrices causas originalis peccati, cum singulae animae creantur a Deo, nec iustum sit, ut anima, hodie nata non ex massa Adae, portet antiquum Adae peccatum. Ad haec, quae omnibus Pelagianis fuere communia, singuli cavillationes aliquas addidere. Rufinus in Libello fidei haec opponebat: Si propter Adae peccatum moriuntur infantes, cur baptizati, & peccato illo deleto, mortem subire coguntur? cur & ii, qui ex parentibus Christianis nati sunt, baptismatis lavacro expiantur? cur baptizati quod ipsi minime habent, transmittunt ad posteros? Adiiciebat Caelestius: Si sola caro est ex traduce, sola generatio infici potest, vi-

tium-

tiumque contrahere: si peccator genuit peccatorem, iustus ergo iustum gignere debet: si iustitia Christi tantum credentibus profuit, praevaricatio Adae solis imitantibus nocet. Iulianus & ipse Pelagianorum veternosissimus sua vitrea quidem, sed acuta spicula iaculabatur, sed illud in primis, quod damnandae essent nuptiae, harumque fructus Diabolo deberet assignari, si per illarum usum culpa traducitur, & filii damnabiles procreantur: addebatque perfricta fronte legi in libris Augustini, nuptias a Deo non fuisse institutas. Patres demum, cum pro se laudare non possent, in hoc, quod spectat ad peccati traducem, Iulianus adhibuit duntaxat Basilium, Ioannem Chrysostomum, & Theodorum Mopsuestenum, seu potius Diodorum Tarsensem Theodori magistrum, sed prae omnibus laudavit Chrysostomum, ex cuius homilia ad Neophytos urgebat testimonium, quod Cap. x. diximus corruptum fuisse ab interprete Anniano Diacono Celedensi.

III. *Scripturae contra Pelagianos productae.*

III. Dixi quibus armis haeretici Originalis peccati traducem oppugnarent. Dicam modo quibus utebantur pro Fide orthodoxa, & pro veritate Catholici. Ambrosius & Hieronymus, ut ostenderent naturam esse vitiatam, adhibuere verba Gen. 6. *Videns Deus quod multa malitia hominis esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum &c.* sed hunc locum, quod facile posset eludi, aut neglexit, aut certe praetermisit Augustinus. Isin libro de peccato Originali cap. 30. in 30. contra Iulianum num. 35. & lib. de Civit. Dei cap. 27. demonstrat peccati traducem ex cap. 17. Geneseos, ubi legitur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*: quem locum de parvulis die octava circumcidendis, contra quam plures sentiant, aperte demonstrant vetustissima Versio Sammaritana; errantque, me quidem iudice, qui hoc telum orthodoxis student eripere. Longe tamen sunt clariora, quae habentur Iob 14. iuxta interpretationem LXX. *Quis enim mundus a sorde? sed nemo, etsi unius diei sit vita eius super terram: & illud* Ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; ad quem nullam in Historia invenimus responsionem datam a Pelagianis. Adde quae habentur Eccl. 40. *Grave iugum super filios Adam a die exitus eorum de ventre matris eorum*: Sap. 12. *Semen enim erat maledictum ab initio*: Esaiae 48. *Ab utero transgressorem vocavi te*: sed invicte pugnatum est locis e novo Testamento depromptis: cuiusmodi est Ioannis III *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic omnes in Christo vivificantur*; & ad Ephesios 2. *Eramus natura filii irae*. Corruunt in horum testimoniorum comparatione quae pro se Pelagiani afferе-

ferebant. Enimvero quod opponebant ex cap. 18. Ezechielis promissio est novi Testamenti, & gratiae Redemptoris, qua deletur paternum chirographum: aut si de peccatorum poenis accipere velimus antiquum illud Iudaeorum proverbium, *Patres manducaverunt, &c.* de personalibus maiorum delictis est explicandum, quoniam Iudaei ob illa se gravari, & poenis affici querebantur. Quae vero attinent ad futurum iudicium Pelagianis nullatenus suffragantur. Nam si parvuli, haereticis fatentibus, absque ullis operibus liberae voluntatis, quae gerit quisque per corpus, vivificantur in Christo, & adoptantur in Dei filios; possunt pariter in Adam mori, & coelesti regno ob eius praevaricationem privari. Atque ita Catholici cum Pelagianis Scripturarum auctoritate certantes, hostes invictissime debellarunt.

IV. Neque, ubi ratione pugnatum est, Ortodoxi succumbere, aut terga vertere coacti sunt. Minime. Urgebant Pelagianos argumentis tum a baptismo parvulorum, tum a multiplici huius vitae miseria petitis. Quare enim baptizantur & regenerantur infantes, si nihil damnandum carnali contraxerunt generatione? Baptizandos fatebantur Pelagiani, ut gratiam adoptionis percipiant; eratque penes illos vetus proloquium, *In infantibus non habet aqua quod abluat, sed habet gratia quod adoptet.* Sed facillimum est Pelagianum effugium subruere. Enimvero cum baptismus sit Christi, qui dedit semetipsum redemptionem pro multis, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum; necessum est, ut qui baptismo tinguntur, redimantur a culpa, eruantur a daemonis potestate, arrhamque hereditatis accipiant; alioqui Christus parvulorum, qui salutari abluuntur lavacro, nec Redemptor, nec Salvator, nec gratiae, gloriaeque largitor poterit appellari. Si praeterea lavacro baptismi infantuli dicuntur renati, si morte Christi baptizantur, si cum Christo sunt consepulti, si liberati, si abluti, si sanctificati, ita enim in Epistolis Apostolicis loquitur Paulus: praevia utique mors, non corporis, sed animae, & macula, captivitas, culpa in illis erat, priusquam baptizarentur. Quare Augustinus miram, novam, stupendamque vocabat in 3. contra Iulian. cap. 3. Pelagianorum doctrinam, quod de parvulis dicerent: *In Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exsufflantur, sed a potestate diaboli non eruuntur.* Ad humanas autem descendendo miserias: Quomodo, aiebant Patres, cum Adam mortuus sit, quia peccavit, potest poena sine culpa transire, & innocentes parvuli, iusto iudicio, mortem trahere sine merito mortis? Quomodo infantes immundi spiritus vexant, & tali poena sunt digni, si nulla in illis sit culpa? Quomodo in tot, ac tantis cruciatibus parvulorum, quos in paradiso illorum nullus sentiret, non agnoscitur natura vitiata peccato, meritoque damnata? Quomodo in nulla sua, in nulla plerumque suorum culpa, sine baptisma-

IV. *Catholicorum rationes.*

te mortui, a parentibus & propinquis fidelibus separantur, & ad Dei regnum non admittuntur, nec vasa in honorem deputantur, sicut ii, qui salutari regenerantur lavacro? His apertissimis rationibus addiderunt Catholici testimonia maiorum; & ubi Iulianus tres duntaxat produxerat, inter quos nulla ratione audiendus, & sectae princeps, Theodorus Mopsuestenus; protulit Augustinus viginti quinque, atque ex Basilio locupletissimum in ps. 29. ex Chrysostomo autem plura ex epistola ad Olympiadem, ex homilia de suscitatione Lazari, ex hom. 9. in Gen. & ex hom. 10. in epistolam ad Romanos. Haereticorum denique argutationes his principiis statutis facile refutarunt; quorum primum est, Originale peccatum esse alienum proprietate actionis, nostrum autem contagione propaginis. Alterum, omnes in Adamo praeextitisse, non secundum communem Generis humani naturam. Tertium, magnitudine primi peccati naturam esse poenis affectam, & quod poenaliter praecessit in hominibus primis, naturaliter sequi in nascentibus ceteris. Quartum, Naturam, quae Dei opus est, & propter quam laudandus est creator, distinguendam esse a vitio, quod primi hominis peccato est contractum; nec sic debere creatorem laudari, ut convincamur dicere superfluum fuisse redemptorem. Quintum, Redemptoris gratia omnes iustificari, qui per ipsum regenerantur; sicut primi hominis praevaricatione sunt obnoxii, qui ex eius semine carnaliter procreantur. Sextum, Deum contulisse humanae naturae donum foecunditatis, libidinis vero malum non esse creaturam Dei, sed poenam peccati; discernendum propterea esse malum pudendae concupiscentiae a bonitate nuptiarum; quam concupiscentiam non amat nuptialis honestas, sed tolerat necessitas carnalis propagationis. Denique ob primi hominis praevaricationem pollui etiam filios baptizatorum, quia horum soboles non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, & tanquam ex bona oliva olivaster, producitur. His positis, praemissae omnes Pelagianorum cavillationes flavescunt.

Quaenam esset inter Pelagianos, & Catholicos, de morte Corporis controversia.

CAPUT II. I. INTER argumenta reliqua, quae Augustinus, aliique Ecclesiae Patres adhibuerunt ad demonstrandum, Adae praevaricationem non ipsum solum, sed universum laesisse genus humanum, pervulgatum est, ut vidimus supra, quod ex morte corporis, ceterisque mortalis hujus vitae miseriis depromitur. Etenim Pelagiani ne cogerentur fateri peccatum ex uno in omnes homines transiisse, negabant mortem esse poenam peccati, si id namque dixissent, Deum utique fecissent injustum, utpote qui supplicium absque meritis irrogaret.

Eam

Eam ob rem ita Iulianum alloquebatur praelaudatus debellator Pelagianorum Augustinus lib. I. Op. imp. cap. 66. *Mortem non vis ex peccato fecisse in omnes originaliter transitum, ne cogaris fateri, simul etiam originaliter transisse peccatum. Sentis quippe quam iniquum sit, sine meritis transisse supplicium*. De morte idcirco ea quaestio instituitur, an poena dicenda sit, an conditio naturae, ad quam dissolvendam non parum adiumenti conferre potest, si quae dogmatizabant haeretici, quae contra affirmabant Catholici, id, quod modo facere aggredimur, ex Pelagiana historia eruamus.

II. Rufinum, sive is Aquileiensis fuerit, ut opinio fert nostra, sive alter natione Syrus, primus omnium Romam sedente Anastasio quaestionem illam invexit, an mors orta sit ex peccato, ab eoque Pelagius didicit, Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus. Id Cap. VI. narravimus ex lib. Subnotationum Mercatoris. Ex libro autem Fidei edito ab ipso Rufino, quem omnium primus in lucem edidit eruditissimus Sirmondus, cap. 5. percipimus quaenam potissimum moverent eumdem Rufinum ad adstruendam naturalem primorum parentum mortalitatem. Aiebat enim quod nunquam Deus lignum vitae in paradiso plantasset, si Adam immortalis secundum carnem fuisset creatus: Nunquam rursus Adam & Eva, si cum dono immortalitatis fuissent conditi, audissent a Deo, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; nam qui manducare & bibere, & coire, & replere terram iubentur, nequeunt esse immortales, siquidem ii, qui futuro saeculo, & immortalitate digni erunt, ut legimus Lucae 20. neque nubent, neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt, & erunt sicut Angeli Dei. Addebat Rufinus, nos multis testibus edoceri, mortem istam communem malam non esse, utpote quae a Iob cap. 3. requies, ab Esaia cap. 14. a Daniele cap. 12. & ab Apost. I. Thessal. 4. somnus, & dormitio vocatur, & a iustis, qui peregrinantur ad Dominum, ardenter desideratur. Infantes autem non mori propter Adae peccatum, Rufinus ea ratione nitebatur ostendere, quoniam infantes plurimi statim baptizati decedunt, quum tamen, quia baptizati, & filii Dei facti sunt, peccatum habere non possint. Acceperat haec Rufinus a magistro suo Theodoro Mopsuesteno: qui in Excerptis laudatis a Photio Cod. 177. & productis a Christiano Lupo in diss. de Syn. Ephes. cap. I. scribit Adam ex terra formatum, ideoque mortalem, cum mors sit terrenorum corporum naturalis affectio: Deum primis parentibus comminatum mortem iis verbis, *In quacumque die, &c.* non quod tunc mortales fierent, sed quod digni essent, quod mortis sententiam ob transgressionem referrent; sicut cum dicit Gen. 6. *Qui effuderit hominis sanguinem, sanguis eius pro eo fundetur*, non hoc dicit, quia qui occiderit hominem, erit mortalis, sed quia dignus est huiusmodi morte damnari: Electum hominem

II. Pelagianorum circa mortem Sententia.

minem e Paradiso, ut pro supplicio pristinis fraudatus deliciis, mulctaretur hac aerumnosa & laboriosa conversatione: adiecisse Dominum, *Quia terra es, & reverteris in terram*, quae verba naturae mortalitatem significant, ut indicaret appellationem hanc congruere naturaliter effecto mortali: extremae dementiae esse, credere quod Deus Abraham primitus immortalem in sex horis constituerit, & intercedens peccatum sententiam Dei commutaverit, cum nec Diabolum fecerit ex immortali mortalem, etsi cunctorum malorum existens principium: videri prorsus incongruum, Noe, Abraham, David, Moysem, & reliquos innumerabiles iustos obnoxios poenae redditos ob unius delictum; & si nihil aliud perpendatur, saltem debere mente aestimari, quod Abel primus iustus existens, primus est mortuus: extremae enim est impietatis vivere eum, qui fuit causa peccati, vivere etiam cum illo Evam malitiae repertricem, primum vero iustum, virtutisque cultorem, primum divinorum Sacrificiorum curam gerentem, ante omnes poena peccantium fuisse perculsum. Haec, aliaque his similia Theodorus. Quum eadem effutiret Caelestius, asseverans primum hominem moriturum, etiamsi non peccasset, obiectum id ei fuit in Synodo Carthaginiensi sub Aurelio anno 412. a Paulino Diacono: at Caelestiani sententiam illam, *Qua die ederitis, morte moriemini*, ad mortem animae referri oportere dicebant, quoniam haec sola poena transgressioni par est, neque ea die, qua comederunt, Adam & Eva mortui sunt corporaliter. Pelagius, quamquam eidem haereret luto, in Synodo Diospolitana se idem sentire mendacissime asseruit: unde Augustinus lib. II. contra Iulianum postremi Operis cap. 114. ita Pelagianos percellebat: *Adhuc quidem dicitis, Adam sic fuisse factum, ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: sed ista dicentes iam vos magister vester, in Episcopali iudicio Palaestino, nec sine se ipso, quia se non correxit, Pelagius ipse damnavit*. Atque haec est de morte corporis Pelagianorum sententia, pluribus in locis ab Augustino, necnon ab Orosio in Apologetico de arbitrii libertate, ab Auctore Hypognosticon, a Prospero περὶ ἀχαρ. & ab aliis exposita; nunc autem ipsorum Pelagianorum verbis, argumentisque, pro rudiorum captu explanata.

III. *Catholicorum sententia profertur, & explicatur.*

III. Catholici contra demonstrarunt Adam, si non peccasset, immunem a morte futurum fuisse, ipsamque mortem merito praevaricationis illius in omnes posteros pertransiisse. Ac primum non denegarunt, quod naturali lumine compertum est, corporis naturam utpote terrenam, & partibus invicem coniunctis compositam, posse dissolvi, ideoque esse mortalem, spectata quoque prima sui conditione, si mortale illud intelligatur, quod mori potest; sed docuerunt hominem supra terreni corporis naturam donatum fuisse immortalitate, & idcirco in medio Paradisi plantasse Dominum lignum vitae, cuius fructus, ut Augustini utamur phrasi, stabilitatem tribuebat contra vetustatem; ideo-

ideoque non fuisse corpus primorum parentum in sua productione immortale, si mortale illud intelligatur, quod debet mori. Accurate itaque Catholici inter id, quod mortale, & id, quod moriturum est, distinguebant, asserendo corpus Adae ante transgressionem mortale quidem fuisse, sed non moriturum, sicuti hoc nostrum vulnerabile est utique, at non, uti arbitramur vulnerandum. Qua distinctione praemissa, Adam, si non peccasset, moriturum non fore, ideoque mortem esse peccati supplicium, Patres proximis momentis certissima fide evicerunt. Inferebant id primo ex illa Domini comminatione, ab adversariis falsis interpretamentis extorta, *In quacumque die comederis, morte morieris;* neque enim intelligi haec verba possunt de spirituali morte animae, nam id repugnat iis, quae post violatam legem Deus dixit Adamo, *Quia terra es, & in terram ibis;* & iis etiam, quae scribit Apostolus ad Rom. 8. *Corpus quidem mortuus est propter peccatum.* Neque accipi possunt de immatura & violenta morte, qualis sententia iudicis infligitur reis, sicuti accipiuntur ea, quae habentur Gen. 6. *Qui effuderit, &c.* hic enim modus mortis, ibi mors ipsa praescribitur. Quamobrem inanes sunt tam Caelestii, quam Theodori Mopsuesteni exceptiones. Praedictam Dei comminationem, Adae factam, sequitur decretorium Apostoli testimonium ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum peccavit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quo testimonio, cum Pelagiani vehementissime premerentur, reponebant, illic mortem non corporis, sed animae, intelligi oportere, quam mortem etiam ceteri post Adam homines contrahunt, dum peccando ipsius praevaricationem imitantur. Sed tam aperta sunt Apostoli verba, ut nullatenus tam inepta evasione possint eludi: quum eo loci peccatum, & mors tanquam causa, & effectus secernantur, eademque repetantur ab Apostolo 1. ad Corinth. cap. 15. ubi ait: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur:* obi cum Apostolus pertractet de futura corporum resurrectione, mors illa per Adam, cui opponit vivificationem per Christum, non alia potest intelligi, quam mors corporis. Tam propterea aperta sunt verba Apostoli, ut necessum non sit in aliis proferendis immorari: cuiusmodi sunt, quae libro 1. profert Auctor Hypognosticon ex cap. 1. Sapientiae; *Nolite zelare mortem in errore vitae nostrae, quoniam Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum; creavit enim ut essent omnia, & sanabiles fecit omnes nationes orbis terrarum;* ex cap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suam fecit: invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* In quibus, licet PP. non ponerent magnum causae praesidium; adeo Caelestiani delirarunt, ut faterentur quidem, neminem mori, nisi merito culpae, sed ne hanc esse culpam Adae concederent, abierunt in absurdissimam sententiam,

qua

qua asserebant, parvulos mori propter peccata ab illis patrata in matris utero. Qua absurditate demonstrarunt haeresis suae incommoda, atque portenta. Certe inducta semel morte in poenam peccati, non tenetur Deus conferre iustis indebitum beneficium immortalitatis, quanquam & illud collaturus est longe uberius & praestantius in futura resurrectione: in qua ii, qui mortui fuere per Adam, vivificabuntur per Christum: atque hinc refutantur quae Rufinus, ac Theodorus obiecere ex morte infantium, qui baptizati sunt, Abelis, Abraham, Davidis, aliorumque iustorum: licet cohibere se debeat humanae rationis praesumptio, ubi loquitur Divinorum Oraculorum auctoritas.

Pelagianum de Concupiscentia dogma explicatur.

CAPUT III. I. QUOD de Corporis morte, ceterisque huius vitae miseriis asserebant haeretici Pelagiani, hoc de animi vitiis, ignorantia nempe, & concupiscentiae lucta, docebant, autumantes primordia esse naturae, & humanae conditioni admodum consentanea, non autem primorum parentum transgressionis effecta. Obiicientibus enim Catholicis, oportere, *ut horum malorum causa sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut poena primi veterisque peccati; quoniam sub Deo iusto quisquam nisi mereatur, miser esse non potest:* quae sunt verba Augustini lib. IV. contra Iulianum cap. 16. ad hanc rationem infringendam opportunum atque expeditum esse putarunt, negare difficultatem, lacertosamque libidinem esse malum aliquod, & antiquae praevaricationis supplicium. Posteaquam ergo audivimus Pelagianos, & Orthodoxos de morte corporis disceptantes, operae precium est illorum de hac conflictatione carnis & spiritus, quam concupiscentiae pugnam appellamus, spectare certamen.

II. *Pelagianorum laudantium concupiscentiam argumenta producuntur.*

II. Venit omnium primus in aciem haeresiarcha Pelagius, & adversus experientiam, adversus Apostolum scribentem ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, nullam esse luctam inter carnem, & spiritum hac argutatione contendit: *Quis fecit* (ait apud Augustinum de nat. & grat. cap. 54.) *quis fecit hominis spiritum? Sine dubio Deus. Carnem quis creavit? Idem, credo, Deus. Bonus est, qui utrumque creavit, Deus? nulli dubium est. Et utrumque, quod bonus auctor creavit, bonum est confitendum. Si igitur & spiritus bonus, & caro bona, ut a bono auctore condita, quis fieri potest, ut duo bona sibi possint esse contraria?* At nemo pervicacius pro concupiscentia pugnavit, quam Iulianus Eclanensis Episcopus Pelagianus: qui illam esse hominibus connaturalem, hisce argumentationibus evincere conabatur. Concupiscentiam, aiebat, inditam esse a natura ad prolis generationem, ex eo aperte colligitur, quo illa etiam pecudes alliciuntur, in quibus ob carentiam rationis,

ac libertatis, nulla culpa esse potest. Deinde stante etiam integritate naturae fuisset filiorum propagatio, ideoque & concupiscentia, sine qua gignendi prolem actus non exercetur. Ad haec si concupiscentia sit mala, necessum erit cum Manichaeis damnare nuptias, & ab hominum consuetudine arcere connubia; quorum opus nunquam peragitur nisi indulgendo libidini. Quis demum ignorat, nihil aliud esse concupiscentiam, quam naturalem quemdam appetitum, in quo, ut in cibo, vel potu usuvenit, non actus quilibet damnandus est, sed solus culpandus excessus? Praeter haec argumenta Iuliani, opponebant Pelagiani omnes Catholicis, in horum sententia, quae tenet conferri baptismum in remissionem peccatorum, peccata ipsa nequaquam deleri, siquidem in renatis manet adhuc concupiscentia, qui peccato originali conglutinatur: unde haec erat Pelagianorum adversus Catholicos insimulatio apud Augustinum lib. I. ad Bonifacium cap. 13. *Dicunt etiam, baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed facere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur*: & initio libri II. contra Iulianum: *Nec omnia, ut dicitis, peccata dimittuntur in baptismo, si aliquod in baptizatis coniugibus remanet, ex quo regenerantur mali*. Hactenus Pelagiani.

III. Oportet autem ad hanc quaestionem diiudicandam diligenter in concupiscentia distinguere vim sentiendi, quae utique cunctis animantibus indita est, a sentiendi libidine, quae nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu voluptatis carnalis impellit. Hanc cupiscentiae pronitatem contra rationis froenum inhiantem illicitis, sive hanc legem carnis repugnantem legi mentis, non sentiendi facultatem, dicimus esse poenam peccati. Videtur mihi dilucide, & perspicue hanc distinctionem, traditam ab Augustino lib. VI. adversus Iulianum cap. 14. & 18. explicasse S Bonaventura in 2. sent. dist. 32. q. 1. ubi primo secernit appetitum ab eius excessu; deinde demonstrat huius excessus causam esse malam, & quamvis videatur positionem aliquam dicere, nihil tamen importare, quam privationem, causamque deficientem, liberum scilicet arbitrium in culpam prolapsum, & diabolum instigantem. Vtitur exemplo paralysis, cuius motus tremulus ac velocior non provenit ex argumento virtutis, sed potius ex detrimento: Ita, inquit, appetitus, qui in amore rei temporalis exardescit, nec potest sese continere, non ex naturalis virtutis robore, sed potius ex eius dissolutione procedit, & est in suo motu vehementior, quoniam naturalis virtus, qua contineri deberet, labefactus est, & vulnerata peccato: quo inflicta maiori exagitatur ardore, *sicut moventur ferae ruptis vinculis, & naves destructis gubernaculis*. Haec Bonaventura apposite, & me quidem iudice, cohaerenter ad Augustinum; qui disputans cum Pelagianis perduellem concupiscentiam appellare solet *malam affectionem, mortiferam qualitatem, animique languorem*.

III. *Vtilis praeparatio.*

IV. Hanc

IV. *Demonstratur concupiscentiam esse malam.*

IV. Hanc itaque concupiscentiam malam esse, & poenam peccati, adversus Pelagianos Augustinus primo demonstravit testimoniis Apostolicarum Epistolarum Pauli, Ioannis, & Iacobi. Paulus enim ad Rom. 7. inquit: *Video aliam legem in membris meis*, &c. ad Galatas 5. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis, illa faciatis.* Ioannes item in prima ad Parthos Epistola cap. 2. ait: *Omne, quod est in mundo, concupiscientia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitae, quae non est ex patre, sed ex mundo est.* Et Iacobus cap. 1. *Vnusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Ex quibus locis Augustinus valide & invicte Iulianum, eiusque gregarios urgebat. Atque ex primo, quoniam duo bona, quae a Deo auctore naturae indita sint, invicem pugnare non possunt, ideoque si concupiscentia carnis adversatur continentiae spiritus, & haec bona est, & ab omnibus laudatur, profecto concupiscentia illa est mala, nec potest inter naturalia & laudabilia bona connumerari. Ex altero autem loco, quoniam si concupiscentia carnis non est a patre, neque diligi potest tanquam opus conditoris; necessum est, ut sit a prava aliqua causa, nempe vel a daemone, vel a peccato, nec laude, sed vituperatione sit digna. Ex tertio demum, quia si concupiscentia ad peccandum allicit, & inclinat, a nullo sanae mentis laudari potest: *Quis enim* (ut in 6. adv. Iulianum ait S. Pater) *ita sit imprudens, atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus illam concupiscente spiritu peccata concipere & parere non sinatur?* Addit Augustinus, contra aequitatem esse, rectamque rationem, si inferiora superioribus reluctentur, & caro spiritui repugnet: bonum non esse materiam pudoris, qualem esse concupiscentiam demonstrarunt primi parentes, dum pudenda texerunt: aliaque plura, quae singula proferre simplex haec narratio non sinit.

V. *Solvuntur obiecta Pelagianorum.*

V. Aliquantulum enim in expendendis Pelagianorum obiectis est immorandum: quorum primum petitum ex eo, quod tam caro, quam spiritus sunt opus Dei, ideoque bona, & duo bona invicem contraria esse non possunt, nullius penitus est momenti, quoniam caro non adversatur spiritui secundum substantiam carnis a Deo productam, quae bona est, sed secundum concupiscentiam inseminatam peccato, quae est mala; quemadmodum diabolus cum hominibus colluctatur, etsi utrique sunt opus Dei, quia id non facit spectata angelica natura, quae bona est, & Deum habet auctorem, sed pravitate ac malitia, quae patrati sceleris est consectarium. At quae sequuntur Iuliani cavillulae, nullo negocio eximuntur: fuisset siquidem in naturae integritate filiorum procreatio, sed ad nutum rationis sese moventibus iis, qui gene-

generationi inserviunt, corporeis partibus. Nec in brutis, quae ratione carent, excogitare debemus illud mentis imperium ac regimen, quod eum regnare debeat in homine, apparet in hoc vitium esse, quod in brutis est naturale. Quanquam & natura ipsa certis quibusdam limitibus coercet pecudum irrationalem libidinem; non enim inhiant in femellas foetum gestantes, & in actus illos obsceniores, in quos propendit homo ratione praeditus, ut merito dixeris esse huius concupiscentiam, ea, quae viget in pecoribus, turpiorem. Ad illam certa lege frenandam ordinatae sunt nuptiae, quae faciunt ut libidinis malo coniuges utantur duntaxat gignendorum liberorum causa, nec laxatis extra pudorem habenis ad alienas nuptas discurrant, audeantque turpia alia quaelibet attentare. Non ergo nuptiae vituperandae sunt, sed magnopere laudandae. His corruunt quae pro concupiscentia obiectabat Iulianus, naturae appetitum a vitio libidinis non secernens, eorumque quae pudenda sunt magis, laudatur impudens. Vnum superest explicandum, quomodo in baptizatis remanente concupiscentia deletum sit originale peccatum; quod facillime intelligitur, si reatus peccati ab ipsa concupiscentia separetur. Reatus enim dimittitur, ad agonem & ad luctam concupiscentia manente. Appellatur tamen aliquando ab Apostolo haec etiam concupiscentia renatorum, ab omni reatu soluta, *peccatum*; ut non ideo, quod obnoxia sit damnationi, & perdere valeat non consentientes & reluctantes: sed quod peccato facta sit quemadmodum scriptura alicuius dicitur manus, *quod manus eam fecerit*. Hanc aptissimam comparationem tradidit Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13.

De parvulorum damnatione variae narrantur sententiae.

I. PRAETER corporis mortem, huiusque aerumnosae vitae miserias, ac praeter difficultatem & lacertosam libidinem, ad statuendum peccati traducem in medium Catholici protulere sortem eorum parvulorum, qui nondum regenerati baptismo, morte rapiuntur acerba, & iuxta Evangelicam sententiam Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* a coelesti regno excluduntur. Ita enim priori libro adversus Iulianum num. 117. in Opere postremo Augustinus Pelagianum urgebat: *Postremo nunquam dicturus es, unde sit iustum, ut parvuli in nulla sua, nulla plerunque etiam suorum culpa, sine baptismate mortui, a parentibus, & propinquis fidelibus separentur, & ad Dei regnum non admittantur, nec inter vasa in honorem, sicut alii parvuli baptizati, sed inter vasa in contumeliam, quia nullum est tertium genus vasorum, sine ullis malis meritis deputentur*. Abs re idcirco CAPUT IV.

circo non erit, quid Pelagiani commenti sint, & quid ex adversa parte Catholici senserint, investigare: quod utique praeter Pelagianam historiam, quam exornavimus, Scholasticorum quoque disputationibus potest aliquam afferre lucem.

II.
Aeterna vita a regno coelorum distincta commentum est Pelagianorum.

II. Quum itaque Pelagiani apertissima Evangelica sententia, quam nuperrime laudavi, convincerentur, nec possent parvulis, quos nullo peccato arbitrabantur obstrictos, coeleste regnum, seclusa gratia baptismatis, polliceri, commenti sunt, fruituros illos aeterna quadam, omnisque calamitatis experte, ac plena ulterius naturalis felicitatis, & quietis, sempiterna atque interminabili vita; quod effugium, aut potius deliramentum describunt Carthaginienses & Milevitani PP. suis in Epistolis ad Innocentium Romanae Urbis Episcopum. *Parvulos* (inquiunt de Pelagianis Antistites Synodi Carthaginiensis) *propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, negant baptizandos, & sic eos mortifera ista doctrina in aeternum necant, promittentes etiam si non baptizentur, habituros vitam aeternam, nec pertinere ad illos, de quibus Dominus ait: Venit enim filius hominis quaerere, & salvum facere quod perierat*: Et Milevitani item: *Pueros quoque parvulos si nullis innoventur Christianae gratiae Sacramentis, habituros vitam aeternam, nequa praesumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus: Per unum hominem &c.* Iure autem subterfugium illud Pelagianorum appellavi paullo supra deliramentum. Quae enim sit felix illa, ac sempiterna vita a regno coelorum diversa, nec ipsi Pelagiani edicere, vel percipere potuerunt, teste Augustino in libro de peccato originali cap. 20. Et revera si vita aeterna ea est, quae credentibus, & mandata servantibus repromittitur iuxta Evangelicum eloquium: *Ut omnis, qui credit in illum, non pereat &c.* si vita aeterna ea est, quae redditur digne suscipientibus sacramentum Dominici Corporis iuxta id, quod ait Christus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*: si demum vita aeterna in perfecta, atque, ut loquuntur Theologi, intuitiva visione Dei sita est, quemadmodum scribit Ioannes Apostolus, *Haec est vita aeterna &c.* necessum est, ut omnino desipiant, ac delirent, qui aeternam vitam, nec credentibus, nec Christi percipientibus sacramenta, nec unius, trinique Numinis contemplaturis absconditam, excelsam, & mortalibus inaccessibilem divinitatem promittunt. Missis itaque Pelagiania, ad Patrum investigandam de sorte eorumdem parvulorum doctrinam convertamur oportet.

III.
Qui tradant pueros sine baptismo denatos non torqueri gehennae cruciatibus.

III. Conveniunt omnes in eo, quod parvuli non regenerati baptismo a coelestium Civium consortio excludantur, sed an etiam poena macerentur, & gehennae torqueantur incendio, concordi animo non definiunt. Et veteres quidem, praesertim ante exortam Pelagianam haeresim, in eam sententiam magis propendent, quae huiusmodi parvulos facit a poena sensus immunes. Gregorius enim Nazianzenus oratione in Sanctum Baptisma, distinctis tribus generibus eorum, qui sine ba-

baptismo decedunt, de tertio genere, in quo iidem parvuli comprehenduntur; *Postremi*, inquit, *nec coelesti gloria, nec suppliciis a iusto iudice afficientur, utpote qui, licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque haut iacturam passi potius fuerint, quam fecerint*; in quae verba Graecus Scholiastes eius Nicetas ita scribit: *Tres, ut opinione assequor, gradus existunt, unus eorum qui supernis deliciis perfruuntur, alter eorum, qui suppliciis aeternis excruciantur; medius eorum, qui nec coelestis regni voluptates sentiunt, nec poenis ullis torquentur: in quo & pueruli, qui baptismo perfusi non sunt, & qui cum baptismum expeterent, violento tamen aliquo casu impediti suscipere non potuerunt, constituentur*. Eiusdem proculdubio sententiae fuit Auctor quest. ad Antiochum: cuius q. 94. haec sunt verba: *Quo vadunt pueri morientes, ad poenam ne, an ad regnum? cum fidelibus ne, an cum infidelibus?* Responsio, *Cum Dominus dicat*: Sinite pueros venire ad me, talium enim est regnum coelorum; *item cum Apostolus testetur*, Num filii vestri sancti sunt, *constat incontaminatos & fideles in regnum coelorum ingredi, fidelium baptizatos infantes. Ethnici vero, & non baptizati, neque in regnum ingrediuntur, neque rursus in poenam; peccatum enim non commiserunt*. Ex Latinis, qui sententiae huic adhaeserint, si nubem Scholasticorum excipias, vix aliquem invenies praeter Auctorem Commentariorum in Epistolas Pauli, inter Opera Ambrosii, qui adnotatione in Caput V. ad Romanos, inquit: *Mors autem dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est & alia mors, quae secunda dicitur, in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquiritur*. Non sunt hi Commentarii, quos conscripsit haeresiarcha Pelagius, sed alii, quorum auctor vivebat, ut ipse testatur ad Caput III. epist. I. ad Timotheum sedente Damaso. Fuit denique opinionis eiusdem Innoc. III. qui in lib III, Decret. tit. de Baptismo, eiusque effectu, cap. *Maiores*, ait: *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus*.

IV. *Refertur sententia S. P. Augustini.*

IV. At Augustinus, qui de poenis parvulorum in 3. lib. de libero arbitrio ambigue locutus fuerat, & hac quaestione plurimum se coarctari scripserat in quadam ad S. Hieronymum epistola, in postremis adv. Pelagianos lucubrationibus pueros, qui non regenerati salutari lavacro morte rapiuntur acerba, aliqua saltem, & in comparatione adultorum mitissima poena sensus, ignisque supplicio torqueri asseverantissime pronuntiavit. Illustris est, ut ceteros praetermittam, S. P. Sermo 14. de Verbis Apostoli, quem pro concione habuit Carthagine coram Aurelio Primate. *Venturus est Dominus*, inquit, *& iudicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram, & sinistram. Sinistris dicturus*: Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: *Dextris dicturus*: Venite bene-

nedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. *Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis, & mortuis iudicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio. Non te offendat qui dexteram quaerit, & te ipsum admonet. Recede de medio, sed noli in sinistram. Si ergo dextera erit, & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum coelorum est*. Percipite, *inquit*, regnum, *Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra?* Ite in ignem aeternum, *In dextera utique ad regnum aeternum; in sinistra in ignem aeternum. Qui non in dextera, proculdubio in sinistra. Ergo qui non in Regno, proculdubio in ignem aeternum*. Perspicua utique, efficax, & innixa Evangelicae auctoritati, Augustini ratiocinatio. Eadem reperit S. Doctor in Epist. 28. ad Hieron. in Epistola nuper inventa ad Optatum, in lib. v. contra Iulianum cap. 8. & in 3. Operis imperf. num. 199. ubi ita eumdem Iulianum alloquitur: *Si non eruitur a potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus: quid miraris in igne aeterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur?* Haec vero aeque ac praecedentia, tam aperta sunt, tam expressa, ut iure miremur esse inter Scholasticos aliquos, qui in oppositam sententiam Augustinum invitum & reluctantem, quasi obtorto collo trahere nituntur.

V. *Augustini sententia nulla est censura notanda &c.*

V. Neque in id modo incumbam, quod alibi pro mea virili praestare curavi, ut hanc Augustini sententiam vindicem, ac propugnem. Possem id quamfacillime aliorum Patrum producendo testimonia, Fulgentii praesertim in libro de Fide ad Petrum, Auctoris Hypognosticon lib. v. Hieronymum in fine 3. Dialogi contra Pelagianos, Gregorii M. lib. ix. Moralium cap. 12. aliorumque collecta in Vindicias ab illustri Norisio. Possem proferendo verba Florentini Concilii definientis Sess. ultima, illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus *puniendas*, quibus verbis sententiam Augustini definitam esse non diffitetur Cl. Dionysius Petavius Tom. 1. Theolog. Dogmat. cap. 10. libri ix. Possem denique colligendo argumenta, quae Ioannes Poncius, Franciscus Macedo, Florentius Connius, Ludovicus Habert, Nicolaus L' Herminier, aliique permulti, etiam, extra Augustinianam Familiam, in qua instar omnium esse possunt Gregorius Ariminensis, & Henricus Norisius, sollerter, & ingeniose versarunt. Id possem utique: Sed ad revincendos Pelagianos sat esse puto, poenam aliquam in parvulis non regeneratis statuere, quae poena sit originalis peccati, qualiscunque ea demum sit, neque necessarium arbitror ex Historia ad Scholam contentiosam redire. Ex eadem Historia de re hac una Scholasticos admonebo, Pelagianos tantummodo,

cum

eum illorum haeresis exagitaretur, sententiam Augustini iniquam trucemque existimasse. *Quidam* (aiebat Rufinus Pelagianus) *Scripturarum inscientia divinarum, in nefariam & iniustam de Christo vocem audent erumpere, asserentes eum pueros minime baptizatos aeterni ignis poenae deputare, quae assolet in Scripturis gehenna nominari.* Tonat eadem voce Iulianus, apud Aug. lib. III. Op. Imperf. num. 200. Id animadvertant, quaeso, qui propugnatores Augustinianae sententiae iniustos immanesque tortores puerorum appellitant. De reliquis autem Pelagianorum erroribus pertractavi Libro XIV. de Theologicis Disciplinis.

DISSERTATIO IV.

DE ROMANO PONTIFICE CAELESTINO ET DE HAERESI NESTORIANA.

CAPUT I. I. DIu, multumque, utinam cum vestra utilitate, in contexenda Pelagianorum Historia, eorumque refellendis dogmatibus, in transactis lucubrationibus versati sumus, Viri optimi, atque ornatissimi. Nunc vero, ut rerum varietate delectemur, simulque per amplissima vagemur spatia, nec eadem semper vel Haereticorum, vel Patrum, vel Episcopalium Synodorum Acta, auribus personent nostris, & fastidium ingenerent; immutato aliquantulum consilio antea inito, selectiora persequi deliberavimus, nullatenus tamen a quinti Ecclesiastici Saeculi Historia digredientes. Atque ita fiet, ut si non quaelibet, una saltem, vel altera praelectio a vobis gratanter excipiatur; nos vero Exercitationibus singulis in medium novi aliquid proferamus, non absque rerum delectu, nec violata temporum serie. Adeste itaque, ut hactenus consuevistis, frequentia, solicitudine, & animi alacritate.

II. *De anno, quo Caelestinus Pontificatum indeptus est.*

II. Quoniam vero Caelestini I. Romani Pontificis opera extinctae fuerunt Pelagianorum reliquiae, ab eodem Caelestino auspicantes initia, ipsius aetatem, res gestas, & Decretales Epistolas investigabimus. Et quantum ad primum attinet, sedisse Caelestinum in Petri Cathedra annos novem, menses decem, diesque novem tradunt unanimi consensu recentiores Chronologi. Baronius tamen, & qui huius calcarunt vestigia, attribuunt Caelestino annos octo, menses quinque, ac tres dies. Facile haec controversia dirimitur, si de anno primum, deinde vero de die, differamus. De anno id statuimus: Caelestinum evectum ad Summum Pontificatum *Fl. Asclepiodoto, & Rufio Praetextato Coss.* tradunt Marcellinus Comes, & S. Prosper in Chronicis. Consentiunt Libri Pontificalis emendatae editiones, & Romanorum Pontificum praestantiores Catalogi. At Consulatus Asclepiodoti, & Praetextati incidit in annum postremum Imperatoris Honorii, & 15. Theodosii, idest in annum Aerae Vulg. 423. Ab hoc ergo anno S. Caelestinus Ecclesiam Romanam administravit. Et revera hoc eodem anno S. Bonifacius migra-

gravit ad superos IV. *Nonas Septembris* iuxta vetustissimum Ecclesiae Occidentalis Martyrologium, Hieronymo adscriptum, & a Florentinio Lucensi cive illustratum; tametsi Bonifacium vita functum *VIII Kal. Novembris* Romanum Martyrologium, & quidam Bibliothecae Colbertinae Catalogi commonstrare videantur: at iis subscribere nequaquam possumus, siquidem in exquisitis, quotquot exstant, Chronicis, refertur mors Honorii Imperatoris ante obitum Bonifacii: Honorius vero naturae concessit in Vrbe Emiliae Ravenna, aquae intercutis morbo, nondum sextili mense transacto. Statim vero ac Bonifacius ex hac vita discessit, eidem Caelestinum fuisse suffectum scribit Augustinus Epist. 209. scripta in Africa statim ac ad Afros electionis huius nuntium pervenerat; nec aliter evenire potuit, quoniam, ubi nulla obstabat discissio, vetusto more statim novus Pontifex creabatur. Habemus itaque initia Pontificatus Caelestini in anno 423. vix elapsa die quarta Septembris.

III. *De Caelestini anno emortuali.*

III. Quando autem Sanctissimus Ecclesiae Pastor deposuit corporalem hanc sarcinam, & ad superos evolavit? Statuunt obitum Caelestini praedicta Marcellini & Prosperi Chronica, & cum Baronio, eiusque asseclis, Pagius quoque, Schelestratius, Tillemontius, & recentiores reliqui, in Consulatu *Valerii, & Aetii*, atque in anno 24. Theodosii, & 7. Valentiniani, nimirum, in anno Vulg. Aer. 432. nec est, cur adversus auctoritatem, & Virorum eruditorum consensum temere audacterque pugnemus. Offendo tantum discrepantiam aliquam circa diem S. Caelestini emortualem. Enimvero Martyrologia, & Pontificales Libri illum obiisse testantur *die sexta Aprilis*, uterque Pagius *die 18. aut 19. mensis Iulii*, Tillemontius *die 26.* eiusdem mensis: in qua opinionum diversitate nemo unus mihi succenseat, si Romanae Ecclesiae traditioni adhaerescam. Quamobrem inter diem 4. Sept. anni 423. & diem 6. Aprilis an. 432. spatio annorum 8. & mensium 7. (quae summa propius accedit ad Codices Vaticanos) Pontificatum Caelestini definiendum esse arbitramur.

IV. *De rebus a Caelestino gestis.*

IV. Diximus de Chronologia: nunc de rebus a Caelestino gestis est pertractandum. Has inter, magnopere commendanda est vigilantissimi ac sanctissimi Pontificis cura, qua Felicem Dyrracenae provinciae, sive Epiri Episcopum, aliorum factione fere oppressum paterna protectione defendit. Cum enim Comprovinciales commissam dioecesim invadere, & absque ipsius consilio initiare clericos, aliaque iura violare praesumerent, increpavit eos S. Pontifex, atque subesse iussit Rufo Episcopo Thessalonicensi; cui etiam a Bonifacio commissum fuerat, ut omnibus per Illyricum constitutis Episcopis vigilanter intenderet. Atque id Caelestinus iubens hanc produxit rationem: *Ita enim ordinatio cuncta se habet, ut maioribus ea, quae sub his esse docentur, obediant; & in hoc gradu regularum cuncta vertuntur: Nosque praecipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omni-*

bus

bus tractandi Christus in Sancto Petro Apostolo, cum illi *claves aperiendi, claudendique daret, indulsit*. Spectare autem ad Romanum Episcopum huiusmodi solicitudinem, etiam Augustinus praecitata Epistola significavit; Dum Caelestini auctoritatem interpellans adversus Antonium Antistitem Fussalensem, Christianam plebem publica potestate, & militari impetu deterrentem: *Non sinas ista fieri* (inquit) *obsecro & per Christi Sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum praepositos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratres*.

V. *Caelestini solicitudo in fide Catholica propaganda &c.*

V. Praeterea Caelestinus, quum S. Patricii praedicatione Christianam fidem suscepissent Scotia, & Hibernia, quae, ut modo haereticorum, fuit olim *Sanctorum insula*, dedit Scotis primum Episcopum Palladium Diaconum; quo hortatore S. Germanum miserat in Hiberniam: unde Prosper ad Consulatum *Fl. Antiochi*, & *Anicii Bassi*, qui Coss. prodierunt an. 431. scripsit: *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a Papa Caelestino Palladius, & primus Episcopus mittitur*. Ac similia mandarunt litteris S. Prosper contra Collatorem cap. 41. Ven. Beda lib. 1. Hist. Anglorum cap. 13. atque Vsserius de Britann. Eccl. Primordiis cap. 16. ut nullatenus dubitemus Caelestini praesertim vigilantia Britanniam, Scotiam, Hiberniam primos, uberrimosque fidei, sanctitatis. & religionis fructus protulisse. Quantum vero in Semipelagianis, & Nestorianis coercendis & extirpandis gloriosus Pontifex adlaboraverit, ne pluries eadem repetantur, interim praetermittimus.

VI. *Eius de alterno Psalmorum cantu institutio.*

VI. In instauranda quoque Ecclesiae disciplina enituit quammaxime beatissimi Caelestini solicitudo. Ipse enim Psalmorum modulationem, etiam ante incruentum Sacrificium, alternis choris concinendam, Romae primus omnium dicitur instituisse; quanquam in Oriente, ac primum Antiochiae, obtinuerit Davidica Melodia auctoribus Flaviano, & Diodoro, coaequalibus Athanasio; ac Mediolani ut hymni, & psalmi canerentur iuxta morem Orientalium, quemadmodum lib. IX. Confess. cap. 7. ait Augustinus, S. Ambrosius auctor fuit, ne populus moeroris taedio contabesceret, dum in Ecclesia cum suo excubabat Episcopo, hunc persequente, ab Arianis seducta, Valentiniani matre Iustina. De hac psalmos, hymnosque canendi consuetudine ait in lib. III. Vitae S. Martini Paulinus Nolanus:

Turba ad consuetos modulamina dulcia psalmos
Advolat, & sanctis solatia quaerit in hymnis,
Quae pellant segnes vegetato corpore somnos,
Cantibus & sacris nocturna silentia vincant.

Immo morem illum a priscis Saeculis & a mundi incunabulis viguisse ex libris Exodi, Deuteronomii, Danielis, atque ex Psalmis Davidicis, in Opere de Antiquitate & Excellentia Divinae Psalmodiae demon-

monstrat Ioannes Bona, decus Patrum Purpuratorum. Idcirco S. Caelestinus non primus Institutor, sed ordinator vetustae consuetudinis censendus est. Hinc vero colligimus fuisse illum oppressorum fratrum acerrimum propugnatorem ac vindicem, Apostolicae auctoritatis strenuissimum defensorem, hostem haereticorum acerrimum, Catholicae Fidei propagatorem eximium, atque Ecclesiasticae disciplinae custodem, & conditorem sollertissimum.

VII. *De Scriptis S. Caelestini.*

VII. Commemorantur inter huius Pontificis scripta Epistola una ad Episcopos Illyrici, de qua diximus paullo supra: altera ad Episcopos provinciae Viennensis & Narbonensis, unde plures excepti sunt Canones apud Dionysium Exiguum, Isidorum Mercatorem, & Paschasium Quesnellum; qui Canones pertractant de ultima poenitentia nemini deneganda, de Clericorum indumentis, & de invitis, atque illicitis Ordinationibus. Scripsit ulterius plura contra haeresim Nestorii ad S. Cyrillum Alexandrinum, ad Patres Ephesinos, ad ipsum Nestorium, & plebem Constantinopolitanam; nec non celeberrimam Epistolam ad Episcopos Galliarum adversus Pelagiana deliramenta, & in commendationem Augustinianae doctrinae, aliaque bene multa, quae peculiarem exigunt Tractationem. Praesenti enim lucubratione quod narrandum erat, excepistis, quanto videlicet tempore Caelestinus administravit Ecclesiam, quam praeclare pastorale munus impleverit, quanta sapientiae & doctrinae laude claruerit.

De Sancti Caelestini ad Episcopos Gallos Epistola.

CAPUT II.

I. SCRIPTA beati Caelestini Romani Pontificis praecedenti Exercitatione recensentes admonuimus praetermittendam non esse celeberrimam illius Epistolam ad Galliarum Antistites, ea intentione directam, ut Semipelagianorum Augustino iam vita functo obloquentium, eiusque cineres ventilantium, ora comprimerentur. Notum cuique arbitror, Semipelagianos illos dici, qui mediam viam inter propugnatores & adversarios divinorum auxiliorum ineundo, ad singula quidem bona opera, at non ad initium Fidei, & primos voluntatis conatus necessariam putabant Gratiam Reparatoris. Puto etiam, neminem vestrum latere, Augustinum ex hac vita migrasse Theodosio A. XIII. & Valentiniano A. III. Coss. idest, anno Vulg. Aerae 430. IV. Calendarum Septembrium, ideoque vel eodem anno labente, vel decurrente anno proximo Epistolam fuisse conscriptam: cuius caussas, tenorem, & consectaria aggredimur explanare.

II. *Variae de origine Semipelagianismi sententiae.*

II. Dixi, dandi has Caelestini litteras causam principem fuisse exortam paullo antea, & cornua tunc erigentem, Semipelagianorum, factionem. Quorum originem quidam antiquiorem, quidam posteriorem, quam sit revera consignanda, fecerunt. Antiquiorem statuit illu-

 stris

ſtris inter Scholaſticos Gabriel Vasquez, qui 1. p. diſp. 89. cap. 4. contendit praeluſiſſe Semipelagianis egregium Graecorum Patrum iubar Ioannem, cui ab aureo eloquentiae ſtilo congnomentum Chryſoſtomi, denatum die 14. Sept. Honorio A. VII. & Theodoſio Aug. II. Coſs. anno nempe 407. Illud vero Vasqueſii praepoſterum falſumque iudicium inde exortum eſt, quod nondum ſerpente haereſi Pelagiana, & plebem hortatoris ſermone alloquens, interdum admonuerit adfuturá nobis ampliora gratiarum munera, ſi id, quod noſtrum eſt, exhibere ſtudeamus; quae absque laeſione praevenientis gratiae proferri Ferdinandus Velloſillus in Vindiciis Chryſoſtomi, Sixtus Senenſis lib. v. Bibl. S. adnot. 101. Iſaac Habertus lib. 1. cap. 8. Concordiae Graecorum Patrum, deinde vero praeſtantes huius aevi Theologi commonſtrarunt. Quae pro noſtra erga ſplendidiſſimum Eccleſiae lumen veneratione, atque exiſtimatione ducimus repetenda. Serius vero, quam forte oportebat, originem Semipelagianorum ſtatuit Antonius Pagius ad annum 428. num. 28, ubi per id temporis nova conflaſſe dogmata Victorem Carthaginienſem conicit vir praeſtantiſſimus ex Epiſtola 217. S. P. Auguſtini. Verum paullo antea a Ioanne Caſſiano Semipelagianiſmi ſemina ſparſa fuerant, nec vitalis radii, & imperitus homo, ac ſtatim Auguſtini opera revocatus ad frugem, dici promeretur illuſtris factionis anteſignanus, quemadmodum nec Praedeſtinatianae Lucidus, aut Monimus, aut alius quiſpiam nominis obſcurioris.

III. *De Caſſiano Semipelagianorum Coriphaeo.*

III. Caſſianus itaque genere Scyta, & notus Athenis, non autem patria Romanus, ut viſum Photio C. 197. Chryſoſtomi auditor, & ab eo miſſus ad Innocentium I. R. Pontificem, deinde Maſſiliam profectus poſt Vrbem a Gothis expugnatam anno 410. edendis libris anno 424. animum applicuit, ſibique ſcientia, diſputandi acumine, & vitae integritate magnum nomen comparavit, donec anno aetatis ſuae 97. Chriſti 448. naturae conceſſit. Inter alia opera exaravit Collationes PP. 24. quarum decem inſcripſit Leontio Epiſcopo Foreiulienſi, & Helladio Abbati; ſeptem, quae ſequuntur, Honorato & Eucherio, alias ſeptem poſtremas Iouiniano, Minervio, ceteriſque Monachis Lirinenſibus. Iſtum Collationis Opus ante annum 426 fuiſſe conſcriptum, aperte evincitur ex quo Collat. undecima meminerit Honorati, nondum Epiſcopi Arelatenſis, ad quem Epiſcopatum eopie anno 426. evectus fuit. Cum itaque in 13. Collatione; quae inſcribitur *Cheremonis*, tradantur Semipelagianae aſſertiones; evidens eſt circa annum 425. Semipelagianam haereſim auctore Caſſiano erupiſſe.

IV. *Non officere Semipelagianiſmum Caſſiani famae, & ſanctitati.*

IV. Neque aut veritati, aut Caſſiani famae, aut Inſtitutoris ſui laudibus quicquam detractum volumus, dum eumdem Caſſianum Semipelagianae Factionis principem conſtituimus. Non veritati; nam quisquis legerit ſive Proſperum adverſus Collatorem, ſive Iſidori Peluſiotae Epiſtolam 309. ſive Caſſiodori Inſtitutiones cap. 29. ſive Gelaſii P. cap. *S. Romana*, ſive Suaſium prolog. 5. de Grat. ſive Pe-

ravium de Haer. Pelag. cap. 7. five Bollandianos Tom. V. pag. 481. mensis Iulii, five Henricum Norisium lib. II. Hist. Pelagianorum; quid plura? quisquis legerit praelaudatam Collationem Cheremonis, omnem a se repellet haesitationem: Non famae Cassiani, quandoquidem nondum Semipelagiana assetta proscripta fuerant, & in quaestionibus ad solvendum difficillimis praestantissima nutabant ingenia: Non demum Chrysostomi laudibus; nam & Augustino idem contigisse cognovimus, ut ex libris eius male intellectis nonnulli lapsi sint in errorem; immo ex Scripturis Sanctis non accurate perlectis, & expositis ad libidinem, nefarii homines propinaverint haeresum plurimorum venena.

V. Tanto itaque duce, Cassiano, Massilienses quidam, aliique finitimi coeperunt Augustini placita parvipendere, atque in vulgus iactare portentosa mendacia, asserentes ex Augustiniana doctrina necessaria consecutione deduci Christum mortuum non esse pro singulis hominibus redimendis: Deum nolle salutem universorum, peccatorum resipiscentiam, & bonorum perseverantiam: extinctum peccato Adae voluntatis arbitrium, ac ineluctabili necessitate in exitium compelli; aliaque id genus, quae legi possunt in Prosperi Opusculis, quibus titulus, *Ad Capitula calumniantium Gallorum*, *Ad Excerpta Genuensium*, *& ad Obiectiones Vincentianas*. Quare dum similia nobis obiicerentur, quae in Augustinum & Prosperum olim intorta fuisse certissime novimus, coacti sumus Insimulationibus respondere verbis eiusdem Augustini lib. II. Op. Imp. cap. IX. *Me oportet cum talibus convicia non solum patienter, verum etiam gratanter audire*. Sed nolumus modo cicatrices inflictorum vulnerum confricare, maxime quod exhilarat nos Caelestini Epistola scripta ad Galliarum Antistites, dum huiusmodi iactabantur convicia.

V. Occasio conscribendi Epistolam Caelestini &c.

VI. In hac Epistola ita de Augustino loquitur Sanctus Pontifex: *Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerint, & honori. Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus. Nefas est haec pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari; quamvis moneat hos beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum: universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur.* Legerant ne, vos obsecro, Viri humanissimi, haec Caelestini verba illi e Schola Medistarum Theologi, qui ausi sunt affirmare, S. Augustinum nec valide propugnasse originale peccatum, nec iure huius pec-

VI. Quid in ea Epistola S. Caelestinus scripserit de Augustini doctrina.

 cati

cati poenam appellasse perduellem concupiscentiam, nec Iuliani refutasse argumenta, nec recte de gratia & praedestinatione disseruisse, nec libertatis assecutum fuisse naturam, nec de animarum origine, de operum rectitudine, de perseverantie dono pertractantem iustis se continuisse limitibus, aliaque bene multa effuderunt dicteria, quorum 135. in Augustinianis Vindiciis enumerat, & refellit Cardinalis Norisius?

VII. *Eorum, quae dicta sunt, gravissimum consectarium.*

VII. An legerint, vel non legerint, ipsi videant. Magni momenti, & Theologis attendendam consecutionem ex dictis infero. Dum Caelestinus Augustini Doctrinam commendat, praesertim loquitur de illa, quae in libris *de Correptione, & Gratia, de Praedestinatione Sanctorum, & de Dono perseverantiae* continetur. Ratio apertissima est, quod hos libros, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit Augustinus, ab his de Massiliensium erroribus certior factus, non vero praecedentes editos contra haeresim Pelagianorum, rodebant Semipelagiani, & elevare ac deiicere admitebantur. Immo in his praesertim libris ad Hilarium & Prosperum contineri quidquid *De libero arbitrio, & gratia Dei, Romana, idest, Catholica sequatur, & asseveret Ecclesia*, testatus est Hormisdas in Ep. ad Possessorem, data anno 520. die 3. Augusti. Hinc autem invicte consequitur, quod si in laudatis libris gratuita ad Gloriam praedestinatio, Gratia ex intrinsecis suis efficax, aliaque istiusmodi dogmata expresse comprehenderentur; quisquis illa oppugnare auderet, Fidem & doctrinam Catholicae Ecclesiae temere, & sacrilege conculcaret. Testem appello, non Augustinensem, non Thomistam Theologum, sed Eminentissimum Bellarminum, eximium Societatis Iesu Scriptorem: qui Tom. 4. pag. 249. postremae Venetae editionis inquit: *Sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundo, & tertio adversus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiae, & praedestinationis sententiam tulit, ut iam haec sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiae Catholicae dici debeat.* Quaenam vero Augustini fuerit sententia, non vacat expendere in hisce Exercitationibus, ad Historiam, non ad quaestiones inter Scolasticos adiaphoras, pertinentibus.

De Capitulis Epistolae S. Caelestini ad Episcopos Gallos, subiectis.

CAPUT III. I. BEATI Caelestini Epistolae ad Venerium, Marinum, Leontium, aliosque Galliarum Episcopos, de qua supra instituimus dissertationem, subnectuntur decem Capitula, sive Ecclesiasticae Definitiones, de quibus ambigitur, num Caelestini sint, num Leonis Magni, num Prosperi. Comprehendunt eadem Capitula

lata

lata adversus Pelagianos ab Innocentio, Zosimo, & plenaria Synodo Carthaginiensi decreta, necnon 6. loco expressam Semipelagianismi condemnationem, postremo autem ac decimo monitum saluberrimum, ne profundiores & difficiliores incurrentium quaestionum partes aut contemnantur, aut adstruantur. Quoniam vero non videntur excusari posse Viri sanctissimi, qui Semipelagianismo adhaeserunt, ut Vincentius Lirinensis, & Hilarius Arelatensis Episcopus, neque ii laudandi Theologi, qui de Sanctorum praedestinatione, & divinorum auxiliorum efficacitate sollerter inquirunt, si praelaudata Capitula tribuenda sint Caelestino, & profundiores quaestiones sint, quas modo commemoravi; operae pretium est haec duo revocare ad examen, primum nempe an Capitula Caelestino sint adscribenda, alterum quaenam sint quaestiones illae profundiores.

II. Adscripsere itaque Caelestino decem commemorata Capitula Petrus Diaconus in Epistolis ad Episcopos in Africa exules, scriptis an. 520. Dionysius Exiguus in Canonum collectione, ubi Caelestini Decreta partitur in 22. titulos, quorum priores tredecim Capitula, de quibus agitur, complectuntur, Compilator Collectionis Hispanicae, & Isidorus Mercator; Florus Diaconus in opere, quod nomine Lugdunensis Ecclesiae lucubravit adversus Scotum Erigenam; Hincmarus Remensis in lib. de Praedestinat. cap. 21. & seqq. Lupus Abbas Ferrariensis in Collectaneis, S. Remigius Lugdunensis Episcopus lib. de tribus Epistolis cap. 23. aliique a Cardinali Norisio, a Paschasio Quesnello, & a Petro Constantio laudati. Verum hi omnes, cum vel Canones indiscriminatim colligerent, vel decreta simul congesta non secernerent, vel definitionum, quae ubique receptae iam erant, priorem originem non explorarent; nec valere plurimum aestimarunt ad hanc quaestionem dirimendam, nec potuerunt efficere, quin eruditissimi viri manibus pedibusque in sententiam abirent oppositam.

II. Qui eadem Capitula adscribant Caelestino.

III. Etenim Caelestino subnexas illas Definitiones abiudicarunt Ioannes Vendelestinus; qui Moguntiae edidit Codicem Canonum & Decretorum Pontificiorum, necnon Conciliorum Editores Crabbius, Surius, Labbeus, Baronius ad annum 431. Franciscus Suarez prolog. 6. de Gratia, Iacobus Sirmondus Tom. 1. Concil. Galliae, Gerardus Vossius lib. 1. H. P. cap. 3. Elias Dupin in Biblioth. Quesnellus dissert. 5. in Opera S. Leonis Magni, Hiacynthus Serry in Augustino Vindicato cap. 9. Norisius cap. 8. Vindiciarum, quos nisi aliorum suffragium accederet, credo ad hanc quaestionem finiendam sufficere, cum & eruditissimi sint, & illam data opera exagitaverint.

III. Esse Caelestini, qui negent.

IV. Sed ne dicamur a sciolis imperitisque multitudinem insequi, a recta aberrantem, & in deteriorem partem deflectentem, quasi more animantium brutorum, addimus tantum virorum calculis gravissima rationum pondera. Ac primo nos movet, quod cap. 2. Epistolae verbis istis concluditur: *Quod ita demum probare poterimus, si impo-*

IV. Vera sententia demonstratur.

posi-

posito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessabit. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Quibus sane verbis epistolam absolvi nemo unus non videt. Deinde subiectarum Definitionum nulla in eadem Epistola occurrit mentio, neque illas a se mitti, a se proponi, a se probari Caelestinus affirmat; quod non obscure demonstrat praedictas definitiones fuisse aliena manu subnexas. Praeterea non praesefert Romani Pontificis maiestatem quod legitur Capitulo primo, *Magistris nostris, tanquam modum excesserint, obloquuntur*: neque enim prima Sedes, & veritatis oraculum, alios tanquam magistros ac praeceptores suspicit & veneratur. Insuper S. Prosper lib. adversus Collatorem cap. 10. Semipelagianam haeresim oppugnat ex Epistolis Romanorum Pontificum Innocentii, ac Zosimi, nulla facta istorum Capitulorum mentione, in quibus cap. 6. expresse eadem haeresis proscribitur & damnatur hac definitione. *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit; quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Quae verba, si Caelestini forent, cur ea non protulisset S. Prosper, veluti clariora, & efficaciora, atque litem penitus dirimentia, cum longe expressius damnent Cassiani opinionem, quam epistolae Innocentii vel Zosimi? Petitum est hoc argumentum e dissertationibus Norisianis; in quibus & additur, ab haeretica labe nullo pacto purgari posse Ioannem Cassianum, Faustum Reyensem, Hilarium Arelatensem Episcopum, Vincentium, ceterosque Monachos Lirinenses, si praecitata Capitula ab Apostolica Sede emanassent.

V. *Praenarrata Capitula esse Prospero attribuenda.*

V. Cum vero Capitula ipsa Caelestino perperam adscribentur, quemadmodum demonstratum est hactenus; quo auctore concinnata, & edita existimabimus? A Leone Magno compacta, dum fungens munere Diaconi Caelestino Pontifici adfuit rerum Ecclesiasticarum minister, opinatur praecitata dissert. Quesnellus. Verum, ut ratiocinatur doctissimus Petrus Constant, si Leo tanquam Caelestini administer definitiones illas elucubrasset, ipsi Pontifici Caelestino, adhuc essent attribuenda, cum usu veniat, ut qui aliquid facit alterius auctoritate, id non sibi, sed ei, qui praecipit, soleat adscribere; ideoque opinio Quesnelli singulis momentis paullo antea productis excutitur, & exsufflatur. Attribuenda sunt itaque ea Capitula, ut sentiunt alii praeter Quesnellum, S. Prospero Aquitano, qui istiusmodi definitionibus paucis perstrinxit, quidquid contra Collatorem fusiori lucubratione tractaverat, ut dum Augustinianae doctrinae oppugnatores obiecta quaedam, absona, & damnabilia summatim constricta spargebant, iis Orthodoxi quidam articuli, eadem brevitate contexti ab Augustini discipulis opponerentur. At de Capitulis complexe, & coacervatim dictum satis: ad postremum animum, Auditores, advertite.

VI. Con-

VI. Concipitur illud istiusmodi verbis: *Profundiores vero, difficiliores que partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis obstiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.* Inferunt hinc nonnulli disputationi Theologorum, ex definitione Caelestini, permitti in utramque partem trahenda, quae de praedestinatione, & gratia, Augustinus disseruit. Sed qui ita sentiunt, caecutiunt, aberrant a veritate, & quamfacillime refutantur. Ac principio non est cur Caelestini auctoritate, dum ab Augustino se discedere profitentur, muniant seipsos, quando & ea verba Caelestini non esse compertum est, & idem Caelestinus amplissimis laudibus prosequitur Augustini doctrinam. Ad haec incurrentes quaestiones non sunt illae, quae in libris ad Hilarium & Prosperum data opera Gratiae propugnator pertractat, sed quae incidenter solummodo attinguntur; siquidem teste Hormisda, & Bellarmino fatente, quae de Gratia & libertate in libris traduntur, non privati doctoris, sed Catholicae Ecclesiae doctrinam continent; & ipse Augustinus de dono persev. cap. 9. ita de sua sententia locutus est: *Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Haec Augustinus tanta confidentia, tanta animositate locutus, si fas esset traditam ab illo praedestinationem oppugnare, nonne modum excessissent? nonne Massilienses impune fuissent oppositae sententiae addicti? non ne immerito reprehenderentur a Caelestino?

VI. *De postremo capitulo.*

VII. Quaenam sunt itaque incurrentes illae quaestiones? Sunt illae, de quibus S. P. Augustinus lib. III. ad Bonif. cap. 8. inquit: *Cum Pelagiani his, atque huiusmodi veritatis testimoniis, & vocibus urgeantur, immittunt aliarum nebulas quaestionum, de laude creaturae, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude Sanctorum.* Sunt consimiles illi de qua cap. 10. eiusdem libri ait S. Pater: *Addunt sane ad latebrarum suarum nebulas Pelagiani de Origine animae non necessariam quaestionem;* & Episcopi in Sardinia exules ep. 15. ad Fulgentium, *Quaestionem vero animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare.* In his quaestionibus, non autem in propugnanda Augustini sententia, caute ac temperanter procedendum est disputantibus de praedestinatione, & de gratia. Attamen, ut hoc gratis elargiamur Augustini adversariis, sint ea Capitula Caelestini, permittatur unicuique Augustino adhaerere, ab Augustino recedere. Quid de quaestionibus illis dictum putant a Caelestino? *Sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.* Iure itaque petimus, ut qui adstruere nolunt, contemnere saltim non audeant.

VII. *Quaenam sint quaestiones in eo Capitulo laudatae.*

Oc-

Occasione praecedentis lectionis calumnia nuper illata Cardinali Norisio exsufflatur.

CAPUT IV. I. PRAECEDENS de Capitulis, seu Definitionibus Epistolae S. Caelestini Pontificis ad Galliarum Episcopos subnexis, Exercitatio, me vel invitum compellit ut iniquam, horrendamque calumniam, nuper Clarissimo Norisio conflatam, iure quodam necessitudinis, affinitate doctrinae, & veritatis amore perstringam. Intelligetis statim de qua iniuria, & insimulatione verba faciam; illius namque narrationem, & confutationem aggredior, neque ab aetate Caelestini ad hanc nostram portentoso saltu descendo, dum ea persequor quae eiusdem sunt argumenti, eamdemque causam respiciunt.

II. *Notantur Obtrectatores Norisii.* II. Quicumque Norisium norunt (norunt autem omnes de litteraria republica benemeriti) haud ignorant quot machinationibus & dolis illius adversarii attentaverint, ut probroso Ianfenianorum nomine ubique gentium traduceretur. Testantur id Brunonis Neusser, & Fulgentii Risbrochii dicteriis nugisque plenissima Commentaria, necnon Parallela Scrupuli, Palinodiae, Germanitates, aliaque id genus complura, aut suppresso, aut ficticio nomine, a nebulonibus consarcinata. Vtinam vel ei collata Vaticanae Purpurae decora, vel saltim illius obitus malignantium ora obstruxissent, impudentissimasque linguas froenasset! Sed tanta est veterum odiorum acerbitas & pertinacia, ut paucis abhinc anuis primum in libello inscripto, Theses Norisianae, deinde in Bibliotheca Ianseniana, tum in Epistolis larvati Doctoris Sorbonici, ac tandem in libello Hispani Philalethae ad Philalethem Romanum, recoctam veterem crambem non absque stomacho probi quique viri mirenter. Sed quoniam & nostrates, & alii doctrina percelebres nobis honesto foedere coniuncti insimulationes reliquas comtriverunt, nec aut Philalethis, aut Doctoris Sorbonici, aut Scriptoris Hispani, turgida & sonantia vocabula efficere potuerunt, quin maleferiatas lucubratiunculas illas Romana Curia proscriberet; in exagitando postremo Opusculo ementitis typis Hispalensibus labente superiori anno 1751. in lucem edito, versabimus aliquantulum.

III. *Philalethis Hispani princeps Cavillatio.* III. Philalethes Hispanus (melius Philopseudum appellaverimus) in Cardinalem Norisium invehitur, quod cap. 8. Vindiciarum, ut vindicaret ab Haeresis nota Vincentium Lirinensem, Hilarium Arelatensem Episcopum, inquit Capitula decem Epistolae Caelestini subiecta, in quibus expresse Semipelagianismus damnatur, negaverit esse attribuenda, hac valida ratiocinatione: *Si Capita illa essent Caelestini, & ab Apostolica Sede emanassent, non video qua ratione Faustus Reiorum, Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis Episcopus (si in*

in sententia praestitere) ac alii Galliarum Episcopi ab haeresi excusari possint, ac inter Divos erectis Aris connumerari. Validam hanc ratiocinationem Norisii appellavi. Cum enim Galliarum Episcopi ignorare non possent Epistolam Caelestini, non ad Indos, non ad Sarmatas, non ad Antipodas datam, sed ad seipsos; si decreta Semipelagianismum damnantia pars essent epistolae eiusdem, annon Semipelagianismo adhaerentes estimandi forent damnatae haeresis assertores, ac violatores Pontificiorum decretorum, nullo ignorantiae praetextu excusandi? Optime ergo Norisius sanctitati & famae Episcoporum Galliae, & Lirinensium Monachorum consuluit, negando Capitula esse ab Apostolica Sede emanata, & sequutus iudicium, non Photii tantum, & Vossii, quos laudat, sed & Iacobi Sirmondi, & Francisci Suaresii, & Cardinalis Baronii, & Philippi Labbei, & aliorum complurium, quos superius laudavi, imperitus autem, aut callidus Sycophanta, ut in solum Norisium conflet calumniam, altissimo silentio praeteriit.

IV. At versutus insimulator: *Norisius, inquit, dum ea Capita Caelestini fuisse pernegat, Innocentii tamen, Zosimi, ac Synodi Carthaginensis esse concedit. Num solum Caelestini, an etiam Innocentii, Zosimi, & aliorum Pontificum decreta idem praestant? Si praestant; sive Caelestini, sive Innocentii, ac Zosimi sint, haereseos nota sanctis illis Viris per Norisium inuritur. Si vero hunc inter, aut illum Romanum Pontificem nonnihil interesse dicis, neque parem in omnibus docendi auctoritatem agnoscis, a Catholicae Ecclesiae sententia discedit.* Tantum hac sibi plaudit cavillula Insimulator, ut ita Romanum Philalethem compellat: *Quid est Philalethes? non dubito quin sentias, te in id loci esse redactum, ut qua effugias, nescias prorsus. Quid statuis, quid decernis, quis evidentius affinxit?* IV. *Altera Philalethis obiectio.*

V. Verum notate hominis audaciam, frontemque perfrictam. Non inquit Norisius, ea Capitula esse Innocentii, vel Zosimi. Minime. Ait, S. Prosperum ad refutandum Collatorem producere cap. 10. testimonia Innocentii, & Zosimi, non Caelestini: *S. Prosper*, inquit, *contra Collatorem probaturus bonarum voluntatum initia Dei inspiratione generari, adducit testimonia Innocentii, Zosimi, & Concilii Carthaginiensis; eadem omnino quae Caelestini litteris adjuncta leguntur: At si illa decem Capitula Caelestini fuissent, cur non illa protulisset Prosper, veluti clariora, efficaciora, & ex toto litem dirimentia?* Profecto non ait accuratissimus, doctissimusque Norisius, memorata Capitula esse aut Innocentii, aut Zosimi, aut Synodi Carthaginensis, sed ait, in his legi Innocentii, Zosimi, & Synodi Carthaginensis testimonia, atque eadem omnino, quae S. Prosper producit adversus Collatorem cap. 10. Et revera in iis Capitulis praedicta testimonia leguntur, sed plura addidit eorumdem Capitulorum artifex, praesertim cap. 6. quo damnatur Semipelagianismus, in quo ea verba: *In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor, & pro-* V. *Detegitur eiusdem Philalethis requitia.*

tector orandus est, sunt Zosimi; sed quae proscribunt Semipelagianismum, ac definiunt, *omnem motum bonae voluntatis ex Deo esse*, non sunt Zosimi, sed eius, qui definitiones illas conscripsit. Sed quid nugacissimas nugas moramur, quando Norisius praecitato cap. 8. Vindiciarum, Baronio & Suaresio subscribens, putat ea Capita a Prospero esse conflata, idque variis conjecturis evincit: ideoque splendidissimum est, bullatumque mendacium, eadem Capita censeri ab erudito Norisio aut Innocentii, aut Zosimi, aut Synodi Carthaginensis?

VI. *Altera eleditur objectatio.*

VI. Urget lepidissimus Philalethes Hispanus, iuxta Norisium clare & evidenter in Apostolicis illis Decretis damnari haeresim Semipelagianam, nec praelaudatos Viros sanctissimos posse ex ignorantia excusari, siquidem Episcopi tenentur scire Canones Ecclesiasticos, ac proinde ignorantia eorumdem Canonum est in illis culpabilis. Sed oh Tergiversatorum vaferrimum! qui rursus appellat Decreta Apostolica Capitula a Prospero concinnata, atque ait, aetate Caelestini fatente Norisio Semipelagianorum haeresim fuisse damnatam; quando Norisius lib. II. H. Pelagianae cap. 23. atque alibi passim affirmat, post Concilium duntaxat Arausicanum celebratum anno 429. Semipelagianas assertiones fuisse perspicue, & absque ulla ambiguitate proscriptas.

VII. *Principium, cui reliqua Philalethis convicia superstruuntur.*

VII. Plura denique convicia Philalethes in virum praestantissimum iaculatur, lib. II. Hist. P. cap. 10. & 11. appellat Semipelagianos cum Prosp. *audaces, iniuriosos in Augustini Doctrinam, petulantes, insidiosos*, adde, si lubet, *hypocritas, lupos, calumniatores*. Hinc tali arrogantia in Vindicem Norisianum debacchatur: *Parum itaque Norisio fuit, quod Gallicanae Ecclesiae primatem Hilarium ad coetum Semipelagianorum, nisi etiam ad hypocritarum, luporum, & calumniatorum gregem detruderet? Et adhuc scriptorem hunc post tot in Divos maledicta, & contumelias, praedicas innocentissimum?*

VIII. *Demonstratur eorumdem conviciorum temeritas.*

VIII. Profecto, etsi natura, & ingenio mitissimos vos esse non dubito, aequo tamen animo hanc pati procacitatem non credam. Nam si illa in Semipelagianos maledicta sunt Prosperi, atque a Norisio fidelissime referuntur, cur, non in Prosperum, sed in Norisium procax insectatur, irascitur? Deinde quemadmodum Prosper coloribus utique tetris & nigerrimis Semipelagianos universim pingit; Sed Hilarium Arelatensem, & quosdam alios, in Epistola ad Augustinum vocat *Sanctos honoribus & meritis claros, & egregios in omnium virtutum studio viros*; ita Norisius lib. II. H. P cap. 11. Hilarium, Cassianum, Faustum, Vincentium laudat summopere, & Arelate, Massiliae, & apud Reios, ut Sanctos coli testatur, iisdemque allata modo Prosperi oencomia convenire fatetur. Calcat ergo ubique vestigia Prosperi, &, si alicubi indiscriminatim locutus Semipelagianos proscindit, hos tamen nominatim laudibus cumulat & exornat. Pessime autem, & contra Dialecticae regulas ratiocinatur, qui ait: Semipelagiani audaces, insidiosi, & in Augustini doctrinam iniuriosi fuerunt,

runt: Igitur & talis fuit Hilarius Arelatensis, quoniam Semipelagianis adhaesit; multitudinis quippe vitio non omnia individua contaminantur & labefiunt. Detrahunt Augustino Medistae: nunquid & Suaresius? Propugnat praedestinationem ex meritis: nunquid & Berlarminus? Certant pro opinione probabili: nunquid & Thyrsus Gonzales? Agunt causam Sinensium rituum; nunquid & Episcopus Claudiopolis? Sed piget diutius in homine insanissimo refellendo tempus conterere.

De haeresiarcha Nestorio.

CAPVT V.

I. VINDICATA superiori Capite adversus Philalethem Hispanum sententia Cardinalis Norisii de quibusdam Semipelagianis sanctitate conspicuis, & de auctoritate Definitionum, quae Epistolae Caelestini ad Gallicarum Episcopos subiiciuntur, priusquam accedamus ad ea enarranda, quae idem Pontifex Caelestinus adversus Nestorianam haeresim Pastorali sollicitudine, & Apostolicae fidei zelo, opera, scriptisque peregit, necessarium atque opportunum existimamus praemittere Nestorii notitiam, ipsius aetatem, dogma, scriptaque recensentes.

II. *Quando Nestorius promotus sit ad Episcopatum Constantinopolitanum, & quandiu vixerit.*

II. Ad Nestorii aetatem quod spectat; posteaquam in Vrbe Syriae *Germanicia*, sita in Patriarchatu Antiocheno, & Ptolomaeo *Adata*, alius *Mercez* dicta, in hanc mortalem lucem genitus fuerat, postea quam in monasterio S. Euprepii posuerat monasticae vitae rudimenta, ac sub Diodori Tarsensis disciplina mediocriter doctus, & aliquantulum facundus evaserat, primum Antiochenae Ecclesiae presbyter, deinde Constantinopolitanae Episcopus, opera Theodosii Iunioris fuit renunciatus. Evectum Nestorium ad postremam hanc dignitatem anno V. E. 430. contendunt nonnulli apud Dupinium, & Caveum, autumantes Atticum Sisinnii praecessorem obiisse anno 427. Sisinnium vero anno 429. excunte, tum vero post tres menses Nestorium Antiochia Constantinopolim accersitum, sacrisque infulis exornatum. At scribente Socrate lib. VII. Hist. Eccl. cap. 29. *Ordinatus est* Nestorius *quarto Idus Apriles*, *Felice & Tauro Coss*. & Consulatu Felicis in *Occidente*, & Tauri *in Oriente* ad ann. 428. in Fastis adscripto; hoc anno, die Aprilis 10. Nestorii consignanda est consecratio. Neque Atticus e vivis sublatus est an. 427. *Sed Theodosio Aug. undecies*, & *Valentiniano Caesare Coss*. VI. Idus Octobres, teste eodem Socrate lib. VII. cap. 25. ideoque decessit Atticus 10. Octobris die, anno Christi 425. decimoseptimo Theodosii. At non fuit diuturnus Nestorii Episcopatus, nec vita tranquilla. Nam in Ephesina Synodo celebrata *Antiocho*, & *Basso Coss*. anno scilicet 431. ex Episcopali Sede deiectus, atque a Theodosio relegatus Petras Arabiae urbem, tum

ex Antiochiae suburbanis expulsus, & Ibin civitatem Lybiae profectus, tandem Panopolim Thebaidis oppidum se contulit, atque circa eiusdem Thebaidis fines errabundus, post vitam despectissimam ac miserrimam, terrae allisus, & erosa vermibus lingua, circa annum 440. sceleratam efflavit animam.

III. *Quid cavillentur defensores Nestorii.*

III. Indignantur Nestorii defensores apud Dupinium, Basnagium & Petrum Bayle, dum illius animam dicimus *sceleratam*. Siquidem Nestorii doctrinam Orthodoxam esse, nec a Cyrillo intellectam existimant, in Ephesina Synodo omnia tumultuarie, & praeter canones gesta putant; Theodosium ad relegandum Nestorium, huic adversantium dolis compulsum fuisse iactitant; & quae de miserando illius exitu circumferuntur, commentum esse illorum, qui omnes doctrinae Romanensium oppugnatores fuisse a daemone praefocatos, fracto gutture, putrefactis visceribus, aut intestinis effusis periisse, popello venditant, ac suadent. Miramur nos, huius farinae homines illam quoque Nestorii pietatem atque solicitudinem summopere non commendare: qua in priori concione, coram universo populo ita allocutus est Theodosium, Δός μοι, ὦ βασιλεῦ, καθαρὰν τὴν γῆν τῶν αἱρετικῶν, κἀγω σοὶ τὸν οὐρανὸν ἀντιδώσω συγκάθελε μοὶ τοὺς αἱρετικοὺς, κἀγὼ συγκαθελῶ σοὶ τοὺς πέρσας, idest, *Da mihi, Imperator, terram haereticis purgatam, & ego tibi coelum retribuam. Mecum haereticos debella, ego Persas tecum debellabo*. Socr. cit. Cap. 29.

IV. *Nestorii defensores perstringuntur.*

IV. Verum, ut interim mittam Ephesini Concilii, & S. Cyrilli defensionem, nec modo in dogmatis Nestoriani confutationem stilum animumque convertam, quis ignorat ab uno haeretico alterum oppositae sententiae insectari, a Nestoriano Eutychianum, a Pelagiano Manichaeum, ab Arminiano Praedestinarianum, Socinianum a Calvinista, atque ita de sectis universis loquendo? Quis ignorat, Nestorium, ut subverteret Arianorum Ecclesias, quinto post ordinationem suam die, tam imprudenter ignem iniecisse, ut contiguas etiam domos incendium absumpserit, eumque, non haeretici tantum, verum etiam eiusdem fidei cultores appellaverint *Incendiarium*? Quae vero diximus de Nestorii misertimo exitu, traduntur quoque ab Evagrio lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7. his verbis: *Scriptorem quemdam legi de illius morte narrantem, eum lingua vermibus erosa ad graviora, & sempiterna migrasse supplicia*. Sane quae alicuius testimonio corroborantur, neque ullo opposito refelluntur, quamvis certissima non sint, nequeunt tamen falsa & conficta ab adversariis existimari. Iam vero Nestorianum dogma explicemus.

V. *Describitur dogma Nestorianum.*

V. Una cum Nestorio Antiochia Constantinopolim profectus fuerat Anastasius presbyter, cuius consilio in rebus gerendis Nestorius ipse utebatur. Hic igitur Anastasius, cum in Ecclesia populum instrueret, haec protulit Graecorum lingua, Θεοτόκον τὴν Μαρίαν καλείτω μηδείς, Μαρία γὰρ ἄνθρωπος ἦν ὑπὸ ἀνθρώπου δὲ Θεὸν τεχθῆναι,

ται, ἀδύνατον, quae ita Latine sonant, *Nemo Mariam vocet Deiparam. Maria enim homo fuit. Ex homine autem Deus nasci non potest.* Quid tum adstans multitudo fidelium? Conturbari omnes, tumultuari, asserere, oportere Christum Deum confiteri, & nullatenus a divinitate seiungendum ob susceptam humanae salutis dispensationem. Nestorius tamen presbyteri sui impiam haereticamque doctrinam confirmans, ipsemet de hac controversia in Ecclesia disseruit, & vocem Θεοτόκος, *Deiparae* perpetuo reiiciendam esse dogmatizavit. Haec narrans lib. vii. cap. 32. Socrates videtur quodammodo Nestorium excusare, quasi non animi pravitate erraverit, sed ignorantia. *Mihi quidem videtur* (ait Socrates) *Nestorius nec Paulum Samosatensem, nec Photinum imitatus: neque omnino nudum hominem Christum dicere. Sed solam* Deiparae *vocem veluti larvam quamdam reformidat. Idque illi ex gravissima contigit imperitia. Cum enim naturali facundia esset praeditus, eruditus quidem videbatur, revera tamen erat indoctus.*

VI. *Socrates refutatur.* VI. Pace tamen Socratis, si Nestorius imperitia, non animi perversitate peccavit, si Christum nudum esse hominem nequaquam asseruit, si Domini non ausus est negare divinitatem; cur a Caelestino Romano Pontifice, cur a Cyrillo Episcopo Alexandrino, ac postremo ab Ephesinis Patribus edoctus, reprehensus, damnatus, errori addidit pertinaciam, quae reddit notam haereseos inexpiabilem? Atque, ut quisque interim percipiat, crediderit Nestorius, necne, Christum hominem, non Deum, sat est ipsum audire, dum velitationibus habitis cum Cyrillo, ceterisque Episcopis eo tempore, quo propter absentiam Orientalium differebatur Ephesina Synodus, coram omnibus in haec blasphema verba prorupit: *Ego eum, qui bimestris, ac trimestris extitit, Deum appellare non possum:* quae cum ipse Socrates referat eodem lib. vii. cap. 34. nulla ratione sibimet constare reprehenditur, asserenti praecitato capite 32. Nestorium non dicere τὸν Κύριον ὅλως ψιλὸν ἄνθρωπον, *Dominum omnino nudum, ac simplicem hominem.*

VII. *Agitur de Scriptis Nestorii.* VII. At de Nestoriano dogmate rursus pertractaturus recenseo in parte huius praelectionis extrema haeresiarchae scripta, quae pervenerunt ad posterorum notitiam. In tertio Conciliorum Volumine, inquit Vil. Caveus, continentur duae Nestorii Epistolae a Mario Mercatore latinitate donatae, quarum una data est *ad Caelestinum Pontificem*, altera *ad Caelestium* haereticum Pelagianum, quem profugum a Nestorio susceptum fuisse alibi enarravimus. Apud Baronium tamen ad annum 430. Baluzium & Labbeum in Collect. Concil. Garnerium I. p. Operum Mercatoris, & Petrum Coustant in Epistolis Rom. PP. exstant Nestorii Epistolae duae ad Caelestinum, pertractantes de Iuliano, Floro Orontio, ceterisque Episcopis Pelagianis. Edidit praeterea Nestorius *Duodecim Anathematismos*, quos opposuit Anathematismis Cyrilli; de quibus loco opportuniori disseremus. Scripsit item Ser-

Sermones complures, quorum *fragmenta* a Petro Notariorum primicerio oblata fuerunt Patribus Ephesinis diiudicanda. Ad haec Evagrius Scholasticus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7. testatur selegisse *librum Nestorii*, in quo de rebus ad seipsum spectantibus prolixe agit, laudatque etiam Nestorii litteras ad *Praesidem Thebaidis*, discrimina, aerumnas, exsilumque suum enarrantes. Habetur & apud Renaudotium inter Liturgias Orientales *Liturgia Nestorii*, quae an ab illo, an ab aliquo Nestoriano edita fuerit, definire non ausim. Testatur denique Gennadius de Script. Eccl. cap. 52. Nestorium composuisse *infinitos Tractatus diversorum argumentorum*. Sed cum Nestorius ob dicendi facultatem arrogantia elatus libros Veterum Interpretum nunquam legere dignaretur, & seipsum reliquis omnibus praeferret, quemadmodum lib. VII. cap. 32. fatetur Socrates; cuncta Nestorii scripta verborum quidem delectu, & rethoricae locutionis pompa & ornatu prurientibus auribus non molesta, sed vanida, futilia, & sapientiae, ac rationis pondere destituta fuisse, nullus dubitat.

Nestoriana dogmata paullum accuratius explicantur.

CAPUT VI. I. EX quo Nestorius sanctissimam Dei Genitricem non θεοτόκον, sed *Christotocon* dixerit esse appellandam, atque in hac impietate asserenda illius haeresim sitam esse Historici tradant omnes, idque nos etiam superiori Exercitatione affirmaverimus, Viri ornatissimi, minime consequitur eam duntaxat effutiisse blasphemiam. Enimvero ut unus catenae anulus trahit alterum, & venenatorum anguium simul complicatae sunt caudae, ita ex una haeresi alia necessario nexu consequitur; ac saepenumero diversa errorum capita nodo uno extremis partibus colligantur. Quamobrem constitui in praesenti historica narratione explicare, qua ratione Nestorius negaverit Dominicae Incarnationis arcanum, oppugnaverit Salvatoris nostri Divinitatem, & unum Emmanuelem in duas personas distinxerit, ex quibus, tanquam ex impuro fonte turbulentus rivulus, promanat horrenda ea consecutio, Mariam non esse Θεοτόκον.

II. *Quod Nestorius oppugnaverit mysterium Dominicae Incarnationis.*

II. Nostis Oeconomiae mysterium duas *usias*, naturasve complecti, eadem subsistentes hypostasi, adeo ut cum utriusque substantia, Dei & hominis, unica sit personalis proprietas; & Dei Filius illarum duarum naturarum (ut Ecclesiae utar phrasi, nec divisionem passus, nec permixtionem, utramque trahat ad propria iura, & unus idemque, modo divina operetur, modo patiatur humana. Quid autem Nestorius? Duas in Christo naturas ita a se mutuo separatas, & distractas esse autumabat, ut utraque subsisteret propria hypostasi; neque

unius

unius appellationes ac proprietates alteri convenirent, nec Deus dici posset natus Virgine, & passus, nec homo Vnigenitus Dei Filius; nulla alia inter Deum hominemque admissa unione, quam caritatis atque benevolentiae. Repudiato enim ἑνώσεως seu unitionis nomine, solam in Christo admittebat *divinitatis societatem*, quam appellabat συνάφειαν: & hanc modo vocabat unitatem *dignitatis & auctoritatis*: modo illam, *qua duae personae affectu & voluntate copulantur*: modo *secundum honoris consortium & beneplacitum*; modo *propinquitatis & amicitiae*, nunquam vero unionem aut naturalem, aut physicam, aut hipostaticam. Quae, si quis vestrum cupiat luculentius exposita, adeat egregium Opus Theol. Dogmat. Dionysii Petavii lib. III. de Incarnat. cap. 3.

III. *Ostenditur, qua ratione Nestorius Scripturarum verbis abutibatur.*

III. Profecto ad hypostaticam unitionem oppugnandam abutebatur impius haeresiarcha auctoritate divinarum Scripturarum, ac Patrum; opponebatque Christi Corpus dici *Tabernaculum* Psalmo II. 10. *Templum* Ioan. II. 9. *Habitum* ad Philippi II. *Vestimentum* Apocalypsis 19. 16. quasi nulla sit unio assumptae carnis cum Dei Verbo, nisi ea, quae reperitur inter habitatorem ac domum, vel inter corpus & indumenta: addebatque perfectam non esse naturam, quae careat proprietate sua personali; ideoque hanc in humana Christi natura adinveniri. Quae omnia quid efficiant ad trutinam revocavimus in Theologicis Lucubrationibus lib. XXVI. cap. 13. modo autem commemoramus tantummodo, ut cuique vestrum persuasum sit, oppugnatum denegatumque fuisse a Nestorio Dominicae Dispensationis Mysterium.

IV. *Oppugnatam a Nestorio Verbi facti hominis divinitatem.*

IV. Sublatam quoque ab haeresiarcha, & nomine tenus, non intimo sensu, assertam Reparatoris nostri divinitatem, quidquid obganniant recentiores quidam Heterodoxi, locupletissima monimenta testantur. Principio enim, ut colligimus ex Anathematismis Cyrilli, Nestorius Christum, non Deum, sed Deiferum appellabat, commiscens ita quoque vocatum a Magno Basilio, de Sp. S. ad Amphilochium: quamquam Basilius non Christum Deiferum, sed σάρκα θεοφόρον, Carnem Deiferam dixit, eo vocabulo non Incarnati Verbi personam significans, sed ab illo assumptam naturam hominis. Deinde, auctore Cassiano lib. II. de Incarnat. cap. 6. exponebat Nestorius verba Apost. ad Titum, *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*, non de gratia cum ipso nata, sed postea ei illapsu divinitatis infusa: asserebat enim nominari Christum, quod nobiscum ἀνθρωπίνως *humanitus* fuerit unctus, idest, Spiritu Sancto perfusus quando super illum in Columbae specie descendit, huc detorquens quae leguntur in Ps. 45. *Praeterea unxit te Deus &c.* quae licet Hieronymus, aliique Baptismati Christi applicaverint, quoniam tunc Dominus missus est evangelizare pauperibus, & Messiae officium coepit exercere; Nestorius tamen interpretabatur de unctione & unitione divinitatis, non de ministerio, de exercitio, de officio praedicationis. Praeterea impius Nestorius, teste Cyrillo lib. II. adver-

adversus eumdem haereticum, aiebat perinde Christi nomen Redemptori nostro congruere, ac Cyro Persarum regi, qui *Christus* nuncupatur ab Esaia, quasi non alia ratione fuerit Dei Messias, nisi quia Dei compleverit voluntatem. Propugnavit insuper Nestorius Teodori Mopsuesteni, cuius propinante Theodoro Tarsensi institutore suo, venena imo pectore hauserat, doctrinam pestilentissimam; ut in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum inquit praelaudatus Cyrillus: eaque asserta, *Dementia est Deum ex Virgine natum dicere: Impium est Dei Filio tribuere secundam ex femina generationem: non invidendum Christo quod Deus factus sit, quod & nos, si velimus, fieri similes valeamus: Ignorantia Dominus laboravit, coepitque paulatim virtutum, & sapientiae incrementa*; ea, inquam, asserta aeque in scriptis Theodori Mopsuesteni, & Nestorii passim occurrere, Petavius, aliique viri eruditi, accuratissima collatione demostraverunt.

V. *Refelluntur defensores Nestorii.*

V. Abeant ergo in malam crucem Heterodoxi illi Vindices Nestorii, qui hunc optime sensisse de Christi divinitate contendunt, quod non semel fassus sit, esse illum Deum, Dei Filium, Dei Unctum, Dominum, Emmanuelem. Id quidem fatebatur Nestorius, sed Deum appellatione, non substantia; filium adoptione, non natura; unctum ministerio, non generatione; dominum collatione potestatis, non dignitatis origine; Emmanuelem habitatione Dei in homine, non hypostasis unitate: dicam verbo quemadmodum de Moyse legimus in Exodo cap. 7. *Constitui te Deum Pharaonis*: & de Principibus Ps. 81. *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*, & 46. *quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt*.

VI. *Ostenditur Christum a Nestorio in duas personas fuisse divisum.*

VI. Melius, quae hactenus dixi, percipientur ex tertio Nestorianorum errorum capite, quod attinet ad distinctionem duarum in Christo Domino personarum. Quam distinctionem asseruisse Nestorium, testantur S. Cyrillus in Epistolis ad Succensum, & ad Acacium, atque in Commonitorio ad Eulogium, Facundus Harminianensis lib. III. Def. trium Capitulorum, & Ioannes Cassianus lib. II. de Incarnat. qui tradunt Diodorum Tarsensem ex Macedoniano & Pneumatomacho Catholicum factum, in aliam postea labem incidisse, *ut alterum, ac separatum crederet esse filium, e Davidis semine genitum a beata Virgine, alterum item, seorsim filium ex Deo Patre Verbum, ita ut unum Christum simulate professus; hoc nomen proprie conferret in solum a Deo Patre genitum Verbum, & Unigenitum filium: cui, veluti gratiae loco, adiunctum ex Davidis stirpe alterum, eatenus appellaret filium, quod cum vero filio copulatus esset, non vera, & proprie dicta unitione, sed ea tantum, quae in dignitatis, auctoritatis, & honoris communione consistit*, in eamdemque haeresim abreptum discipulum Theodori Nestorium. At opus non est ad testimonia confugere, quando ante omnium oculos versatur septimus Nestorii ana-

the-

thematismus: *Si quis hominem, qui in Virgine creatus est, hunc esse Unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est; .... anathema sit*. Nec aliter sentire potuit Nestorius, qui naturae nomine nihil aliud significari putabat, quam singularem & existentem suamet proprietate substantiam, quam Graeco Sermone *hypostasim*, Latino *personam*, Scolastico *Suppositum* nominamus.

VII. Solvitur defensorum Nestorii obiectio.

VII. Qui autem Nestorio patrocinantur, opponunt nobis illius verba, quibus expresse Christum unum Dei Filium, & una adoratione colendum esse fatetur. Verum haec valerent aliquid, si Nestorius unum dixisset *hypostasi*, non societate, & honoris communione, eamdemque exhibuisset adorationem uni Dei Filio in eadem persona existenti, non autem Personae Divini Verbi in persona hominis inhabitanti: Verum Nestorius (verba sunt Cyrilli lib. 1. pag. 34.) *unum asseveravit Christum Iesum Dominum, tanquam Deo cum homine copulato sola dignitatis ratione, non unitione vera, ea scilicet quae est* κατὰ φύσιν *secundum naturam*: & quo pacto una adoratione Christum coleret commonstrat in Schedis suis perlectis in Concilio Ephesino, ubi haec leguntur: *Propter gestantem, eum, qui gestatur, veneror, & propter latentem, eum, qui apparet, adoro*: nimirum cum adoratione Dominum venerabatur, quomodo nos in imaginibus & simulacris regnantes in coelo Sanctos, in techis argenteis illorum reliquias, in speciebus panis Corpus Reparatoris, in templis arisque unum trinumque Numen colimus, & adoramus. Quae cum ita sint, apparet, Nestorium denegasse Mariam appellandam esse Θεοτόκον, quoniam dogmatizans genitam a Vergine humanam naturam suamet hypostasi subsistentem, quae postea effecta sit profectu virtutis templum, & habitaculum Unigeniti Filii Dei, Christi Incarnationem, divinitatem, & unionem hypostaticam praefracte negaverit; id, quod initio susceperam explicandum.

De Caelestini contra Nestorium Epistolis.

CAPUT VII.

I. Ubi primum Constantinopoli audita est vox illa impia Nestorii, qua Virginem gloriosissimam Θεοτόκον appellandam esse negavit, atque huius vocabuli suppressione ausus est haereses alias intrudere, quas simul connecti demonstrat Exercitatio nostra praecedens; Constantinopolitani omnes, perpaucis Nestorii assentatoribus exceptis, cunctaque Monasteria, horumque Archimandritae, abstinuerunt ab eius communione. Rumore autem una cum Nestorii homiliis ad Aegyptios, & ad aures Cyrilli Alexandrini pervadente, & hunc inter, & Nestorium gravissimis dissidiis exortis; beatissimus Pontifex Caelestinus utriusque litteris gliscentis haeresis certior factus, illam antequam ad Generalis Synodi remedia confugeret, comprimere, & suf-

& suffocare studuit quammaxime, Apostolicis litteris ad Nestorium, ad Cyrillum, & ad alios conscriptis; quae praesenti praelectioni suppeditant argumentum.

II. *De Epistola S. Caelestini ad Nestorium.*

II. Scripsit pro Episcopis Pelagianis, qui Constantinopolim confugerant, Nestorius ad Caelestinum Pontificem *Florentio, & Dionysio Coss.* idest, an. 429. ut viri docti coniiciunt ex Commonitorio Marii Mercatoris edito eodem anno; atque ut illorum vexationem iniquam ostenderet, excitatas etiam adversus semetipsum narravit concitationes ac turbas, quod obstitisset disseminantibus haeresim Apollinaris, & Arii, qui referentes deitatem Vnigeniti ad originem assumptae carnis, carnem vero deitati coniunctam ad deitatem transiisse blasphemantes, Virginem *Christotocon*, & Matrem Christi, non Dei Verbi, *Theotocon*, praedicabant. Aut viderit Romanus Pontifex in ea Epistola novum induci errorem praetextu veteris exstirpandi, aut plenius instructus fuerit de Nestorii perfidia litteris S. Cyrilli, eiusque Commonitorio, quod per idem temporis acceperat a Possidonio, causa etiam in Romana Synodo diligenter discussa; aliquantulum serius rescripsit Nestorio, *Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss.* an. sc. 430. III. Idus Augusti. Habemus Caelestini Epistolam Latine & Graece editam inter Acta Concilii Ephesini, cuius Act. 1 lecta est postulante Iuvenale Episcopo Hierosolymitano apud Labbeum, & Baluzium, & ad regios Codices castigatam apud Petrum Coustantium, cum inscriptione τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Νεϛορίῳ Κελεϛῖνος, *dilectissimo fratri Nestorio Caelestinus:* nec satis in ea pervolutanda mirari possumus tanti Pontificis amorem, pietatem, fervorem, solicitudinem.

III. *Synopsis eiusdem Epistolae.*

III. In ea (ut illius vobis exhibeam brevem quamdam synopsim) principio proponit Nestorio Attici & Sisinnii, Decessorum suorum, exemplum: quippe nihil est, quod ingenuis magis eliciat pudorem & verecundiam, quam si a maioribus suis reprehendantur esse degeneres. Suam deinde in respondendo tarditatem excusat, quod Epistola in latinum esset vertenda; & lenitate, atque humilitate studet flectere elati animi procacitatem & arrogantiam. Fatetur se a Cyrillo & a Possidonio rerum gestarum ordinem intellexisse: repetendum sibi illud Apostolicum ad Galatas 4. *Vellem mutare vocem meam, quia confundor in vobis:* compertum esse, quomodo Nestorius multiloquio labatur dum vera involvit obscuris. Ita amantissimorum parentum more, affectu demulcet, quem corripit, nec simulat cordis amaritudinem. Tum ingravescente oratione in Nestorium invehitur verbis Ieremiae 5. *Horribilia facta sunt super terram: Prophetae iniquitatem prophetant:* petit qua conscientia dicturus sit Domino, *Quos dedisti mihi, custodivi*, dum finit Ecclesiam suam in partes discindi: interrogat, qua fronte Constantinopoli commoretur, pene ab omnibus in eadem civitate desertus: significat, si correctionem aspernetur, & in viam statim non redeat, ab omni Christianorum conventu fore seiun-

ctum:

ctum: obiectat ei civium suorum vexationes, familiaritatem Pelagianorum, & concivis sui Pauli Samosateni praenuntiat exitum miserandum: sed legite, quaeso, epistolam sanctissimi ac vigilantissimi Romanae & Catholicae Ecclesiae Episcopi, nobis interim ad recensenda quae scripsit ad Cyrillum Alexandrinum Antistitem properantibus.

IV. *De Epistola S. Caelestini ad Cyrillum.*

IV. S. Caelestini ad Cyrillum Epistola, de qua nunc dissero, scripta ante Synodum Ephesinam iisdem Coss. eademque die, ac superior data ad Nestorium, a nemine in dubium vertitur, cum de illa Nicolai I. Liberati Diaconi, Ioannis Antiocheni, Ephesini Concilii, & ipsius Cyrilli exstent apertissima testimonia, eamque exhibeant Codices vetustissimi. Ea non moror, quibus Alexandrini Praesidis doctrinam & scripta commendat, cum occurrat mihi necessitas hoc eiusdem Epistolae recitandi fragmentum: *Auctoritate tecum nostrae Sedis adscita* (inquit Caelestinus) *nostra vice usus, hanc exequeris districto rigore sententiam, ut aut intra decem dies ab huius conventionis die numerandos* Nestorius *pravas praedicationes suas scripta professione condemnet; aut nisi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Ecclesiae provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum, qui nec in se medentium curam voluit admittere, & in perditionem tam suam, quam omnium sibi creditorum male pestifer festinavit.*

V. *In eadem Epistola adnotatio.*

V. Forte petit vestrum aliquis, quaenam ad hoc fragmentum recitandum necessitas impulerit? Attendite. Constat hinc S. Cyrillo a Caelestino vices suas fuisse commissas, mandatumque, ut post decem a conventione dies Nestorium ab Episcopatu deponeret, & privaret Communione fidelium: quae non tantum Cyrillo scripsit Romanus Pontifex, verum etiam in Encyclica Epistola ad Ioannem, Iuvenalem, Rufum, Flavianum, ceterosque Episcopos Orientales, immo & ad Nestorium, ut nemo posset id ignorare, adeo ut idem Ioannes Antiochenus Nestorii aliquando patrocinator, ita illum adhortaretur. *Licet Dominus meus Caelestinus Deo devotissimus Episcopus decem tantum dierum intervallum, terminum usque responsioni praefinitum litteris suis interposuerit, tamen res ea huiusmodi est, ut non dico decem diebus, sed uno, immo vero paucis horis confici possit.* Vbi sunt modo, qui audent S. Cyrillum reprehendere, quod festinanter, incognita causa, Nestorio, eiusque fautoribus inauditis, sententiam protulerit adversus haeresiarcham? Si in hoc culpa esset aliqua (nullam autem esse postmodum demonstrabimus) illas in Caelestinum dies praedefinientem, non in Cyrillum Caelestini litteris obtemperantem, foret referenda: Sed ad alias Pontificis Maximi Epistolas progrediamur.

VI. *De S. Caelestini Epistola ad Episcopos Orientales.*

VI. Dixi nuper, scripsisse Caelestinum etiam ad Orientales omnes Episcopos, & nominatim ad Ioannem, Iuvenalem, Rufum, & Flavianum. Intelligite Ioannem Antiochenum, Iuvenalem Hierosoly-

mitanum , Rufum Thessalonicensem , & Flavianum Philippe[illegible]em Ar-
chiepiscopum , quos nominavit honoris causa , cum cete[illegible]is praeroga-
tiva Sedis antecellerent , & novis Nestorii commentis [illegible]
essent offensi . Laudant hanc Caelestini Epistolar[illegible] haud mediocriter
in Breviario cap. 5. Nicolaus I. ep. 8. ad [illegible] Liberatus Diaconus
& S. Cyrillus in Epist. ad Ioannem An[illegible]ichaelem Imperarorem ,
*III. Idus Augusti , Theodosio XI[illegible]*ochenum ; ac data pariter est
nempe anno & eadem die , [illegible] *& Valentiniano III. Coss.* eodem
hac epistola , patentissim[illegible]ac superius commemoratae . Asseritur in
& Epistolis , auctor[illegible]am esse Nestorii blasphemiam ex ipsius libris ,
non liceat ; si[illegible]s subscriprione ita munitis , ut dubitari ulterius
& declara[illegible]gnificatur commissa Cyrillo Apostolicae Sedis auctoritas ;
ve[illegible]ur quanta solicitudo adhibenda sit , ne praevaleat lupi ad-
[illegible]atis rapacitas , cum ipse Episcopus populum a tramite veritatis avertit , idque in amplissima urbe , ad quam propter inhabitantis Imperii reverentiam , de universo orbe confluit multitudo : quae utique solicitudo maior esse debet , cum hostis intus debacchatur , quam dum obsidet muros , & lupus magis est cavendus dum gregem pastoris invadit , quam dum extra ovilia percurrit.

VII. *De eiusdem Pontificis Epistola ad Clerum , & populum Constantinopolitanum.*

VII. Subsecuta est hanc Epistolam altera ad Clerum , & populum Constantinopolitanum : in qua S. Caelestinus ad se pertinere docet verba Doctoris Gentium 2. Corinth. 11 *Praeter illa , quae sunt extrinsecus , instantia mea quotidiana , solicitudo omnium Ecclesiarum.* Ac exposita pravitate dogmatis Nestoriani ; monet ut vitent impiorum disputationes , hortatur ut Sacerdotes , qui Ecclesiam Constantinopolitanam rexerunt , magisterio , & sanctitate pollentes , imitentur , praesertim Ioannem Chrysostomum , Atticum , & Sisinnium , quorum adhuc recens erat memoria : affirmat dicendum non esse Episcopum , qui antiquae fidei intulit manus , impugnat Apostolos , Prophetas respuit , & Domini verba contemnit : alloquitur Clericos , hortaturque ut pedes habeant in atriis Ierusalem , ut Nestorii caveant pravitatem , & minas non timeant , ut sibi ob oculos ponant exempla Stephani , & Athanasii : denique & iis significat commissas Cyrillo vices suas , & a se latam in Nestorium sententiam , nisi intra decem dies resipiscat. Habetis Synopsim Epistolarum Caelestini , de quibus erat hodierna die pertractandum , & in quibus Caelestini solicitudo praefulget , Nestorii audacia reprimitur , Cyrilli merita commendantur

DIS-

DISSERTATIO V.

DE S. CYRILLO ALEXANDRINO, THEODORETO CYRENSI, ET CASSIANO.

I. PERTRACTANTI mihi sup. Capite de Epistolis Caelestini Romani Pontificis occurrit aliquando sanctissimus Alexandrinae Ecclesiae Episcopus Cyrillus, quem ob vitae sanctimoniam, ob egregiam in oppugnanda Nestoriana haeresi operam, ob singularem doctrinam, editorumque a se librorum copiam eximiam, nemo non amat, non admiratur. At quid dixi, Auditores, nemo non amat, non admiratur? Id quidem de iis, qui veritati student, dictum optime: Sed nullus fortassis tantos passus est adversarios, quantos Vindex ille Fidei, ac strenuissimus Debellator Nestorianismi; quem non haereticum tantum, sed & tyrannum immanissimum & crudelissimum extitisse, complures incredibili temeritate pronuntiant. Sed agite: Praemissa brevi de Cyrillo notitia, illum modo a tyrannide, proxima autem praelectione a labe haereis vindicabimus. CAPUT I.

II. Communis opinio est, & quidem Theodoreti, Isidori Pelusiotae, & Socratis auctoritate firmata, S. Cyrillum fuisse nepotem Theophili, qui Alexandrinam Ecclesiam rexit post Timotheum, ab anno 385. usque ad annum 412. & coacta Synodo C. P. anno 403. Chrysostomum deposuit, quod Monachos Nitrienses haeresis Anthropomorphitarum fautores a se eiectos, singulari humanitate excepisset; cuius sceleris Theophilum poenituisse dictum est alibi. Praelaudati scriptores vocant Theophilum Cyrilli avunculum, ideoque *Sororis filium*, ut inquiunt Sozomenus, Facundus Hermianensis, & Epiphanius Scholasticus apud Oudinum diss. de Vita & Scriptis S. Cyrilli cap. I. non autem *filium fratris*, ut Caveus, aliique scripserunt, ducti testimonio Nicephori, qui lib. IV. cap. 25. appellat Theophilum Cyrilli θεῖον πρὸς πατρὸς. Illum suum Carmelitae vocant, quos licet nugas agere censeat laudatus Caveus, Tritemius tamen, Baronius, aliique fatentur. Successit Theophilo in Episcopatu *Honorio IX. & Theodosio V. Coss.* idest, an. 412. die 16. Octobris, scribente Socrate lib. VII. cap. 7. Theophilum obiisse praedictis Coss. Idibusque Octobris, ac post

II. *Brevissima Vitae Cyrilli narratio.*

post triduum Cyrillum in eius locum fuisse suffectum, & ordinatum. Queritur eo loci Socrates, Cyrillum ordinem supergressum, & principatum quemdam arripientem statim occlusisse templa Novatianorum, sacris illorum vasis ablatis, eorumque Episcopo Theopemto omnibus facultatibus suis exspoliato. At querelas huiusmodi, quae in laudem Cyrilli cedunt, Novatiano homini condonemus. Obiit Cyrillus anno 444. *Coss. Theodosio XVIII. & Decio Albino*: incertum, an die 9. Iunii, ut legitur in Menologio Graecorum, an 27. Ianuarii, ut habent Latinorum Martyrologia. De Cyrilli obitu epistolam scripsit Theodoretus Cyrensis Episcopus adeo probrosam, ut Baronius ad an. 553. & Lupus cap. 3. Commentar. in Synod. V. in qua Synodo perlecta fuit, negaverint a Theodoreto conscriptam, eamque opus pessimi Sutrae, & Nebulonis censendam esse, actaque V. Synodi falsata putaverint; ac de illius etiam germanitate haesitaverint eruditi quidam recentiores. Theodoreti tamen memorata Epistola opus est, ut Petrus de Marca, Cardinalis Norisius, & Antonius Pagius demonstrant. At quid in ea de Cyrillo? Defunctum ait, dum Regiam Vrbem perturbare, accusare Domnum Antiochenum, & peiora pertentare moliretur; eique superimponendum praegrandem gravissimumque lapidem, ne rursus e tumulo surgens, patratas caedes, ac tyrannidem exerceret.

III. *Quae ex Socratis Historia adversus S. Cyrillum obiiciuntur.*

III. Eheu! Nunquid Cyrillus immanis, sanguinolentus, caedumque patrator? Id quidem, qui assererent, non defuerunt, eisque occasionem & ansam praebuit Socrates lib. VII. Hist. Eccl. cap. 13. 14. & 15. Narrat cap. 13. Cyrillum cum ingenti multitudine ad Synagogas Iudaeorum profectum, quod ii Hieracem quemdam humilioris litteraturae magistrum, Cyrilli autem ferventissimum auditorem, Oresti detulissent, quasi ad seditionem concitandam adiisset Theatrum, dum eiusdem Orestis Praefecti Augustalis proponerentur edicta, Iudaeosque bonis omnibus exspoliatos ex eadem civitate, quam a temporibus Alexandri Macedonis incoluerunt, idest per annos 750. expulisse, eorumque facultates diripi a plebe permisisse, cum Oreste autem, quod rem gestam Imperatori significasset, & egre pateretur civitatem viduatam esse tanta incolarum multitudine, exinde habuisse dissidia maxima, bellumque implacabile. Vidistis ne Episcopum tumultus excitantem, ruentem ad arma, commoventem plebem, adversus Praefectum Augustalem seditiones molientem? Pergite ergo Socratem cap. 14. percurrere. In eo Historicus narrat, Monachos in Nitriae montibus habitantes (Nitria mons est Aegypti apud Scethim urbem, ab Alexandria interposito lacu Mareotis seiunctus) ad civitatem venisse quingentos numero, atque accedentes ad Praefectum procedentem vehiculo, eumdem paganum, immolatorem, sceleftissimumque appellasse; unum vero illorum, Ammonium nomine, in capite Orestem iacto lapide vulnerasse: hunc autem Ammonium tormentis excruciatum, & ex legum praescripto peremptum, appellatum

a Cy-

a Cyrillo, mutato nomine Thaumasium, tanquam Martyrem habitum, multis laudibus in Ecclesia celebratum, quasi subiisset pro pietate certamen; quando temeritatis suae poenam dederat, non autem sanguinem, ne Christum negaret, effuderat. Cernitis ne Cyrillum odio in Orestem adeo excaecatum, ut inflictum ei vulnus gloriosum facinus, furibundum ascetam Christi militem, & iniquum aggressorem invictum martyrem existimavit? Sed ad cap. 14. oculos convertamus. Enarratur ibidem a Socrate, fuisse Alexandriae feminam honestissimam, Hypatiam nomine, filiam Theonis philosophi, cunctis philosophicis disciplinis excultam, Platonicae Scholae institutricem, quam cuncti ob singularem modestiam, & incomparabilem eruditionem admirabantur: hanc in invidiam adductam, quoniam crebius Orestem adibat, quasi hunc inter, & Cyrillum foveret inimicitias, a Petro quodam lectore, scelerata coniuratorum manu stipato, e sella, qua gestabatur, detractam, ad Ecclesiam, quam *Caesareum* cognominabant, de qua & Athanasius in Epistola ad Solitarios, & Epiphanius Haer. Arian. & Liberatus cap. 18 Breviarii, violenter raptam fuisse: ibique (proh facinus!) exutam fuisse vestibus, testis contusam, membratim discerptam, & incendio tandem consumptam: quod utique atrocissimum crudelissimumque scelus patratum anno 4. Episcopatus Cyrilli: *Honorio X., & Theodosio VI. Coss.* idest anno Christi 415. Cyrillo, & Alexandrinorum Ecclesiae haud mediocre attulit dedecus. Neque a Cyrilli duntaxat Clerico tam horrendum facinus patratum est; verum etiam teste Damascio in Vita Isidori Philosophi, cum apud Suidam, tum apud Henricum Valesium in notis ad Socratem, Cyrilli consensu, & sceleratissima machinatione. Audistis ne Episcopi tyrannidem, saevitiam, crudelitatem? Audistis, cur Theodoretus aiebat, quod supra caput sepulti Cyrilli locandus foret praegrandis gravissimusque lapis, ne iterum erigeretur, ac tam immania facinora perpetraret?

IV. At nimium aequo ac patienti animo Cyrilli insimulatoribus aures praebuimus, Viri Ornatissimi. Neque enim fidem adhibere debemus Socrati, quem fuisse Cyrillo infensum, & partibus Novatianorum addictum, consentiunt omnes, & aperte colligitur ex cap. 7. libri VII. Hist. Eccl. eiusdem Socratis: ac multo minus audiendus est Damascius, qui floruit circa ann. 540. & post saeculum a nece Hypatiae; a Photio autem Cod. 181. *dicitur summe impius, novis atque anilibus fabellis animum simul ac sermonem refertum gerens, & fidei nostrae, tametsi timide, tectaque benevolentia, non raro tamen in Vita Isidori praeceptoris sui allatrans.* Deinde ipse Socrates accuratius interrogetur. Nonne cap. 13. ait, Iudaeos impetu in Christianos facto, a suis tantum, qui annulum ostendebant iuxta praestitutum signum, abstinendo manus, Alexandrinos, quotquot inciderant, obtruncasse? Cyrillum Iudaeorum scelera Theodosio per litteras significavisse? Orestis de Iudaeis potius, quam de Christianis sollicito, proten-

IV. *S. Cyrillus adversus ea, quae modo dicta sunt, vindicatur.*

tendisse Evangeliorum Codicem, & ad illum misisse internuntios reconciliandae amicitiae causa? Orestes itaque, non Cyrillus, omnium dissidiorum, malorumque omnium causa fuit. Quod si Nitriae Monachi religionis zelo permoti in Orestem insurrexerunt; si Ammonius ictu lapidis occipitium illius percussit; si Alexandrini quidam ardentioribus animis praediti, & hos inter Clericorum unus Hipatiam, quae ob familiarem cum Oreste consuetudinem habebatur auctrix & causa malorum, membratim discerptam flammis tradiderunt: Nunquid Cyrillus Nitriae Monachos accersivit? Nunquid saxa Ammonio porrexit? Nunquid Alexandrinos cives armavit? Nunquid Petrum lectorem sollicitavit ad necem? Nunquid adfuit aut iudex, aut administer, aut spectator Hypatiae occisioni? Nihil horum ex narratione, licet suspecta, Socratis colligi potest: ideoque impactum Cyrillo crimen e Socrate (de Theodoreto enim opportuniori loco dicemus) nulla ratione probatur; sive eiusdem Historici reiiciatur testimonium, sive etiam excipiatur.

Vindicatur S. Cyrilli doctrina.

CAPUT II. I. QVAENAM flagitia Cyrillo Alexandrino fuerint a Socrate, a Damascio, atque a Theodoreto obiecta, praeterita Exercitatione narravimus. Sed non tantum illi immanitatis, & caedis impactum est crimen, verum etiam haeresis Apollanistarum & Arianorum, quasi ita in Deo hypostasim unam adstrueret, ut etiam naturam unam profiteretur; quam ex Virgine procreatam, & immolatam in ara crucis depraedicans, eamdem Virginem ita θεοτόκον diceret, ut peperisse Divinitatem, quae neque nativitati, neque passioni, neque mutationibus ullis obnoxia esse potest, sacrilega blasphemia enuntiaret. Nec fuere duntaxat in hac sinistra de Cyrillo opinione haeretici Nestoriani, quorum insimulationes spernendae potius forent, quam refutandae; adhaeserunt eidem magna in Ecclesia nomina, Ioannes Antiochenus, Andreas Samosatensis, Theodoretus Cyrensis Episcopus, veterumque calumniarum recoctores Etherodoxi nonnulli, qui effutire non verentur, Cyrilli doctrinam in comparatione Nestorianae esse longe deteriorem: quibus nostra interest, assumpta causa beatissimi Episcopi Alexandrini, impudentissimum os obstruere; cum post Veterum discussiones non valeant, quemadmodum praelaudati Episcopi, aliqua ratione excusari.

II. *Proponuntur praecipua contra Cyrillum argumenta.* II. Etsi autem plura sint in Scriptis Cyrilli, propter quae illum infamia sacrilegi erroris adspergunt, ea tamen ad certa capita revocantur, quibus excussis obiecta reliqua suamet sponte corruunt & eliduntur. Primum est, quod lib. IV. de Trinitate cap. 9. videatur a Cyrillo Trinitatis dogma depravari, dum ait, Patrem & Filium habere

bere quidem similem specie essentiam, non autem numero eamdem naturam, quod repetit Dialogo I, & lib. II. Thesaurorum; ubique ita adstruens identitatem substantiae, *& unam propugnat divinitatis naturam*, μιὰν (eiusdem verba usurpemus) μιὰν τῆς θεότητος, φύσιν; & ipsa identitas in Patre, & Filio divisa consequatur τῶν φύσεων διαφθορὰν, *naturarum discrepantiam*. Quae sane redolent haeresim Tritheitarum, unamque Deitatis substantiam in partes secant, quasi non alia ratione in Patre, & Filio sit una eademque divinitas, nisi quomodo eadem est in Platone, & Socrate humanitas. Alterum est, quod Cyrillus in Epistola ad Successum in lib. II. contra Nestorium, & in Commonitorio ad Eulogium dixerit unam esse post unitionem *naturam Verbi incarnatam*, μιὰν φύσιν τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην, idque etiam asseruerit hominis attexens exemplum: ideoque sentire praesumitur post unitionem, Dei, hominisque substantiam in unam fuisse permixtam, ut Cyrilli doctrinam sequuti, affirmarunt Eutychiani. Tertium complectitur Cyrilli positiones peritas ex duodecim Anathematismis; quae, cum in Ephesina Synodo fuerint approbata, & oppugnata a Theodoreto, expendenda erunt, posteaquam eiusdem Synodi narrata erit Historia. Quartum denique innititur Orientalium, quos supra commemoravi, simultati cum Cyrillo, Theodoreti maxime, & Ioannis Antiocheni; quibus Anonymus Calvinista, insimulator Cyrilli, addit Ibam Edessenum, & Facundum Hermianensem; qui, cum doctissimi fuerint, & Orthodoxi, Cyrillum tamen tanquam Appollinaristam habuerint; quomodo hunc tantorum virorum testimonio, necnon propriis lucubrationibus convictum impietatis & haeresis, curabimus vindicare, in Aethiope lavando oleum, operamque perdentes?

III. Pendet S. Cyrilli defensio ab explicatione quorumdam vocabulorum, quae Patres diversa significatione usurparunt pertractantes de Trinitatis Mysterio, petenda ex auctoribus Dogmaticae Theologiae ut iuxta monitum Ambrosii Epist. 63. ad Sabinum: *Si verba alicubi movent, non praeiudicent fidei*. Sunt ea vocabula, ut ad praesens attinet institutum, ὀυσία, φυσις, ὑποςᾶσις. Οὐσία *substantiam* significat, unde adversus Arianos Verbum dicimus πατρὶ ὁμοούσιον; Sed interdum accipitur ὀυσίας nomen pro *persona*, maxime a Patribus, qui Deum factum carnem propugnantes Filium saepenumero appellant γεννητὴν ὀυσίαν *genitam substantiam*; ὀυσίαν σεσαρκωμένην *substantiam incarnatam*: φύσις item, *natura & essentia*, modo quod est, modo quod per se existit, significat; denotatque aut communem *essentiam*, si cum Nazianzeno, & Damasceno dixeris Filium γεννήτορος φύσιν, *naturam Patris*; aut peculiarem existendi modum, & *personalem proprietatem*, si cum Anastasio Synaita Christum dixeris μίαν φύσιν, *naturam unam*. Demum & hypostasis promiscue naturam, & personam designat; *naturam* apud Basilium scribentem epist. 43. unam, eamdemque rem esse ὑποςασιν, & ὀυσιαν; *personam* apud Damasce-

III. *Praemittitur defensioni S. Cyrilli quorumdam vocabulorum explicatio.*

num, & Ephrem Syrum definientes hypostasim οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων *substantiam cum accidentibus*; sive id, quod per seipsum subsistit, τὸ κατὰ αὐτὸν ὑπάρχει. Si itaque S. Cyrillus vocans Christi personam μίαν φύσιν *naturam unam*, & unionem hypostaticam κατὰ φύσιν, *secundum naturam* τῆς φύσεως vocabulum perspicue absque fuco, absque ambiguitate pro Persona usurpavit, nonne Orthodoxus censendus est, & inique tanquam Appollinarista insimulatur?

IV. *Ostenditur S. Cyrilli Orthodoxias Testium auctoritate.*

IV. Agite modo, & Cyrillum φύσιν dixisse *personam* percipite: Testatur id apud Photium Codice 230. S. Eulogius Alexandrinus, qui & ait nomina φύσεως, & ὑποστάσεως, serius apud Latinos Scriptores, & post aetatem Iulii Pontificis (Iulius ad Pontificiam Cathedram ascendit an. 336.) fuisse distincta. Testatur Ephremius Patriarcha Antiochenus, qui in libro de Sententia Cyrilli apud eumdem Photium Cod. 229. inquit τὴν μὲν μίαν φύσιν του Θεοῦ λογου σεσαρκωμένην, μίαν ὑποστασίν νοῦμεν, idest, *Unam naturam Dei Verbi incarnatam hypostasim intelligimus*. Testatur Iustinianus Imperator in Professione Fidei perlecta in Synodo V. affirmans Cyrillum quoties dixit *unam Verbi naturam Incarnatam*, naturae nomen pro hypostasi seu persona usurpasse. Testatur Leontius Byzantinus, qui in libro contra argumenta Severi, haeretico obiicienti, Cyrillum in explicando Incarnationis mysterio, accepisse hypostasim pro natura, id ultro concedit, idemque ab aliis antiquis Patribus factum demonstrat. Testatur...

V. *S. Cyrillus ex scriptis, librisque suis, brevi quidem sed invicte defenditur.*

V. Sed quid testes appello, quando sola librorum Cyrilli lectione, caussa expeditur? Legite eius Epistolam ad Ioannem Antiochenum, ubi ait: *Unus est Dominus Iesus Christus tametsi non sit ignota naturarum differentia*, ex quibus *arcanam unitionem factam esse dicimus*. Attendite quod profitetur scribens ad Eulogium, *Recte Nestorius duas naturas constituit; est enim diversa Verbi, carnisque natura; Sed in eo peccat, quod naturarum unitionem non fatetur nobiscum*. Perpendite quae scribit lib. III. contra Nestorium: *Altera res est divinitas, altera humanitas, sed unus ex ambobus Christus existit*. Accipite quae adversus eumdem Nestorium docet lib. II. *Unum confitere Christum naturas non dividens, sed ita ut sentias aliam esse carnis rationem, aliam divinitatis. Neque enim nos carnem ipsam Divinitatem factam esse dicimus*: Bene habet: pugnemus, si opus sit Historico, etiam Dialecticis Syllogismis: Qui adstruit in Christo naturarum differentiam, & fatetur aliam rem esse divinitatem Incarnati Verbi, aliam humanitatem, nec reprehendit Nestorium quod huiusmodi statuat differentiam naturarum, sed in eo damnat, quod illarum unitionem oppugnet, nec fateatur unum Christum in utraque natura existentem; ille procul dubio affirmans esse *naturam unam Verbi incarnatam*, naturam accipit pro hypostasi, idest, docet naturas illas distinctas divinitatis, atque humanitatis, arcana unitione copulari in una, eademque Persona. Cyrillus, &c. Igitur.

VI. Hac

VI. Hac ratione Cyrilli causa adstricta, necessum non est immorari in obiectis adversariorum dirimendis. Constat enim S. Doctorem, ubicumque in Trinitatis mysterio, cum unitate divinitatis adstruit τῶν φύσεων διάφοραν, *diversitatem naturarum*; naturam accipere pro hypostasi sive persona; & ubi ait, *unam esse naturam Dei Verbi Incarnatam*, nil aliud significare, nisi unam in Christo esse personam in duabus naturis, divina, humanaque existentem: quo sensu etiam S. Flavianus in Professione fidei ad Theodosium Augustum, laudata a Photio Cod. 311. inquit: *E duabus naturis Christum post incarnationem in una hypostasi confitentes, unam naturam Verbi Incarnatam, & carne indutam, dicere non negamus.* Profecto quantum Ioannes Antiochenus, Theodoretus, & Iba, dum patrocinabantur Nestorio, decepti fuerint, suo loco revocabitur ad examen. Sufficit in praesentiarum Cyrilli calumniatoribus reponere, & illos, re penitius inspecta, damnato Nestorio, ad S. Cyrillum accessisse; Facundum autem Hermianensem, secus ac scribat Anonymus Calvinista, licet in Defensione trium Capitolorum lib. V. & VI. Ibam Edessenum excuset, beatum tamen Cyrillum defendere, eiusque dictorum intelligentiam Ibam non fuisse assecutum, disserte luculenterque affirmare; quod confirmat Orthodoxam S. Cyrilli doctrinam, pro qua pugnatum est hactenus.

De Synodo Ephesina celebrata adversus Nestorium.

Caput III.

I. Magnis Cyrillum inter ac Nestorium excitatis dissidiis, atque in varias partes distractis Episcopis Orientalibus, quorum nonnullos errore facti deceptos Alexandrinum Antistitem Apollinaristam ac Tritheitam, Constantinopolitanum vero, ut Catholicum, & Orthodoxum principio habuisse, dictum est praecedenti Capite; componi iurgia, & dogma definiri non poterant, nisi indiceretur Synodus Oecumenica. Celebrata proinde est eadem Synodus in Urbe Asiae minoris Epheso, sita in ora littorali maris Aegei, & Sinus Ionii, quod terra marique esset accessu percommoda, ibique Deiparae erectum esset celeberrimum Templum, disponente Numine, ut in Aede Virginis, qui illam θεοτόκον, negabant, subirent anathema. Quod factum esse *Antiocho & Basso Coss.* nempe anno Vul. Aerae 431. Historici tradunt omnes. Cum nulla autem aut de loco, aut de tempore, aut de causa huius Ephesinae Synodi occurrat dissensio; quis eam convocaverit, quis ei praefuerit, quis eius extiterit exitus, edisserere huius praelectionis est scopus.

II. *An haec Synodus inscio Romano Pontifice fuerit indicta.*

II. Coactam Ephesinam Synodum a Theodosio scribit Socrates lib. VII. Hist. Eccl. cap. 34. his verbis: *Imperator, edicto proposito, omnes undique Episcopos ad civitatem Ephesiorum convocavit:* quod avide arripiunt qui Romano Pontifici negant jus convocandi Synodus

dos Oecumenicas. At enim Theodosii Augusti Divalem fuisse duntaxat executoriam Mandati Apostolici, docent Bellarminus lib. 1. de Conciliis & Ecclesia cap. 13. Christianus Lupus in Dissertatione de Concilio Ephesino cap. 1. Petrus de Marca lib. v. Concordiae Sacerdotii & Imp. cap. 11. aliique Vindices Pontificiae Auctoritatis: Quorum argumenta sunt; primum, quod Prosper in Chronico scribat Ephesinam Synodum celebratam fuisse *Cyrilli industria, & Caelestini auctoritate*; alterum, quod Cyrillus, ut mox dicturi sumus, huic Synodo interfuit tanquam Apostolicae Sedis Legatus, ideoque praecesserit de Synodo celebranda Caelestini consensio: Tertium, quod Marcianus Augustus in Edicto, quo confirmavit Concilium Chalcedonense, ait Ducem Ephesini Concilii fuisse Caelestinum Episcopum Romanae Urbis: Quartum, quod fatente Hincmaro Epistola 33. cap. 20. Generales quaelibet Synodi semper fieri consueverint *Apostolicae Sedis iussione, & Imperiali convocatione*. Postremum ac peremptorium, quod iidem Ephesini Patres act. 1. antequam proferrent sententiam adversus Nestorium, verba haec praemiserunt: *Coacti per Sacros Canones, & Epistolam Sanctissimi Patris nostri, & Comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrimis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.*

III. *Solvitur obiectio petita ex Historia Socratis.*

III. Productum itaque Socratis testimonium non evincit, in congregando Ephesino Concilio defuisse Sedis Apostolicae mandatum: imo Evagrius Scholasticus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 3. scribit: *Cyrillus petiit a Theodosio, qui tunc Orientis imperium administrabat, ut eius iussu prima Synodus Ephesi congregaretur*; ideoque rogante Episcopo Alexandrino, qui Caelestini vicem gerebat, & Caelestini nomine Synodo praefuit, Theodosius eamdem Synodum congregavit.

IV. *Utrum S. Cyrillus Synodo Ephesinae praefuerit loco Rom. Pontificis Caelestini.*

IV. Verum quibus momentis innixi affirmamus Cyrillum Synodo praefuisse tanquam Caelestini Legatum; cum Scriptores permulti tradant praefuisse proprio iure, & praerogativa quadam, & dignitate Sedis Alexandrinae? Affirmamus id, quoniam Evagrius, (quem nuperrime manibus versabamur) proximo cap. 4. inquit Episcopos in unum convenisse: *Divino Cyrillo Caelestini Romanae Urbis Episcopi vices gerente*. Affirmamus, quoniam ex Epistolis Caelestini ad Cyrillum, ad Nestorium, ad Episcopos Orientales, & ad Clerum & Populum Constantinopolitanum, de quibus Epistolis superius pertractavimus, perspicuum est, Cyrillo S. Caelestinum vices suas demandasse. Affirmamus, quoniam in Actis eiusdem Concilii Act. 1. haec leguntur: *Considentibus in Sanctissima Ecclesia, quae appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriae, qui & Caelestini quoque Sanctissimi, Sacratissimique Romanae Ecclesiae Archiepiscopi locum obtinebat, &c.* Affirmamus, quoniam Photius ipse in Nomo-Canone rationem proferens, cur Episcopus Alexandrinus praeter morem Graecorum utatur Phrygio, Mitra scilicet Pontificali ope-

re

re Phrygio ornata, inquit: *Habuit hanc facultatem S. Cyrillus Alexandrinus a Romano Papa Caelestino, quando coacta est Ephesina Synodus adversus Nestorium. Nam cum non posset Caelestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium, visum est ut Sancto Cyrillo a Caelestino permitteretur huic Synodo praesidere: Vt itaque constaret eum habere ius, & auctoritatem Papae, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium. Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio sacra celebrant, & procedunt Patriarchae Alexandrini, nec verentur reprehendi*. Testimoniis tam apertis & inconcussis accedit ratio; siquidem etiam post adventum Arcadii, Proiecti, & Philippi, quos Caelestinus misit ad Synodum, S. Cyrillum ob delegatam sibi Apostolicae Sedis auctoritatem, principem locum tenuit, ut apparet ex Actis. Legite Petrum de Marca lib. v. Concordiae cap. 4. num. 5.

V. *Praestringitur Nestorii mendacium.*

V. Castiganda est hoc loco insignis audacia Nestorii, qui cum omnium primus Ephesum venerit, quod haud procul abesset Constantinopoli, scripsit ad Caelestinum, S. Cyrillum *propter libellos sibi contra illum oblatos, ad evitandam Sacram Synodum, venari latebras*. Quid pertimesceret Apostolica praeditus auctoritate? Quid pertimesceret, cui iusserat Caelestinus ut damnaret Nestorium praefixo illi decem dierum intervallo? Sed audax Nestorii mendacium magis apparuit, nam cum Synodus indicta fuisset pro solemni die Pentecostes, quo vivificus Spiritus descendit super Apostolos, *Cyrillus quoque una cum provincialibus Episcopis ante praestitutum diem advenit*, inquit Evagrius: cui consonat Socrates scribens, *Cyrillus vero Alexandrinus nonnihil cunctatus, circa Pentecosten adfuit; Iuvenalis vero Hierosolymorum Episcopus, quinto post Pentecostem die adventavit*.

VI. *Narrantur Ephesini Concilii Acta usque ad adventum Ioannis Episcopi Antiocheni.*

VI. Reliquum est, ut quae in Ephesina Synodo gesta sunt, enarremus. Cum ad constitutum diem non advenisset Ephesum Ioannes Antiochenus, vel quod Episcopos suae provinciae citius colligere non potuisset, vel quod hi voluissent Dominicam primam post Pascha, quam Graeci vocant *neau Cyriacin*, suis in Ecclesiis iperagere, vel quod Antiochia distet ab Epheso plurium dierum itinere, ad quindecim alios dies dilata est Synodus: ac interea temporis coepit quaestio agitari, num Christus sit Deus, quod permultis asserentibus, Nestorius in eam blasphemiam erupit: *Ego vero eum, qui bimestris, ac trimestris existit, Deum appellare non possum: atque idcirco mundus sum a sanguine vestro, nec in posterum amplius ad vos accedam*. Socrates lib. VII. cap. 24. Id vero, ut perlegerentur Nestorii homiliae & opuscula, quibus eadem blasphemia magis magisque comprobata est Episcopis, qui advenerant, causam praebuit. Elapsis autem quindecim aliis, ultra diem Pentecosten, diebus, Episcopi, qui aderant, quasi Ioannes Antiochenus, aliique Orientales ad Synodum venturi non essent, praeside Cyrillo in unum coeuntes, rem expendere

dere aggressi sunt, & Nestorium semel, iterum, ac tertio iuxta Canonum praescripta vocatum, in iudicio autem sese sistere renuentem, damnarunt hac sententia, quae habetur in Actis Synodi, & apud Evagrium lib. 1. Hist. Eccl. cap. 4. *Cum praeter cetera impiissimus Nestorius* (τιμιώτατος *legitur apud Evagrium, scilicet Reverendissimus*) *neque nostrae vocationi obtemperare voluerit, neque sanctissimos & religiosissimos Episcopos a nobis missos admiserit, necessitate compulsi ea, quae impie docuit, examinare aggressi fuimus. Deprehendentes itaque partim ex litteris & commentariis ipsius hic publice lectis: partim e Sermonibus, quos nuperrime habuit in hac Ephesiorum Metropoli, quique multorum testimoniis confirmati sunt, illum impie sentire, ac praedicare, coacti per Sacros Canones, & Epistolam Sanctissimi Patris nostri, & comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrimis subinde perfusi, ad hanc tristem contra illum sententiam tandem processimus. Igitur Dominus noster Iesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per hanc Sacrosanctam Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & coetu extraneum, & alienum esse definit.* Ex quibus simplici expositis narratione, probe intelligitis, Ephesinos Patres comperta, & diligentissime pertractata causa Nestorii, omni cum illo aequitate servata, eodem iuxta Ecclesiasticos Canones expectato, urgentibus S. Caelestini Episcopi Romani mandatis, transactis praestitutis diebus, processisse ad Nestorii condemnationem; ideoque iniquissimos, mendacissimosque impostores, illos esse, qui adversus Synodum Ephesinam temere insiliunt, & debacchantur.

De Ioanne Antiocheno.

CAPUT IV. I. PRONUNTIAVERANT Ephesini Patres adversus haeresiarcham Nestorium sententiam illam, quam praecedenti lucubratione recitavimus; quando Ioannes Patriarcha Antiochenus cum aliis 22. Episcopis, ut inquit Nicephorus, vel cum 26. ut scribit Theophanes, pervenit Ephesum. Pervenisse tradit Liberatus Diaconus *post biduum*, Theophanes vero laudatus μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *post tres dies*, Evagrius autem, & Candidianus in sua ad Theodosium Epistola, post dies quinque. Difficilem hunc nodum appellat Christianus Lupus, & ab aliis solutionem inquirit; tametsi inictis vix unguibus solvitur, si dicamus fuisse illam diem quintam a prima Synodi coadunatione, tertiam a lata contra Nestorium sententiam, secundam, si dies illa sententiae latae excludatur. Sane ipsa Ephesina Synodus per Iuvenalem Hierosolymitanum, aliosque Legatos significavit Theodosio & Valentiniano, Ioannem appulisse Ephesum *vicesima secun-*

tunda die post praestitutum tempus ineundo Concilio. Tempus illud constitututum fuerat in solemni die Pentecostes, quae anno 431. incidit in diem Iunii septimam; advenit itaque Ioannes Ephesum die eiusdem mensis 28. Verum in leviusculis hisce dubiis enodandis immorari nos gravissimarum rerum necessaria narratio non finit. Vix enim Ioannes Ephesiorum Vrbem ingressus fuerat, cum audita Nestorii depositione aegre ferens, quod absente se prolata foret sententia, nondum excusso pulvere, suorum Antistitum, & Caelestianorum quorumdam, omnes triginta, & cum depositis & haereticis quadraginta, coegit Conciliabulum, depositque S. Cyrillum, & Memnonem Ephesinum Episcopum, praecipuos Nestorii hostes, ceteris Episcopis, donec resipiscerent, communione privatis, obtenta causa, quod contra Imperatoris Divalem Synodum congregassent non expectatis Episcopis omnibus, cunctaque gessissent per tumultum ac seditionem, Cyrillus vero in Capitulis, quae Anathematismos inscripserat, & a Synodo confirmari curaverat, Apollinarii, Eunomii, & Arii nefaria dogmata propugnasset. Ex quibus vestrum nemo non videt, difficillimas oriri quaestiones, ac tres praesertim, primam, an iusta fuerit Ioannis Antiocheni expostulatio, alteram an adhaeserit Haeresi Nestorianae, postremam; an iniquo animo simultatem habuerit cum Cyrillo; de quibus omnibus iudicium nostrum, ac sanioris partis Theologorum, atque historicorum, vos item approbaturos esse non dubito.

II. *Demonstratur nullam Ioanni Antiocheno fuisse causam cur Ephesinis Patribus indignaretur.*

II. Sane Ioannes, cur indignaretur, nullam causam habuit praeter Nestorii, cui nimiam fidem adhibuit, circumventionem ac dolum, ac praeter Candidiani Comitis, Nestorii addicti, de violatis Theodosii iussionibus querimonias. Si enim, ut Cap. narrabamus praeterito, praestitutus fuerat nutu ipsius Theodosii habendi Synodi dies, idemque cunctis Episcopis innotuerat litteris eiusdem Imperatoris, datis *Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss.* 13. *Cal. Decembris*, idest, superiori anno 430. die Novembris 19. ideoque universi Antistites, non Antiochia tantum, verum etiam e remotioribus civitatibus poterant ad diem septimam Iunii Ephesum convenire; si ulterius tanta concessa opportunitate temporis, ut Ioannes ceterique omnes adessent, Cyrillus ad dies alios quindecim distulit Synodales Congressus: cur, obsecro, Antiochenus, cur Episcopi cum eo adventantes queri poterant, coactam fuisse Synodum absentibus semetipsis? Accedit, quod licet Ioannes scripserit officiosam ad Cyrillum Epistolam, qua viae longitudinem ac molestiam causatus, se brevi adventurum significavit; praeeuntes tamen ex Orientali dioecesi, Ioanni subiecta, Episcopi duo, unus Apameae, quam nunc Apamiz vocant, alter Hieropolis, quam modo dicunt Haleppum, ipsius Antiocheni Praesulis nomine Ephesinos Patres rogarunt, ne alios diuturniori mora expectarent, sed Synodum ex iis, qui aderant, Episcopis celebrarent. Immo non desunt; qui existimarunt, Ioannem data opera, & de industria moram

inter-

interposuisse, ne etiam a se damnaretur Nestorius, quem plurimum diligebat; siquidem ad Episcopatum Constantinopolitanum evectus fuerat, cum esset praesbyter Antiochenae Ecclesiae, ut dictum est alibi. Multiplex itaque ratio demonstrat, Cyrillum, aliosque Ephesinos Patres nullam Ioanni Antiocheno intulisse iniuriam, Nestorium, non expectato eius adventu, damnantes; praesertim cum illi Ephesum accedenti obviam miserint nonnullos Episcopos, Clericosque, qui honoris, & observantiae causa ipsum ad diversorium usque prosecuti fuere, ubi vix Ioannem collocuti, inofficiose dimissi, & a militibus contumeliis, plagisque affecti, ad suos redierunt; quemadmodum in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum narrat Memnon Episcopus Ephesiorum.

III; *Ostenditur Ioannem Antiochenum non probasse dogma Nestorianum.*

III. Non hinc tamen inferendum est, Ioannem dum Pseudosynodum cogit, dum Cyrillum & Memnonem deponendos esse definit, dum Cyrilli reprobat Anathematismos, propugnare haeresim Nestorianam. Errore enim facti, non pravitate dogmatis, adhaesisse illum Nestorio invictissima argumenta demonstrant. Antequam enim de congreganda Synodo Ephesina ageretur, anno Ch, 430. hortatoriis Epistolis Nestorium admonuit, ne Mariam Virginem Θεοτόκον appellare detrectaret, sed errorum suorum caneret palinodiam, & celebrato Antiocheno Concilio mandavit, ut Epistolis Caelestini adversus Nestorium scriptis unusquisque exhiberet obedientiam. In ipso deinde Ephesino Conventu, a se indicto, nec Nestorium, nec suarum partium quemquam admisit, nec Mariam *Deiparam* appellandam esse negavit, sed Symbolum edidit ab ipsomet Cyrillo appellatum *irreprehensibile*. Reversus autem Antiochiam, & a Theodosio monitus, ut rursus cum Cyrillo amicitiam iniret, se paratum esse respondit, dummodo Cyrillus sibimet in Fide consentiret, & Apollinarii, atque Eunomii nefaria dogmata reprobaret. Quamobrem tam a Sixto III, Romano Pontifice, quam a Synodo Chalcedonensi Act. 16. idem Ioannes *Apostolicae Doctrinae* declaratur assertor, utpote qui nunquam deceptus fuit *blasphema Nestorii praedicatione*, & quantum rerum exitus demonstravit, sententiam suam aliquandiu suspendit, ut causam evidentius cognosceret. Quid autem mirum, si aliquandiu suspendit? Nestorius ad eum non semel scripserat non alia ratione a se reiectum vocabulum Θεοτόκος, nisi quatenus eiusdem vocis usurpatione, quidam Apollinarii haeresim renovantes, audebant dogmatizare, Virginem peperisse *Divinitatem*. Episcopi Pelagiani obviam Antiocheno precedentes mira de sanctitate ac doctrina Nestorii retulerant, Cyrillum contra tyrannidis, haeresis, contumaciae, aliorumque criminum insimulantes. Candidianus in Vrbis ingressu nuntiaverat se a Synodo eiectum, ut Cyrillus nullius auctoritate perterritus, quidquid vellet, pro imperio & libidine decerneret, & Constantinopolitanum Episcopum Nestorium invidia, simultate, & pertinacia ductus opprimeret. Hac

Nesto-

Nestorii versutia, hac Pelagianorum Episcoporum hypocrisi, hac nobilissimi Viri, missi a Theodosio ne Ephesi excitarentur tumultus, attestatione, mirabimur ne, si Antiochenus Antistes stetit, haesitavit, excanduit?

IV. Sed neque in Cyrillo quidquam Ioannes execratus est praeter haeresis suspicionem, cuius rumore eo temporis adspergebatur. Reversus enim Antiochiam, cum ad ineundam concordiam illum adhortaretur Augustissimus Imperator Theodosius, & a Theodosio missus Tribunus, nomine Aristolaus, necnon viris sanctissimis Simone Stylita, & Acacio Episcopo Beraeensi, Ioannes tandem habuit Synodum Antiochenam *Aetio & Valerio Coss.* scilicet, anno 432. in qua Synodo perlectis Cyrilli epistolis discordiae penitus extinctae fuerunt, omnesque in damnationem Nestorii animis consenserunt, edictum postea Imperatore promulgante, ut Nestoriani Simoniani vocarentur, cunctaque Nestorii scripta addicerentur flammis. Hinc docemur historico experimento, quod ne unquam e memoria vestra excidat, Viri ornatissimi, opto quammaxime, bonorum inimicitias facile conciliari, amicitias improborum facile solvi, veritatem latere non posse, mendacia tandem detegi, & impios patrocinio, quo abutuntur, destitui.

IV. *Ioannnem non fuisse in Cyrillum iniquo animo.*

De duodecim S. Cyrilli Anathematismis.

CAPUT V.

I. SI Sanctissimus Patriarcha Antiochenus Ioannes (aiunt qui praecedenti Exercitationi nostrae adfuerunt) aut sola Candidiani Comitis relatione, aut dolis Caelestianorum Antistitum, aut etiam singulari erga Nestorium benevolentia adactus, tot, ac tantas, quot superius narravimus, turbas excitavisset, ubi pervenit die 28. Iunii deposito iam, damnatoque haeresiarcha, Vrbem Ephesiorum; errasset profecto errore facti, non dogmatis. At proscripsit insuper haud dissentientibus Orientalibus Episcopis, quos secum adduxerat, necnon Theodorito Cyrensi, tantae famae, tantae doctrinae viro, duodecim Anathematismos Cyrilli, ab Ephesinis Patribus approbatos: in quibus si dogma traditur Orthodoxum, quo iure Antiochenus, aliique suarum partium Antistites poterunt ab haeresi vindicari, dum Catholicum dogma, & definitiones Oecumenicae Synodi conculcarunt? Si contra scatent Anathematismi illi erroribus Apollinarii, Arii, & Eunomii, divinamque Verbi naturam conversam in carnem, natam, & cruci affixam effutiunt; quonam pacto Cyrillum ab haeresi vindicabimus? quonam pacto latam in Nestorium sententiam aequissimam rectissimamque appellabimus? Perdifficilis, nec spernenda est oppositio istiusmodi, quam consolvere non valemus, nisi per singulos duodecim Anathematismos discurramus; quod modo facere aggredimur.

II. *De Anathematismo I. S. Cyrilli.*

II. Primus S. Cyrilli Anathematismus est: *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, & ob id Sanctam Virginem Deiparam (Genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum carnem) anathema sit*. In hoc Anathematismo Nestorius *Emmanuelis* interpretationem, & *Deiparae* vocem reprehendebat: ac revera *Emmanuel*, hebraicum vocabulum, non idem sonat, ac *Deus*, sed, *Nobiscum Deus*; unde Mariam non matrem Dei, sed matrem eius, qui *Emmanuel* est, scilicet, *in quo Deus habitat*, vocandam esse impius haeresiarcha inferebat. Sed haec mera est cavillatio: neque enim Christus est *Emmanuel*, quoniam aut loco, aut gratia tantum nobiscum sit Deus, hoc namque sensu quilibet homo iustus erit Emmanuel; sed quia *Verbum caro factum*, ut inquit Evangelista Ioannes, scilicet humanae naturae hypostatice unitum, habitavit in nobis. Negotium facessit aliquod scrupulus Orientalium; nam quod Latine redditum est, *Genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum carnem*, ita Graece conceptum est: *γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ λόγον; Peperit enim carnaliter Carnem factum Dei Verbum*. At si in Partu Virgineo omnia singulari & ammirabilia contigerunt, praeter usitatum gignendi, pariendique ordinem, quomodo inviolata Dei Genitrix *carnaliter* peperit? Si *carnaliter* inquit Cyrillus, quasi carnis commixtione & virili complexu, Matris derogat integritati; Si *carnaliter* ait, quasi Divinitas in carnem transierit, Filii deitatem evertit; atque idcirco vel Ebionitam se prodit, vel Arianum. Eradicatur tamen, & evellitur facillime scrupulus iste Orientalium. *Carnaliter* enim dixit Cyrillus, idest, *secundum carnem*, idque inculpate omnino, & Orthodoxe; tum quia pro *κατὰ σάρκα* scripserant antea Verbum genitum *σαρκικῶς*: etiam Athanasius Orat. 4. contra Arianos, & Gregorius Nazianzenus Ep. 1. ad Cledonium; tum etiam quia, ut dicimus Filium natum ex Patre *θεϊκῶς*, significantes habere illum ex ipso Patre divinitatem; ita dicimus genitum ex Virgine *σαρκικῶς* demonstrantes ex Virgine veram carnem sumpsisse: tum demum, quia Cyrillus non ait Verbum in carnem commutatum, sed *σάρκα γεγονότα Carnem factum*, usurpans verba Evangelii Io. 1. 14. *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*.

III. *De Anathematismo secundo.*

III. Secundus Cyrilli Anathematismus est: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, & unum tantum una cum sua carne esse Christum, eundem nimirum Deum simul & hominem, anathema sit*. Ea verba *καθ' ὑπόστασιν ἕνα τε εἶναι χριστὸν μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς*, turbarunt Orientales, propterea quod unionem *secundum hypostasim* existimabant esse voces peregrinas, & a Scripturis ac Patribus alienas; iisque significari naturarum permixtionem & confusionem: Sed cum Nestorius, ut alibi demonstravimus, nullam aliam in Christo unionem admiserit, quam honoris, & dignitatis, affirmans imperfectam fore assumptam ab illo huma-

nam

nam naturam, si haec propria careat subsistentia; evidens est, S. Cyrillum unum dixisse Christum κατὰ ὑπόστασιν, ad significandam unionem substantialem, & unam personam in duplici natura existentem; neque enim satis erat dicere ἕνα χριστὸν nisi adderetur καθ' ὑπόστασις quoniam Nestoriani Christum unum, at non unum hypostasi, fatebantur, quemadmodum idem Cyrillus exponit in Epistola ad Successum, in Libro ad Reginas, atque in Explicatione eiusdem Anathematismi. Quamobrem opportunum & necessarium fuerat contra Nestorianam perfidiam usurpare vocabulum unionis καθ' ὑπόστασιν, quemadmodum contra impietatem Arianorum ὁμοούσιον in usum receperant Nicaeni Patres.

IV. Anathematismus Tertius est huiusmodi: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque duntaxat coniunctione inter se nectit, quae est secundum dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, & non ea potius, quae est secundum naturalem unionem, anathema sit.* Quod latine legitur, *secundum naturalem unionem*, Graece exprimitur, καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, *secundum unitionem physicam.* Conflictabantur autem cum Cyrillo Orientales, & quoniam negabat hypostases, idest substantias, dividi post unionem, & quoniam unionem ipsam naturalem, & physicam appellabat. Addebat Cyri Episcopus Theodoretus: *Ignorat ne Cyrillus quae dicit, aut novit? Si novit, blasphemat. Naturae enim vis est absque voluntate, & necessario compellens. Si igitur naturalis fuit formae Dei, & formae servi unio, a necessitate quadam compulsus Deus Verbum formae servi coniunctus est:* Et Synodus Ioannis Antiocheni, suorumque Orientalium: *Si naturalis est unitio, ubi gratia, ubi divinum Sacramentum?* Verum vobiscum gratulor, Viri humanissimi, qui iam edocti estis haec diluere sophismata. Audio enim vos reponentes, si Cyrillus oppugnat Nestorianos unicum Dei & Virginis Filium dividentes in duas personas, recte negavit separandas esse hypostases, quia duae naturae in una persona copulantur; recte duarum naturarum unitionem appellavit physicam & substantialem, quia non dignitate & honore duntaxat, sed hypostasi sunt coniunctae; recte hanc unitionem dixit ἕνωσιν, φυσικὴν, non ad oppugnandum Sacramentum gratiae, sed ad unionem non substantialem eliminandam. Non aliter loquitur S. Cyrillus in sua Apologia; ideoque ad quartum Anathematismum progrediamur.

IV. De tertio Anathematismo Cyrilli.

V. Comprehenditur ille hisce verbis: *Si quis duabus Personis, vel hypostasibus, eas voces attribuit, quae in Evangeliis, vel Apostolicis Scripturis passim accurrunt, vel quae a Sanctis de Christo, aut ab ipso Christo de seipso dictae sunt, & alias quidem homini seorsim a Dei Verbo consecrato adscribit, alias vero tanquam in divinam maiestatem convenientes, soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodat; anathema sit.* Et hic tumultus excitant, & in Cyril-

V. De quarto S. Cyrilli Anathematismo.

lum insurgunt Orientales, quod naturarum perimat differentiam, & uni, eidemque naturae adscribat, quae divisim humanae, & divinae conveniunt, adeo ut humana sit, quae dicitur genita a Patre; divina, quam peperit Virgo, idque ob naturalem illam unitionem, quam adstruit sensu Apollinarii, & Arii. Verum nec ista, Viri spectatissimi, vos aliquantulum movent; advertitis enim recte sapienterque, in hoc Anathematismo Cyrillum nequaquam in naturam humanam quae sunt divinae; aut in naturam divinam quae sunt humanae transferre; sed adversari Nestorianis, qui ea quae sunt Dei, & ea quae sunt hominis, Christo convenire autumabant, non tanquam unico Dei Filio, sed tanquam duabus personis, & distinctis hypostasibus, Nostis item hanc esse *Communicationis idiomatum*, ut Schola loquitur, regulam, ut quando duae naturae in una copulantur hypostasi, utriusque proprietates conveniant personae, non autem attributa unius enuntientur de altera. Ita de homine, qui mente & corpore constat, dicitur quod sit ratione praeditus, quod proprium est mentis, & dicitur quod sit obnoxius morti, quod proprium est corporis; at vel mentem mortalem, vel rationale corpus nemo appellabit: atque eodem prorsus modo de Christo, in quo est divina & humana natura in unitate personae, enuntiatur quod sit omnipotens ac sempiternus spectata divinitate, & quod sit natus ac mortuus propter humanitatem assumptam; hanc autem dicere omnipotentem ac sempiternam, illam natam ac mortuam, non finit Catholica Fides, atque horrent credentium aures. Quintus Anathematismus ...... Sed hora labitur; de hoc proxima Exercitatione pertractabimus.

Sequitur Dissertatio de Anathematismis S. Cyrilli.

CAPUT VI. I. ANATHEMATISMUS vocabulum graecum est, derivatum ab ἀναθεματίζω, *devoveo*, *aut detestor*, unde Latine dixeris *Dirarum imprecationem*. In sacris autem Conciliis, & apud Ecclesiae Patres, Anathematismus vocatur execratio illa, aut devotio, qua alicui imprecamur anathema. Anathema item ab ἀνατέθεμαι, *execror*, vel ab ἀνατίθημι *suspendo*, derivat, ideoque etiam donaria, quae Deo dicata, templisque appensa tollere, aut tangere nefas erat, Deut. 13. Iosue 7. & Iudith 16. dicuntur *anathema*, quamquam sunt, qui inter anathema appellatum ab ἀνατίθεμαι, & ab ἀνατίθημι etiam syllabae productione distinguunt; quod tamen ingenio magis, quam veritate faciunt, cum in Sacris Bibliis tam donaria illa templorum, quam excisiones, & imprecationes eodem modo scribantur, tum Graece ἀνάθεμα, tum Hebraice *Hermach*. Sed quorsum haec ad Grammaticam

cam potius, quam ad Historiam pertinens circumlocutio? Porro de Anathematismis Cyrilli, de solis quatuor prioribus egimus Exercitatione transacta; cum vero idem argumentum prosequi debeamus, protheoriae loco etymologiam Anathematismi praemisimus.

II. Quintus itaque S. Cyrilli Anathematismus est, qui sequitur: *Si quis dicere audet, Christum non esse verum Deum, sed hominem tantum Deiferum, utpote unum naturalemque filium, quatenus nimirum Verbum caro factum, carni, ac sanguini proinde ac nos, communicavit; anathema sit.* Θεοφόρον Nestorius Christum vocabat, idest, *Deum in se ferentem*, quod recte dici, quorumdam veterum exemplis nitebatur ostendere. At quanquam id sano, & Catholico sensu dici possit; tamen si negetur, Christum esse Deum, haereticum est ac blasphemum; & consequenter caute & circumspecte Cyrillus in illos intorsit anathema, qui cum haeresiarcha appellant Christum θεοφόρον ἄνθρωπον, & negant Θεὸν εἶναι κατ' ἀλήθειαν, utrumque coniungens, & nudam vocem Deiferi, & apertam negationem Divinitatis. Et revera sola Θεοφόρου nequit Salvatorem nostrum Deum a nudis hominibus segregare; quandoquidem omnes Sancti Viri θεοφόροι nominantur, quasi Deum circumferentes; sicut Christophorus, & qui sub Decio martyr occubuit in Lycia, & qui Cordubae in Arabum persecutione mortem oppetiit: θεοφόρος quasi proprio cognomento dicitur S. Ignatius Martyr initio Epistolarum suarum, Act. I. Concilii VIII. Oecumenici, atque in omnibus Graecorum Menaeis; θεοφόροι sunt denique omnes, qui obtemperant Apostolo scribenti I. ad Corinth. 6. 20. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Nihil itaque in hoc quinto Anathematismo invenitur quod reprehendi possit tanquam vel ambiguum, vel falsum, vel errori aut haeresi proximum; & non sit potius libratum, perspicuum, & fidei consonum.

III. *De Sexto S. Cyrilli Anathematismo.*

III. Sequitur Anathematismus Sextus: *Si quis Dei Patris Verbum, Christi Deum vel Dominum esse dixerit, neque post Verbum secundum Scripturas Incarnatum, unum eumdemque Deum simul & hominem confessus fuerit; anathema sit.* Offendit in hoc articulo Orientales, quod Cyrillus neget Verbum esse Deum Christi hominis; quando de Christo ut homine, praenuntiaverat Isaias: *Servus meus es tu, Israel, & in te gloriabor*: & rursus, *Formavit me ex utero servum sibi*: ac ipse Christus Patrem *Deum*, ac Dominum suum appellavit, quando ait ad Apostolos, *Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Quod si Pater est Deus Christi, cur, aiebant, eiusdem Christi Deus non est Verbum, cuius cum Patre una est, eademque divinitas? Inepta, & supra quam dici possit insulsa, argutatio! Neque enim S. Cyrillus negat, Christum secundum assumptam humanitatem posse dici servum Patris, quamquam & de hac re quaestio apud Theologos agitatur, & Apostolus inquit, *Iam non est servus, sed Filius*: sed negat solummo-

modo Verbum esse Deum Christi, aut Dominum Christi: Εἴ τίς (inquit) Θεὸν, ἢ δεσπότην, λέγει τοῦ χριστοῦ τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς λόγον; inter Dominum enim, ac servum, intercedit Personarum discrimen: & quemadmodum Christus dicens, *Adscendo &c.* demonstrat Patrem esse personam a seipso distinctam; ita Nestorius affirmans Deum Verbum esse Christi Creatorem & Dominum, dogmatizabat Verbum esse personam distinctam a Christo. Ipse Cyrillus sese explicat lib. III. contra Nest. cap. 2. ubi ait: *Vbinam dictum est Deus Christi (horresco referens.) ipsum Dei Patris Verbum? Vnus est Dominus Iesus Christus. Si autem Deus Christi est Verbum, quod ex Deo Patre est, duo erunt omnino, & indubitanter.* Ad adstruendam itaque unam in Christo personam tendunt omnes Anathematismi hactenus explicati.

IV. *De Anathematismo Septimo.*

IV. Haud aliter censendum de Septimo: *Si quis dicit, tanquam in hominem Iesum, Deum Verbum fuisse operatum, & Vnigeniti dignitatem, tanquam alteri, praeter ipsum, existenti tribuit, anathema sit.* Graviter hoc loco Orientales incusabant Cyrillum, quod negaret Deum & Verbum in Christo fuisse operatum, quando idem Christus Act. 2. dicitur *exaltatus dextera Dei* τῇ δεξίᾳ τοῦ Θεοῦ ὑψωθείς, & in Epistola ad Ephes. 1. suscitatus *secundum operationem potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo*, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ χριστῷ. Sed eius, quem semel Apollinaristam fuerant suspicati, verba omnia eodem pravo sensu detorquent. Neque enim asseruit Cyrillus, nunquam Deum Patrem in Christo, sive Deum Verbum in assumpta hominis natura fuisse operatum: asseruit Verbum non fuisse operatum in homine Christo, ὡς ἑτέρῳ προσώπῳ tanquam *in altera persona* a seipso distincta, neque gloriam dignitatemque Vnigeniti ipsi Christo, ὡς ἑτέρῳ, *tanquam alteri*, convenire; idque ad refellendum Nestorium, qui Christum solitarium hominem esse contendens, & gratia tantum, & profectu virtutis ad Vnigeniti Filii Dei nomen, & gloriae participationem evectum. Ita sese explicat Cyrillus in Epistola ad Acacium Beraeensem Episcopum, necnon lib. II. contra Nestorium cap. 4.

V. *De octavo Anathematismo.*

V. Anathematismus Octavus est: *Si quis audet dicere, assumptum hominem una cum Deo Verbo adorari oportere, & una cum ipso glorificari, & una Deum appellari, tanquam alterum existentem in altero (nam particula Cum, addita hoc cogit intelligi) & non magis una reverentia veneratur Emmanuelem, unamque ei glorificationem impendit, quatenus Verbum factum est caro, anathema sit.* Fatebatur Nestorius formam servi, & humanam Christi naturam, esse una adoratione colendam, non propter seipsam, sed propter societatem, qua coniuncta est naturae Vnigeniti. Idem fatebantur & Episcopi Orientales, & Cyrillo assentiebantur, quod Christus non

non sit adorandus, & glorificandus tanquam persona a Verbo distincta. Quid ergo in hoc Anathematismo diffidii? Nestorius, qui ut saepenumero dictum est, non aliam unitionem agnoscebat inter humanam, divinamque Christi naturam, quam honoris & potestatis, adorationem & glorificationem unam propugnabat, qua propter inhabitantem, & latentem Deum, hominem fatebatur esse colendum, ut alibi eiusdem Nestorii verbis ostendimus; & contra hanc blasphemiam definit S. Alexandrinus Episcopus, non esse assumptum hominem adorandum, ut alterum personam existentem in altera. Episcopi autem Orientales a Nestoriana haeresi immunes, falsum putabant, quod Cyrillus aiebat particulam *σὺν cum* designare distinctionem personarum; quoniam, fatente Cyrillo ipso, Dominus *cum sua carne* assidet Patri, simulque adoratur, & tamen caro non est distincta a Christo persona: immo opponebant Cyrillo antilogiam, propterea quod si particula *cum* non importat distinctionem personae dum dicitur *Christus sedet cum sua carne ad dexteram Patris*; nec etiam distinctionem personae importat dum dicitur *Deus Verbum adoratur cum Christo*; atque ita Cyrillum irridebant tanquam inepte ratiocinantem, & sibi ipsi contrarium. Etsi autem adhaec Cyrillus respondet longiori & prolixa oratione; brevi tamen & expedite ex illius doctrina reponimus, particulam illam *cum* diversas designare personas, quando de personis enuntiatur, ut si dixero, *Socrates perambulat cum Platone*, *Paulus ingreditur templum cum Petro*, quis distinctas personas significari non videt? Cum itaque Verbum, & Christus sint nomina, quae personam designant; nequit dici, *Verbum adoratur, & conglorificatur cum Christo*, nisi affirmando Christum esse personam distinctam a Verbo; quod affirmari non potest absque nota haeresis; ut definitur in octavo Anathematismo: De quo hactenus.

De reliquis S. Cyrilli Anathematismis.

I. Recte Auditores nostros admonere solemus, vocum novitates sedulo esse cavendas. Nestorius enim inusitata antiquioribus ratione appellans unum Dominum Iesum, nunc Deiferum, nunc adorandum propter inhabitantem in eo Deum Verbum, nunc alterum a Deo, qui servi formam assumpsit, ut vidimus anteacto Capite, in duas hypostases, ac per se existentes substantias, illum secare iniquissime nitebatur. Quod si Augustinum in 1. Retr. cap. 19. poenituit, a se in libris de Serm. D. in Monte, Christum appellatum fuisse *Hominem Dominicum*, etsi has usurpando voces imitatus fuerat quosdam Tractatores eloquiorum divinorum, idque se dixisse poenituit, ne unus mediator Dei & hominum Christus Iesus, cum sit utique Dominus, talis non esse ab aliquo crederetur; quanto magis CAPUT VII.

gis, usurpatae illae a Nestorio dicendi formulae seminandae haeresis animo cavendae erant, & refutandae? Merito itaque illas Anathematismis, quorum postremi quatuor remanent explicandi, S. Cyrillus expunxit, atque proscripsit; tametsi idem Cyrillus novas quasdam adhibens locutiones, apud Orientales venerit in suspicionem erroris, a quo ipsum purgare & vindicare hac quoque Exercitatione studebimus.

II.
De novo S. Cyrilli Anathematismo.

II. Concipitur Nonus Cyrilli Anathematismus his verbis: *Si quis unum Dominum Iesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tanquam ab aliena Virtute, qua per eum uteretur, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos Spiritus, & per eum dicit implesse divina signa, & non magis eius proprium Spiritum dicit, sicut & Patris, per quem signa operatus est; anathema sit.* Insurgunt in hunc Anathematismum Orientales. Annon Christus virtute Spiritus Sancti signa patravit? annon ait, se virtute eiusdem Spiritus, atque *in digito Dei* daemonia eiicere? annon Spiritus super eum in columbae specie descendit? annon replendum fore eodem Spiritu praenuntiaverat Isaias? Qua ergo audacia negare potest Cyrillus, Christum efficaciam, virtutem, atque energiam patrandorum signorum a Spiritu Sancto accepisse? At cum Nestorius negans Christum esse Deum, consequenter assereret Christum ipsum miranda patrasse tanquam per alienam, sibique aliunde impertitam virtutem, quando Spiritus Sanctus, in quo mirabilia efficiuntur, non est Filio extraneus, sed aeque Filii, ac Patris est Spiritus, recte beatus Cyrillus affirmat, Spiritus Sancti virtutem non esse Christo peregrinam & collatitiam, & propriam solius Divinitatis, a qua Christus homo distractus esset hypostasi. Quare non ait Alexandrinus Antistes, Dominum Iesum non esse glorificatum a Spiritu Sancto, sed ait non esse glorificatum, ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει *tanquam ab aliena virtute*; neque ait, non operasse admiranda per Spiritum Sanctum, sed ait, ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, δι' οὗ ἐνήργησε τὰς θεοσημείας, *proprium ipsius Filii esse Spiritum, per quem operatus est divina signa*: Quo nil castigatius, nil verius, nil commodius ad profligandam haeresim Nestorianam proferri poterat.

III.
Decimus S. Cyrilli Anathematismus exponitur.

III. Anathematismus autem Decimus est: *Pontificem & Apostolum Confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat; Obtulit enim semetipsum pro nobis Deo Patri in odorem suavitatis. Si quis ergo Pontificem & Apostolum nostrum alium dixerit esse factum, praeterquam ipsum Deum Dei Verbum, quando factum est caro, & secundum nos homo, sed quasi alterum praeter ipsum specialiter hominem, ex muliere; & si quis dixerit, quod pro se obtulit seipsum oblationem, & non potius pro nobis solis; non enim indiguit oblationem, qui peccatum nescivit; anathema sit.* Opponebant Orientales, non posse Deo convenire, ut dicatur Pontifex & Sacerdos; primum, quia Apostolus Paulus in Epist. ad Hebr.

cap. 3.

cap. 3. inquit, Pontificem nostrum Christum Iesum, ut condoleret infirmitatibus nostris, *tentatum fuisse per omnia pro similitudine, absque peccato*; quae sane in Christum, ut hominem, quadrare possunt, non autem in Christum ut Deum. Deinde quia Pontifex & Sacerdos offert Deo sacrificium; at cui Deo sacrificium offerre potest Deus Verbum, quum sit idem Deus, cui sacrificium offertur? Versant haec etiam e Schola Theologi 3. p. q. 22. ubi disputant de Christi Sacerdotio; omnesque unanimi consensu docent esse illum Sacerdotem; quod praenuntiavit David Ps. 109 asseruit Apostolus Ep. ad. Heb. cap. 4. & 8. definivit Tridentina Synodus Sess. 22. cap. 1. demonstrat denique ratio, quia Christus obtulit semetipsum Deo ostiam, & oblationem. Si autem ab iisdem Theologis petas, an Deus Verbum possit dici Sacerdos, respondebunt, posse quidem, cum hoc additamento, *quatenus homo*, propterea quod conveniat quidem Personae Verbi Sacerdotio fungi, sed ratione humanitatis assumptae, non vero ratione divinitatis, unde Augustinus lib. 1. cap. 3. de Cons. Evangelist. inquit: *Secundum hominem Christus Rex & Sacerdos effectus est.* Atque hac defaecata Theologorum omnium doctrina obiecta Cyrillo evanescunt. Non enim ait, Deum Verbum esse Pontificem & Apostolum confessionis nostrae spectata divinitate, & forma Dei, quam habet communem cum Patre, sed attenta humanitate, & forma servi, quam assumpsit ex Virgine, ratione cuius, quemadmodum dicitur exinanitus, factus ex muliere, natus, passus, suscitatus a mortuis, ita appellari debet Pontifex, & Sacerdos. Quoniam autem impius Nestorius autumabat, Christum esse alium a Deo Verbo, & paullatim ad Pontificis dignitatem fuisse profectum, beatissimus Cyrillus nequaquam ait: Pontifex, & Sacerdos, qui pro nobis immolavit semetipsum in ara Crucis, non est alia a Deo Verbo persona, & impiissime de illo sentit Nestorius, qui dicit, τὸν ἀρχιερέα (notate castigatissimum loquendi modum) *καὶ ἀπόστολον ἡμῶν γεγενῆσθαι οὐκ αὐτὸν τὸν ἐκ θεοῦ πατρὸς λόγον, Pontificem, & Apostolum nostrum esse alium, praeter ipsum Dei Patris Verbum.* Quare cum non sit in hoc Anathematismo, quod iure possit reprehendi, ad undecimum progrediamur.

IV. Vndecimus Anathematismus his verbis comprehenditur: *Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, tanquam propriam ipsius Dei Verbi, sed quasi alterius cuiuspiam praeter ipsum, coniuncti quidem secundum dignitatem, aut secundum quod solam divinam habitationem habuerit: & non potius, ut diximus, vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est; anathema sit.* His utique verbis S. Cyrillus Dominicae carni tribuit, quod vitam conferat, quod ex incruento, & vivifico Sacrificio, & Sacramento Eucharistico, de quo ipse Dominus ait, *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*, egregie evidenterque de- IV. *De Anathematismo undecimo.*

demonstrat in eiusdem Anathematismi expositione: & ulterius confirmat unitionem κατὰ ὑπόστασιν dum eamdem carnem vocat ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγου, *propriam ipsius Dei Verbi*, ἑτέρου τινὸς παρ' αὐτοῦ συνημμένου μὲν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν, *alterius cuiuspiam ab ipso Verbo, eique secundum dignitatem coniuncti*. Quid ergo? Nestorius, qui unitionem *secundum hypostasim* respuebat, negabat carnem esse vivificatricem, obiectans quod scriptum est Ioan. 6. *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quicquam*. Orientales autem hoc unum in Anathematismo oppugnabant, quod Cyrillus vocans Carnem Domini *propriam Dei Verbi*, *non alterius*, videbatur asserere eamdem carnem non esse similem nostrae. Sed nugae hae sunt, & cavillulae, nam etsi Caro non prosit seipsa, prodest tamen quatenus est propria Dei Verbi; & quamvis sit similis nostrae, non est tamen in Christo caro alterius personae distinctae a Deo Verbo, eique coniunctae, tantummodo secundum dignitatem & inhabitationem; quod cum Cyrillus tam expresse, tam enucleate tradiderit; ad duodecimum ac postremum Anathematismum accedo.

V. *De postremo S. Cyrilli Anathematismo.*

V. Comprehenditur ille hoc articulo: *Si quis non confitetur, Deum Verbum carne passum esse, & carne crucifixum, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod est & vita & vivificator ut Deus; anathema sit*. Non aliud & Nestorius, & Orientales, & Theodoretus circa hunc articulum obiecerunt Cyrillo, nisi quod Deo Verbo passionem, mortem, ac resurrectionem tribuerit: At cum Cyrillus non dixerit passam & mortuam Divinitatem, immo neque absolute pronuntiaverit mortuum, & passum Deum Verbum, sed cum additamento λόγον παθόντα σαρκὶ, καὶ θανάτου γευσάμενον σαρκὶ, *Verbum carne passum, & carne mortem gustasse*; eiusque Cyrilli mens fuerit, non pependisse in cruce hominem purum, cui Verbum unitum non fuerit substantialiter, sed hominem Deum, sive Verbum carni *secundum hypostasim* coniunctum; non est, cur in exornandis S. Cyrilli Vindiciis, eiusque Anathematismis explicandis diutius immoremur.

An Beatae Virgini Vocabulum Θεοτόκος *conveniat.*

CAPUT VIII. I. INCUSABIT fortasse nos aliquis, quod Anathematismos Cyrilli exponendo jejune admodum pertractaverimus de voce Θεοτόκος, quam Beatissimae Dei Genitrici competere inficiabatur haeresiarcha Nestorius; maxime quod de ipsa voce agit laudatus Cyrillus Anathematismo priore, totaque dissidiorum origio exorta sit ex quo Anastasius presbyter vocabulum illud pro concione interdixit. Sed argumenti dignitas, & amplitudo, ac Filiae Ioachim meritum singulare postulabant, ut non coacervatim & perfunctorie, sed singillatim, atque

apo-

apodictice in hoc versaremur; cuius etiam caussa praemisimus cetera, quae commonstrant, non esse Emmanuelem *in duas hypostases* dividendum; quippe ideo Nestorius vocem illam θεοτόκον execrabatur, ne ea recepta cogeretur fateri, hominem, quem Virgo genuit, & peperit, esse Deum Verbum. Quod cum probe ex praehabitis alloquiis nostris intellexeritis, Viri humanissimi, planior erit, & facilior, quam nunc instituimus, de voce θεοτόκος dissertatio.

II. Θεοτόκος Graecum vocabulum est, *ἀπὸ τοῦ τίκτειν, gignere, ac parere*. Plura huius verbi exempla protulit ex Homero, Hesiodo, & Sophocle Robertus Constantinus in Lexico: plura etiam ex Ephremio Antiocheno, ex Cyrillo, ex Damasceno, aliisque Patribus, lib. v. de Incarnat. cap. 15. Petavius. Θεοτόκον itaque repudiarunt Valentiniani, qui Verbum non a Virgine genitum, sed per eam transiisse, ac superne delapsum, ex illius alvo effusum dogmatizarunt: repudiarunt Apollinaristae, qui non Deum, sed nudum hominem Virginem enixam crediderunt; repudiarunt Nestoriani, qui negabant hominem in eius utero genitum & formatum esse καθ' ὑπόςασιν ipsum Dei Verbum. Sola itaque Vocabulorum explicatione constat, Mariam esse θεοτόκον, & Dei Genitricem, quoniam in ea & ex ea Deus Verbum factum est caro, idemque Verbum carni substantialiter coniunctum genuit, & emisit in lucem absque detrimento Virginitatis. Sed ut Catholica veritas magis appareat, idem Scripturarum Sanctarum auctoritate, Patrum traditione, necnon ratione apertissima confirmabimus.

III. Et quantum ad Scripturas divinas attinet; quid sibi vult Apostolus Paulus scribens ad Rom. 1. Filium Dei *factum esse ei ex Semine David secundum carnem*, γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαυὶδ κατὰ σάρκα; quid ad Galatas 4. dum ait, Filium Dei *factum ex muliere, constitutum sub lege*, γεννώμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον; quid sacrosancta Evangelii Verba, ad quae genua quotidie flectimus, *Verbum caro factum est*, ὁ λόγος, σάρξ ἐγένετο. Vbi factum ex Semine David, ubi factum ex muliere, ubi factum caro, nisi in Beatissimae Puerperae utero? Ea itaque Filii Dei Verbi, quod sonat θεοτόκος, est dicenda Genitrix.

IV. *Idem demonstratur ex Patribus.*

IV. Nec minori perspicuitate id ex doctrina Patrum eruitur; quorum nonnullos producam ex iis, qui floruerunt ante Nestorium, nam qui posteriores fuerunt aetate, quoniam de iis nullus haesitat, otiose (pace dictum sit Iudici Coccii, Petavii, Natalis Alexandri, aliorumque testimonia innumera proferentium) in medium adducuntur ad confutandum Nestorium. Atque ex Latinis Nestorii praecesserunt aetatem Tertullianus, Ambrosius, & Augustinus: quorum primus de Carne Chr. cap. 17. inquit: *Ante omnia commendanda erit ratio, quae praefuit, ut Dei Filius ex Virgine nasceretur*. Alter ep. 63. *Filius coaeternus Patri carnem suscepit, & natus est de Spiritu*

 San-

Sancto ex Virgine Maria: Tertius de Dono Perf. cap. ult. *Dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum natum de homine matre, certa plenitudine temporis*. At Latini sunt isti, & fortasse ignoti Nestorio. Veniat ergo in aciem Iustinus repetens quod ait in Dialogo cum Triphone, λόγον διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπον γεγονέναι, *Verbum per Virginem homo genitus est*. Veniat Ignatius, repetens, quae scripsit ad Trallianos, Ἀληθῶς γέγονεν ἐν μήτρᾳ ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐν μήτρᾳ διαπλάττων, *Vere in utero conceptus est, qui universos homines plasmavit in utero*. Veniant, qui etiam vocem θεοτόκον expresse Virgini Mariae attribuerunt, Origenes in Epistolam ad Romanos, Dionysius Alexandrinus in Ep. Synodica ad Paulum Samosatenum, Alexander item Alexandrinus in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, Athanasius in Epistola ad Solitarios, & Oratione 4. contra Arianos, Basilius Hom. 25. de Humana Christi Generatione, & Gregorius Nazianzenus Oratione 35.

V. *Profertur ratio.*

V. Et recte sapienterque, necnon suadente ratione, tum laudati Patres, tum postea Cyrillus ac Synodus Ephesina & tandem universi Catholici, Mariam Θεοτόκον, *Dei Genitricem* nominarunt. Vt enim ratio huius appellationis subsistat, nihil aliud requiritur, quam, quod Verbum ex Virgine carnem sumpserit, & ob unitionem hypostasis unus, idemque sit Mariae Filius, qui est Filius Dei Patris; *Si enim*, ut verbis utar Facundi Hermian. lib. 1. Defens. trium *Cap.* cap. 4. *Deus vere est homo, nec aliunde vere est homo nisi nascendo de Virgine, cur non dicatur Deus vere natus ex Virgine*? Si autem dicitur vere natus ex Virgine, cur non dicatur Virgo vere Dei Genitrix?

VI. *Proponuntur obiecta Nestorii.*

VI. Sed audiamus, quaeso, Nestorii cavillationes. Maria, inquit, non genuit, neque peperit Divinitatem, ut commentus est Apollinaris, quomodo ergo dici potest Θεοτόκος, scilicet Dei parens, sive, quae Deum natura genuit, & peperit? Addit: Omnis mater debet esse filio consubstantialis, siquidem ei substantiam propriam communicat; mulier autem Deo consubstantialis dici nequit; ideoque nec Dei mater. Addit rursus: Ex una substantia, quae est in Virgine, gigni non potest duplex substantia, quae est in Christo. Quam ergo Maria genuit? Hominis proculdubio: ideoque non genuit substantiam Dei, nec vocari potest Dei genitrix. Addit rursus: In quo Scripturae loco invenitur nomen istud Θεοτόκον? in quo legitur Mariam Deum peperisse? Nullibi novum illud vocabulum offendes; nullibi Christus, ubi eius nativitas, aut mors, aut aliud quidpiam, quod ei conveniat ratione humanae naturae, quam assumpsit ex Virgine, Deus nuncupatur: Sed aut Christus, aut Dominus, aut Filius hominis, quae tria vocabula sunt ambabus naturis communia. Appellemus itaque Virginem χριστοτόκον, appellemus, si lubeat, ἀνθρωποτόκον; θεοτόκον autem nequaquam.

VIII. In

VII. In his argutiolis dirimendis non faciam temporis cursu velocissimo properantis jacturam aliquam. Etsi enim Maria non genuit *Divinitatem*, immo si castigate loqui velimus, Divinitas, cum sit communis tribus personis, nec generatur, nec gignit. Genuit tamen *Personam Verbi* secundum carnem, idest secundum naturam humanam ipsi Verbo hypostatice unitam; secundum quam est Filio consubstantialis; & licet solam hanc naturam assumptam in Virgine procreatam fateamur, nihilominus quia est propria Dei Verbi, non illi peregrina & extranea, aut coniuncta solo affectu, vel dignitate; ipsum *Deum Verbum*, ratione illius, genitum & natum ex Virgine pronuntiamus: idque profitentes dum Mariam appellamus θεοτόκον, utimur voce ante Cyrillum usurpata ab Origene, a tribus Alexandrinis Episcopis sapientissimis ac sanctissimis, Dionysio, Alexandro, Athanasio, a Magno Basilio, a Gregorio Nazianzeno, aliisque; & eadem vox, tametsi in Scripturis non habeatur expressa, consona est tamen illis locis compluribus, ubi Verbum Dei Filius Dei dicitur unus, & factus ex muliere, & ex Semine David, ut diximus paullo supra. VII. *Solvuntur eadem obiecta.*

VIII. Profecto nil repugnat castissimam Dei Matrem appellari etiam χριστοτόκον, & ἀνθρωποτόκον, Christi nimirum, vel hominis Genitricem, quoniam & Deus Verbum ex ea factus secundum carnem, vocatur Christus, & Filius hominis; & execramur tantummodo istiusmodi voces in sensu Nestoriano, quatenus iis Nestorius significare intendebat, Virginem genuisse, & peperisse Christum hominem distinctum hypostasi a Verbo Deo. Ita & S. Ioannes Damascenus lib. III. de Fide Orthodoxa cap. 12. aiebat: *Christiparam autem nequaquam dicimus Sanctam Virginem, quia ad revnendum vocabulum* θεοτόκος, *idest, Deipara, seu Dei Genitrix, scelestus, & odibilis, & cum Iudaeis sapiens Nestorius id adinvenit*: χριστοτόκον δὲ οὐδαμῶς φαμεν τὴν ἁγίαν παρθένον, διότι ἐπ' ἀναιρέσει τῆς θεοτόκος φωνῆς ὁ μιαρὸς καὶ βδελυρὸς καὶ Ἰουδαιόφρων Νεστόριος... ταύτην τὴν προσηγορίαν ἐξεύρατο. Quae pro praesenti Exercitatione ad laudem Sanctissimae Dei Genitricis dicta sint. VIII. *De vocabulis* χριστοτόκος, *&* ἀνθρωποτόκος.

De Theodoreto Episcopo Cyri.

I. Ad examen superius revocata *Actione* Domni Episcopi olim Antiocheni, agendum est praecedenti lucubratione de Episcopo Cyri Theodoreto, cuius causa in Synodo Chalcedonensi discussa fuit Actione octava. Postulat autem tanti viri celebritas, ut de ipso paullum accuratius pertractetur. Ergo illorum, qui adversabantur Cyrillo, huiusque Anathematismos oppugnabant, nomine, ac doctrina celebrior fuit Episcopus Cyri Theodoretus. Nomine conspi- CAPUT IX.

cuum

cuum dico; nam Theodoretus appellatus est, quasi dono datus a Deo a Graeco *Θεὸς Θεὸς*, & *δωρέομαι*. *Dono* quod praecibus Macedonii Ascetae, viri sanctissimi illum mater post tredecim coniugii annos pepererit; ut ipsemet Theodoretus litteris tradidit in Historia Religiosa cap. 9. Addidi, etiam doctrina celebrem esse, ac praeclarum: quis enim Bibliothecam adit aliquam, & non miratur quatuor illa Operum Theodoriti amplissima praestantissimaque Volumina, Graece ac Latine digesta doctissimi Sirmondi studio, additumque elaboratissimum Ioannis Garnerii Auctarium, eruditis dissertationibus concinnatum? Sed cum pessime aliquando audierit, tum ob amicitiam Theodori Episcopi Mopsuesteni, & haeresiarchae Nestorii, tum ob simultatem Cyrilli, aliorumque Patrum Orthodoxorum; ipsius Theodoriti fides non levibus coniecturis solet ab Historicis controverti. Quibus ut morem geramus; de eius vita, de varia fortuna, ac de multiplici eruditione quaedam praemittenda esse arbitramur.

II. *Vita Theodoriti Synopsis.* II. Theodoritum Antiochiae in lucem editum *Coss. Honorio & Evodio*, & anno VIII. Theodosii Magni, idest, anno Christi 386. Caveus, Oudinus, aliique recentiores, Duce Garnerio, opinantur, probabilitate tamen ducti, non certo aliquo munimento. Septennis in Monasterio Euprepii, in Antiochiae Suburbiis, religiosae vitae, ac litterarum, una cum Ioanne Antiocheno, & Nestorio, posuit tyrocinia; ideoque mirum non est, si eis coniunctus fuit arctissimo amicitiae vinculo; quae enim prima contrahuntur aetate consuetudines, tenacius haerent, & difficillime eradicantur. Audivit in eodem Monasterio Theodorum Mopsuestenum, & S. Ioannem Chrysostomum, hisque tradentibus assecutus est exquisitam dicendi rationem, & eloquentiam. A Theodoro Antiocheno anno 420. (juxta Baronium 423.) consecratus est Episcopus Cyri, Vrbis Syriae, ac sitae in ea parte provinciae Euphratesiae, quae vergit ad Occidentem: a Cyro Persarum rege conditam, & a Conditore nomen sortitam, scribunt Geographi; quamquam tanto fundatori non respondeat eiusdem Vrbis celebritas, & amplitudo. Diximus Theodoritum renuntiatum Episcopum an. 420. siquidem id Garnerius evincit ex iis, quae affirmat Theodoretus ipse Ep. 80 ad Eutrechium praefectum, & 81. ad Nestorium anno 431. interfuit Synodo Ephesinae a Ioanne Antiocheno, eiusque Episcopis celebratae adversus Cyrillum, & adversus eumdem Nestorium, Synodumque alteram Ephesinam, a qua Nestorius damnatus est; edidit *πενταλόγιον*, scilicet *Quinque libros*, quos Marius Mercator appellat *Diabolo instigante conscriptos*. Cyrillo anno 444. fatis functo, cum Theodoretus continere se non posset, quin animi sui sensum verbis, scriptisque testaretur, venit in maiorem suspicionem consensionis cum Nestorio: quare Theodosius veritus ne Christum in duas personas divideret, & eloquentia ac auctoritate, qua plurimum valebat, sopitas turbas excitaret, & haeresim damnatam erigeret, iussit

iussit anno 445. ne Cyro discederet, neque Antiochiam, aut civitates alias, etiam habendae Synodi caussa, proficisceretur; quod *domesticum exsilium suum Theodoretus* appellat, scribens ad Eutrechium, & ad Anatolium Patricium. In Synodo autem *Latrocinali* Ephesina coacta anno 449. in qua Eutychianorum factio praevaluit, una cum Domno Antiocheno, Eusebio Dorilaei, Sabiniano Perrhae, & Iba Edesseno, Theodoretus ab Episcopatu deiectus est, atque ad S. Leonem Magnum Romanum Episcopum appellavit. At anno proximo 450. post obitum Theodosii, qui e vivis excessit die 29. Iulii, a Marciano Theodosii successore revocatus est ab exsilio; proximoque anno in Synodo Chalcedonensi, cum tandem damnasset Nestorium, restitutus est Sedi suae, ibique in pace Ecclesiae decessit, anno iuxta Gennadium, Caveum, Dupinium, aliosque 457. & postremo Marciani Augusti, Fl. Rufo *Orient.* & Fl. Constantino *Occid.* Consulibus.

III. *Adnotationes circa variam Theodoriti fortunam.*

III. Vitae Theodoriti Synopsim tradidimus breviorem, ac exactiorem, quam fieri poterat, Viri ornatissimi. In eam modo quaedam animadvertere praestat, in varia praesertim ipsius Theodoriti fortuna. Ac primum est, quod ante exortam haeresim Nestorianam, & nondum dissidiis Ecclesia turbata, Theodoritus strenue pro fidei dilatatione pugnavit. Neque enim falso, aut iactanter, insolenterque de seipso scripsit ad Eutrechium: *Vicos octo Marciani haeresi corruptos, una cum vicinis locis, ad veritatem nolentes perduxi: vicum alium Eunomianis refertum, & alium Arianis, divinae cognitionis luce illustravi; nullumque apud nos, Dei beneficio, haeresis lolium relictum est. Neque vero ista sine periculis praestiti; sed fuso plerunque sanguine, lapidatus ab eis persaepe, & ad ipsas Orci portas impulsus.* Alterum animadversione dignum est, Theodoritum tam amarulento & exacerbato animo fuisse in S. Cyrillum; ut etiam post huius mortem in ipsum acerbiter inveheretur; ut colligitur ex Epistola, quae inscribitur ad Ioannem Antiochenum, quam licet Baronius, Lupus, aliique nonnulli, negent scriptam a Theodorito, quoniam Ioannes Antiochenus longe ante annum 444. Cyrilli emortualem ad superos emigraverat; (obiit enim Ioannes anno 33. Theodosii, Christi 441.) Theodoriti tamen est proculdubio, nomenque Ioannis Antiocheni, pro nomine Domni Antiocheni intrusit imperitus amanuensis, ut demonstrat Norisius ex historia V. Synodi; cuius collatione quinta eadem Epistola perlecta fuit; post quam haec in Synodi Actis leguntur: *Et iterum post mortem beati Cyrilli idem Theodoritus in Allocutione dicta Antiochiae, praesente Domno, morti eius insultavit.* Quare Auctor non ignobilis Commentarii, Oudinus Tom 1. pag. 1056. De Scripr. Eccl. de hac Epistola inquit: *Quam ego cum Concilio Generali tribuere ipsi Theodorito malim, quam vel abiudicare cum Baronio, vel cum aliis variis ob causas suspectam habere.* Tertium, quod adnotari oportet, est, Theodoretum a Dioscoro Alexan-

xandrino, & a Synodo Praedatoria depositum appellasse ad Romanum Pontificem: quod tametsi negant Appellationum Impugnatores, maxime Dupinius dissert. 2. de Antiq. Eccl. discipl. adversus virum eruditissimum Christianum Lupum, & Paschasius Quesnellus in Epistolam 93. S. Leonis, affirmant tamen saniori iudicio, praeter laudatum Lupum, Appellationum ad Apostolicam Sedem Vindicem strenuissimum, Sacrorumque Canonum Expositorem eruditissimum, Bellarminus de Rom. Pontifice lib. II. cap. 21. Petrus de Marca lib. III. Concordiae cap. 3. aliique viri doctissimi: qui id demonstrant ex eiusdem Theodoriti ad S. Leonem Magnum epistola, in qua Apostolicae Sedis sententiam, iudiciumque interpellat; ex Collectione Canonum ab eodem Theodoreto exornata, ubi recensentur etiam Canones Sardicenses, in vetustis Graecorum Collectionibus praetermissi, propterea quod Theodoritus innixus eorumdem Canonum auctoritati, appellavit ad Petri Cathedram; ex Concilio demum Chalcedonensi, a quo non alia ratione reclamantibus Aegypti Episcopis Theodoretus receptus fuit, & Sedi suae restitutus, nisi quia eumdem receperat, eique Episcopatum restituerat Sanctissimus Pontifex Leo; quemadmodum constat ex Actis eiusdem Concilii Chalcedonis, suo loco expendendis.

IV. *De Theodoreti eruditione.*

IV. Nunc enim absolvenda est dissertatio, perpaucis circa Theodoriti Eruditionem adiectis. Ac de floridissimo illius stilo, de elegantia, quae Attica dici meretur, de methodi facilitate, & diligentia, qua omnem ambiguitatem, & digressionem evitat, ceterisque Eruditionis dotibus & ornamentis, locupletissimum testem habemus Photium Codice 203. Quid vero dicam de Theodoriti in sacros divinosque Libros praestantissimis Commentariis, in quibus latinitate donandis Ioannes Pius, Gentianus Hervetus, Franciscus Zinus, Antonius Caraffa, Ioannes Baptista Gabius, aliique docti Viri summa cum laude insudarunt? Quid de libris Ecclesiasticae Historiae, de Philotheo, seu Historia Religiosa, de Opere Haereticarum Fabularum, Cassiodori, Gennadii, Theodori Lectoris, Evagrii, Nicephori Callisti, Eustathii, ac plurimorum aliorum ore laudatissimis? Quid de Confutatione haereticorum, quos agitavit in Eraniste & Polymorpho, in Sporacio, in Dialogis, in libris adversus Arianos, Macedonianos, & Apollinaristas? Quid demum de Epistolis supra quingentis, quarum etiamnum habentur 146. & Orationibus decem de providentia, quibus, in hoc argumento, nil unquam aut eloquentius, aut felicius, aut Graece, aut Latine elucubratum fuisse censent qui de Scriptoribus agunt Ecclesiasticis? Haec de Theodorito, quem Hervetus connumerat inter primos Ecclesiae Patres, Scaliger appellat optimum antiquorum Theologorum, Callistus Graecorum eius aetatis longe doctissimum; plurimumque commendant Sirmondus, Fabricius, Pope Blount, Caveus, Oudinus; quamquam verissimum est, quod ait in Hist. Crit. Vet. Test. Rich. Simon, ut nihil inter mortales est ex omni parte beatum, ita nec Theodoritum ab omni naevo fuisse immunem.

Pertractatur de Fide Theodoreti.

I. ENUMERANS, Viri ornatissimi, praecedenti lucubratione, & laude multa cumulans Scripta Episcopi Cyrensis Theodoriti, nequaquam ea laudare cogitaveram, quae adversus Cyrillum, & Ephesinam Synodum edidit, forte ob ingenii specimen, & stili elegantiam auctore suo non indigna, at certe ob argumentum, librorumque scopum magnopere vituperanda. Loquor de Opere inscripto, *Reprehensio Anathematismorum, seu XII. Capitulorum Cyrilli*, scriptum anno 430. non, ut permulti existimarunt, post Synodum Ephesinam; cuius Operis nec ipse Theodoretus mentionem facere ausus est, quamvis scripta sua enumeret in Epistolis ad Eusebium Ancyranum Episcopum, ad S. Leonem Papam, & ad Monachos Constantinopolitanos, quippe sibimet conscius erat, se ob *Reprehensionem* illam fama pessima laborare. Loquor de opere alio, quod exaravit anno 432. & inscripsit Theodoritus, *Pentalogium, seu Libri V. de Incarnatione adversus Cyrillum, & Synodum Ephesinam*; quam Lucubrationem, ut supra diximus, Marius Mercator ait *Diabolo instigante* fuisse conscriptam, & in qua impugnatam fuisse Fidem Catholicam, testantur Patres Quintae Synodi, & S. Gregorius Magnus. Loquor demum *de Apologia*, quam Theodoritus exaravit *pro Diodoro Tarsensi, & Theodoro Mopsuesteno* magistris Nestorii, quae Apologia, licet perierit, a se tamen compositam idem Theodoritus affirmat in Epistola 16. ad Irenaeum Episcopum Tyri. Quis autem huiusmodi scripta, quae diu turbarunt Ecclesiae pacem, traditisque igni libris Nestorii, illius gregariis prora & puppis fuere, poterit non dico commendare, & excipere, sed quodammodo tolerare? At, erit ergo Theodoretus Nestorianis haereticis adnumerandus, modo inquit vestrum aliquis: cui ad hunc plane modum respondendum existimo. CAPUT X.

II. Sunt profecto permulta, eaque non levia momenta, quibus Theodoreti fides in suspicionem venit, ac videtur Nestoriano dogmate labefactata. Neque enim levis est suspicandi causa Theodoritum a pueritia Nestorii consuetudine usum, eodemque Theodoro Mopsuesteno, qui Pelagio, & Nestorio praelusit, institutore, ac magistro, disciplinis imbutum fuisse in monasterio Euprepii: hanc semper coluisse amicitiam: simulata cum Cyrillo pace, ipsi tamen vita functo verbis, scriptisque insultasse; Ephesinos Patres traduxisse tamquam addictos haeresi Apollinaris, librosque perniciosissimos, quos nuper commemoravimus, edidisse. Quid enim ad aliquid damnandum efficacius, quam scelestissimorum hominum consuetudo, familiaritas, patrocinium, & clientela? Suspicionem adauget, quod soluta Synodo Ephesina, Theodoritus assiduis conventiculis curavit illius elevare aucto- II. *Quae videntur demonstrare Theodoretum haereticum Nestorianum.*

ritatem, adeo, ut Imperator Theodosius de Theodorito scripserit ad Eutrechium Praefectum: *Quoniam ille Civitatis Cyri Episcopus assidue congregat Synodos, turbatque ea re Orthodoxos, da operam congruenti moderatione, & prudentia, ut is Cyro se contineat, nec ad aliam civitatem proficiscatur*: quae eiusdem Augusti manu fuisse conscripta, fatetur ipse Theodoretus Epistola 8. Gravius est, quod anno 451. cum Theodoretus nominatim accersitus ad Synodum Chalcedonensem, propterea quod auctoritate S. Leonis Magni, & Marciani consensu Sedi suae fuerat restitutus, VIII. Idus Octobris una cum aliis Patribus consedisset; diu obstiterunt Episcopi Aegyptii, Illyrici, & Palaestini, vociferantes non posse Theodoretum recipi, nisi damnetur Cyrillus, esse illum magistrum Nestorii, Iudaeum impugnatorem Divinitatis Christi, reprobatum a Deo, anathematizatum ab Ephesina Synodo Vniversali. Missis denique aliorum testimoniis, annon eiusdem Theodoriti verba eum manifestae impietatis convincunt? In Confutatione primi Anathematismi S. Cyrilli aperte negat beatam Virginem peperisse Deum carnem factum. Cum secundum oppugnat, negat in Christo duas naturas καθ' ὑπόστασιν esse coniunctas: differens adversus quartum inficiatur unicam reperiri in Christo ὑπόστασιν, seu personam. Contra decimum insurgens, non admittit hanc enuntiationem, *Deus pro nobis passus & mortuus est*. Quid detestabilius, quid horribilius evomuit blasphemus, delirusque Nestorius?

III. *Theodoretum quaedam stilo nimis acerbo scripsisse.*

III. Mallem, Viri humanissimi, tam perdifficilis causae spectatorem esse, quam iudicem: si enim lis adhuc pendet, post dissertationes Garnerii in Auctario, Norisii in Dissert. de Quinta Synodo, Lupi in Scholiis ad Synodos Ephesinam, & Chalcedonensem, Dupinii in Nova Bibliotheca, Natalis Alexandri dissert. 6. in Hist. Eccl. VI. Saeculi, aliorumque eruditissimorum Virorum; haud sperare fas est, posse illam a me, nullius fere auctoritatis homine, definiri. Sed eam tamen ita distribuam, discernamque, ut iudicio nunc proferendo possit quilibet amator veritatis acquiescere. Ac principio Theodoritum nimio in Sanctum Cyrillum, & Ephesinos Patres odio, & livore excanduisse. Quis enim aequo animo patiatur quae de Cyrillo in Ecclesiae communione defuncto Theodoritus ait in Concione praesente Domno habita Antiochiae, a Cyrillo homines compulsos ad blasphemandum, & ad credendum in Deum genitum in Virgine, & crucifixum; & cum morte Cyrilli, finitam contentionem, extinctam invidiam, haeresim consepultam? Quis patiatur, quae in *Pentalogio* Theodoritus scribit alloquens Ephesini Concilii Patres? *Tantum valuit invidia, cui vos mancipastis, ut quae olim per unum, aut duos, eosque latentes, Apollinaris loquebatur, haec nunc per multos Ecclesiae Praesules congregationibus Ecclesiarum sacris exhibeat; & tales herbae per Pastores gregibus offerantur, luporumque morsus, rectorum ministerio, rationabilibus ovibus infligantur*. Eadem ratione notari de-

debent quae contra Cyrillum, contra Synodum Ephesinam, contra Theodosium Augustum, Theodoretus scripsit ad Andream Episcopum Samosatensem, atque ad ipsum Nestorium, querelas ingeminans, hunc inique damnari, resurgere ac triumphare haeresim Apollinaristarum, periclitari Ecclesiam, Fidemque Orthodoxam.

IV. Deinde affirmo, non esse omnino temerariam, & improbabilem opinionem illorum, qui aiunt Theodoritum aliquando consensisse Nestorio: quid enim haeresiarcha iste commentus est? Mariam non esse Θεοτόκον, Verbum Deum non esse natum, & passum, non esse unum καθ' ὑπόστασιν? Id quoque, ut diximus, commentus est Θεοδώρητος. Qua ratione explicabat Nestorius hypostaticam unionem? Exemplo vestis, qua induimur; domus, quam inhabitamus; Templi, ad quod accedimus, duorumque coniugum, de quibus scriptum est, *Iam non sunt duo, sed una caro?* Eadem exempla Theodoritus adhibuit. Quibus momentis innitebatur Nestorius? Aiebat nefas esse absque persona asseverare substantiam, imperfectam fore absque hypostasi naturam humanam, impium esse dicere Christum hominem propria subsistentia exspoliatum. His momentis nititur Theodoritus *in Pentalogio*. Absit ergo, ut illum semper Orthodoxe locutum fuisse arbitremur. Id negat Marius Mercator, negat Vigilius Papa, negat Pelagius II. negat Gregorius Magnus, negat Liberatus Diaconus, negant Quinta, Sexta, ac Septima Synodus, negant innumeri alii, quorum testimonia illustrat eruditis adnotationibus diss. 3. Auctarii Garnerius.

IV. *Demonstratur gravissimam esse de Fide Theodoreti suspicionem.*

V. Haec tamen, aliaque plura, licet gravissima, possunt benigna aliqua interpretatione excusari; non ut suscipiatur Scriptorum Theodoriti patrocinium, id namque vetat Quinta Synodus Canone 13, sed, ut illum errasse dicamus sinistra verborum Cyrilli, & Ephesinorum Praesulum intelligentia. His enim obiiciens haeresim Apollinaris, eorumque definitiones oppugnans, credi potest illum duntaxat errorem insectari, quem postea propugnavit Eutyches prolapsus in haeresim oppositam Nestorianae, duarumque naturarum adstruens confusionem: hoc enim subdit: revera Maria non est Dei Genitrix, quia non peperit divinitatem; nec Christus est unus, quia Divinitas non est humanitas: sed Maria est Dei genitrix, & Christus est unus ratione hypostasis, sive subsistentis in duplici natura personae. Excusari etiam potest Theodoritus quod negaverit Christum esse unum καθ' ὑπόστασιν, siquidem hoc τῆς ὑποστάσεως vocabulum pro *natura* acceperunt complures Veterum. Nec dicat aliquis, posse hac ratione excusari etiam Nestorium, hic enim docuit Christum, cum nudus homo fuisset, evectum profectu virtutis ad consortium divinitatis, ideoque nec spectata ratione personae Mariam existimavit Θεοτόκον, nec substantialem unionem agnovit inter divinam humanamque Christi naturam, cum Theodoritus, ubicumque de Incarnatione loquitur, semper Christum verum Deum, verumque hominem fateatur.

V. *Qua ratione videatur Theodoretum posse excusari.*

VII. *Theodoritus tandem Orthodoxus ostenditur, & acclamatur.*

VI. Sed tandem (quidquid senserit olim) Theodoritus Orthodoxam fidem professus est. Enim vero S. Leo ipsum in communionem recepit, & Sedi suae restituit, eumdemque Synodus Chalcedonensis magno omnium plausu Catholicum pronuntiavit. Vbi enim in hanc fidei confessionem erupit; *Anathema Nestorio, & ei qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium unigenitum*, & subscripsit definitioni Fidei, & Epistolae S. Leonis Magni; Iudices effusissima gratulatione dixerunt: *Omnis iam dubitatio de Theodoreto reverendissimo Episcopo soluta est, quippe & Nestorium coram vobis anathematizavit, & a Sanctissimo, & Dei amantissimo senioris Vrbis Romae Leone susceptus est, & definitionem fidei a religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper Epistolae memorati Sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur, ut sententia proferatur a reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & Sanctissimus Leo Episcopus iudicavit.* His autem Antistites omnes, universo plaudente coetu, acclamarunt: *Theodoretus dignus est Sede: Ecclesia Pastorem recipiat: Orthodoxum Doctorem Ecclesia recipiat; Theodoretus dignus est Sede.* Quae pro fide Theodoriti illustriora sunt iis, quae pro eius haeresi superius producebantur.

De Vita, doctrina, ac sanctitate Ioannis Cassiani.

CAPUT XI. I. AUDIVISTIS, Viri ornatissimi, Exercitatione antecta Episcopum Constantinopolitanum Nestorium, auctorem haeresis, quae ab illo nomen accepit, post S. Cyrilli Alexandrini certamina, post Synodi Ephesini definitiones, post Caelestini, Leonis Magni, & Theodosii Augusti rescripta, ab ipso quoque Theodorito, Episcopo Cyri, qui pro eodem Nestorio exsilia, plurimorum simultates, suique nominis infamiam subierat, tandem aliquando derelictum, eiectum, anathematizatum. In ipsum Nestorium stilum quoque exercuit celeberrimus inter Ascetas & Monachos Cassianus, ut quem Theodorus Mopsuestenus in monasterio Euprepii perniciosis doctrinis imbuerat, Monasterii Massiliensis Fundator & Abbas, aut revocaret ad frugem, aut maiori afficeret ignominia: Sed quoniam Cassianus ille est, quem plurimi Semipelagianorum ducem & antesignanum fuisse contendunt, nonnulli autem vindicare, & ab omni errore purgare student, constitui illius laudes prosequi, & Vitae eius synopsim, doctrinam, & sanctitatem proponere, priusquam naevos enarrem; ne quispiam putet a me summorum virorum obscurari merita, & errores tantummodo patefieri.

II. *De patria Cyrilli.*

II. Ioannis Cassiani controvertitur patria, nam iis, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt, inter quos Gerardus Ioannes Vossius

lib. II.

lib. II. de Historicis Lat. cap. 17. & Vilelmus Caveus in Sec. Nestoriano, Cassianum fuisse tradunt natione Scytham; Ioannes Baptista Guesnaius S. I. presbyter eruditus, qui an. 1652. typis Lugdunensibus in lucem emisit *Cassianum illustratum*, Cherronesum fuisse contendit, ortum scilicet in Vrbe Tauricae, exilio S. Clementis, huiusque morte, percelebri: Auctor Chronici Monasterii S. Victoris Massiliae non procul ab Athenis natum existimat; Petrus Lambecius ex variis Graecis Codicibus Romanum fuisse censet, quae fuit etiam sententia Photii: At Lucas Holstenius cap. 3. Praefat. ad Regulas Monachorum, Cassianum in Gallia apud Provinciam in lucem editum arbitratur. Holstenii sententiam ceteris ducimus praeferendam, propterea quod idem Cassianus Coll. 24. scribit, se olim ad *repetendam Provinciam & revisendos parentes quotidianis acrius aestibus exstimulatum*, ibique Maiorum suorum avitam possessionem describens, commendat regionis amoenitatem, & secreta silvarum, quae Monachum delectare possent, & etiam victus praebere alimonia, quae Massiliensibus quidem, aliisque Provinciae recessibus quadrant, non autem Scytharum desertis rigidissimis atque adsperrimis. Atheniensem autem Cassianus aperte se negat lib. 1. de Institutione Coenobiorum cap. 6. quamobrem ad conciliunda veterum testimonia hanc viam puto esse ineundam, ut Scytha a nonnullis dictus sit, quod in Galliis introduxerit Scytharum Monachorum instituta, a Photio autem, aliisque Graecis Romanus, quoniam Romana, idest, Latina lingua libros conscripserit.

III. Quidquid vero de Cassiani patria censeatur a Guesnaio, dicitur litteris excultus in Academia Atheniensi una cum Germano: quod procul distat a vero; siquidem ipsemet Cassianus Collat. 1. testatur se cum Germano habuisse individuum contubernium iam in coenobio, quam in eremo, ab ipso tyrocinio, & rudimentis vitae spiritualis; idest, non in Vrbe Athenarum, sed in coenobio Bethleemitico: ubi Cassianum professum fuisse Monachorum vitam, testatur etiam vetus inscriptio Collationum apud Vossium cit. in loco, *Sanctorum Patrum Collationes, auctore Ioanne Monacho Bethleemitico, qui etiam Cassianus dictus est*. E monasterio utique Bethlemi Germanus & Cassianus simul Constantinopolim ad S. Ioannem Chrysostomum pervenerunt, cum is ad eam Sedem anno 398. fuisset evectus: eoque magistro Cassianus se plurimum profecisse fatetur cap. ultimo libri VII. de Incarnatione, grati animi significatione discipulis in exemplum proponenda, eiusdem Chrysostomi amplissimam dignissimamque laudationem complexus. Vbi etiam Ioannes Chrysostomus furore Eudoxiae pulsus fuit in exsilium, ambo Germanus & Cassianus ad S. Innocentium Romanum Pontificem legati venerunt, nomine Cleri Constantinopolitani, ut constat ex litteris Innocentii ad eumdem Clerum, necnon ex litteris ad Innocentium S. Ioannis Chrysostomi scriptis an. 404. Mortuo autem Chrysostomo in exsilio an. 407. die 14. Septembris, in patriam reversus est,

III. *Cassiani Monachatus.*

est, non, ut Caveus aliique scribunt, post Romam anno 410. devastatam a Gothis.

IV. *Reliqua ad Cassiani vitam pertinentia.*

IV. Cum autem Cassianus Massiliam pervenit, duo ibidem condidit monasteria virorum, unum prope Vrbem, nunc S. Victoris appellatum, & Monachorum S. Benedicti religiosissimum domicilium; alterum Monialium sub nomine S. Cyriaci, nunc S. Salvatoris, situm intra moenia eiusdem Vrbis; de quibus Monasteriis plura narrant Fratres Sammarthani in Gallia Christiana, Volumine 4. In Monasterio virorum habitasse simul quinque millia monachorum scribit Guesnaius, Chronici eiusdem Monasterii verba producens, quae tamen videntur eruditis viris fidem excedere, quod nunquam monasterii Cassiani celebritas & amplitudo comparari potuerit Coenobio Lirinensi, in quo longe minor monachorum numerus alebatur. Sed quae certis monimentis adstruere non valemus, ea nec falsa, nec vera possumus definire. Sane in Monasterio Massiliensi Cassianus pietati, litterisque se dedit, usque ad annum obitus sui, iuxta Trithemium 435. iuxta Guesnaium 448. iuxta Norisium denique, prorsus incerto, sed tamen Theodosio & Valentiniano imperantibus.

V. *De Cassiani scriptis, ac sapientia.*

V. Reliquit autem Cassianus praeclara ingenii sui monumenta, inter quae eminent omnium consensu libri 24. Collationum, quas habuerunt inter se Aegyptii Patres, conscripti anno 432. ut adnotavit Conradus Abbas Vrspergensis: hosque libros S. Antoninus Arch. Flor. 2. p. Hist. tit. 10. cap. 10. appellat *Vitas Patrum in Aegypto compertas*. Decem priores Collationes Patrum in Scythica Eremo commorantium inscripsit Leontio Episcopo Forojuliensi, & Helladio Monacho: septem, quae sequuntur, Honorato, & Eucherio Monachis Lirinensibus; reliquas septem Iovin ano, Minervio, Leontio, ac Theodoro, monachis in Staecadibus. Scripsit & libros duodecim, quatuor de Institutis coenobiorum, & octo de Vitiis Capitalibus ad Castorem Aptensem Episcopum, necon libros septem de Incarnatione adversus Nestorium circa annum 430. hortante S. Leone Magno, tunc Romanae Ecclesiae Diacono. Horum operum Cassiani pretium, praesertim Collationum, inde colligitur quod in Graecam linguam non semel fuerint conversa, & in Epitomen quoque redacta, ut constat ex Lambecio in Catalogo librorum Bibliothecae Caesareae Vindobonensis. Cassiani autem Institutiones Photius Codice 197. vocat utilissimas iis, qui cupiunt asceticam inire vitam, opus numeris omnibus absolutissimum, & cui magna vis, & quasi divinitas insit. Gennadius item de Script. Ecclesiasticis cap. 61. ait Cassianum libros conscripsisse, *experientia magistrante, plano & librato sermone*; & S. Prosper in Chronico ad annum 433; inquit: *Ioannes Monachus, cognomento Cassianus, Massiliae insignis & facundus scriptor habetur*: quamquam non desunt viri eruditi, qui haec Chronico Prosperi aliena manu inserta opinantur, eoquod Prosper in libris contra Collatorem, vehementer Cassianum

num exagitet, atque haec opinio comprobari potest codicibus antiquioribus: in quibus praedicta verba desiderari animadvertit doctissimus Arnaldus Pontacus. VI.

VI. Nec singularis tantum sapientia, & monasticha Vita, verum etiam fama sanctitatis Cassiani nomen extollit. In Sanctitatis Cassiani argumentum profertur 1. quod in lib. 8. Epist. S. Gregorii Magni legitur Epistola 12. ad Respectam Abbatissam Massiliensem, in qua laudatur *Monasterium in honorem S. Cassiani consecratum*; quamvis pro S. Cassiani, *S. Salvatoris* legendum esse quidam contendant. Deinde asseritur Vrbanum V. iussisse, ut caput Cassiani theca includeretur argentea, eique haec apponeretur epigraphe, *Caput Sancti Cassiani*. Praeterea Cassiani Festum quotannis colitur in Civitate Massiliensi, die 23. Iulii, eique praecum officia solemni ritu persolvuntur; & ante eius sepulcrum lampas diu noctuque lucet accensa. Hinc vos inferre velim qualem de nobis, & de universa Augustiniana Schola, concipere existimationem debeatis. Propugnamus nos, hunc Cassianum fuisse Semipelagianum; iure ne, an autem iniuria, expendemus lectione proxima. Sed vos testes appello adversus illos, qui nos Cassiani merita parvi pendere, & obscurare, mendaciter iactitant: vos, inquam, testes appello, qui me hodie summa cum laude narrantem Cassiani institutum, sapientiam, ac sanctitatem, audistis. *De Sanctitate Cassiani.*

De Cassiani Semipelagianismo.

I. ET commendavi, Viri humanissimi, lucubratione praeterita, & commendo rursus Ioannis Cassiani Collationes, & Institutiones Coenobiorum. Neque enim me fugit, summopere praedictas Collationes laudari a S. Benedicto, a Ioanne Climaco, a Petro Damiani, a Thoma Aquinate, aliisque a me commemoratis lib. xv. Theol. Discipl. cap. 3. Addo nunc, lectione earumdem Collationum S. Fulgentium, postea Ruspensem Episcopum, tanto solitariae vitae desiderio exarsisse, ut, cum opus illud perlegeret, & assidue pervolutaret, statuerit ad Aegyptios, Scythasque Monachos convolare, ut illorum frueretur contubernio, & institutum amplecteretur, quamvis Deo aliter disponente, voti sui minime compos effectus fuerit: unde in Fulgentii Vita scripta ab auctore Synchrono, eiusque discipulo habetur: *Subito beatus Fulgentius Aegyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, Institutionum simul, atque Collationum, spiritali meditatione succensus, memoratas terras navigio petere statuit*. Attamen in Cassiani Collationibus tradi & comprehendi Semipelagianorum errores, sententia est clarissimorum virorum, eaque verissima, prout ostendam CAPVT XII.

hac

hac velitatione, quae pro Cassiano, quae contra Cassianum faciunt, enarrans, & expendens.

II. *Discutiuntur quae afferri solent pro doctrina Cassiani.*

II. Cassianum igitur a Semipelagianorum errore immunem fuisse inferunt nonnulli ex illius Sanctitate, de qua diximus superiori Cap. atque ex nuper commemorata Collationum & Institutionum eius praestantia. Quomodo enim percipi potest (inquiunt) quod religioso cultu inter Sanctos honoretur qui damnatis haereticis adnumeratur, & tantis laudibus celebrentur illius scripta, in quibus refarta dogmata comprehenduntur? Sed hoc primum pro Cassiano momentum infirmissimum est, & nullius prorsus roboris. Neque enim aetate Cassiani Semipelagianorum asserta proscripta fuerant expressa aliqua Ecclesiae definitione, ut contigit Sedente Felice IV. in Synodo Arausicana: Ac neminem latet plures fuisse sanctitate clarissimos, qui inculpate erroribus adhaeserunt, qui postmodum ab Ecclesia fuerunt damnati, ut Iustinus & Irenaeus Millenariis, Quartadecimanis Papyrius, & Traseas, Rebaptisantibus Firmilianus & Cyprianus, & ne aliunde, quam ex Semipelagianorum historia reperam exempla, iisdem Cassiani erroribus Faustus Reyensis Episcopus, & Vincentius Monachus Lirinensis. Nec repugnat ipsius Cassiani libros utilissimos esse in iis, quae attinent ad monachorum institutionem, cuius rei causa a religiosissimis viris habentur prae manibus, & summopere laudantur, & in aliquo dogmate a recta deflectere, meritoque hac in parte reprehendi.

III. *Praecipui defensores Cassiani recensentur, eorumque exploditur auctoritas.*

III. Defenditur praeterea Orthodoxias Cassiani quorumdam Theologorum testimonio; praesertim vero Henrici Cuychii, Possevini, Thomae Pii, quique ceteris acrius pro Cassiano pugnavit, Ioannis Baptistae Guesnaius, Iesuitae omnes, quorum forte interest pro Cassiano inire certamen; siquidem in celeberrimis Congregationibus de Auxiliis praecipua controversia fuit, *An Doctrina Molinae cum Doctrina Cassiani conveniat*. Iesuitae tamen reliqui viam aliam ad excusandum Cassianum inierunt. Rodericus enim de Arriaga in errorem lapsum fatetur, sed ex ignorantia invincibili. Franciscus Ovviedus retractasse ait priorem opinionem; & Ioannes Mariana scribit, Cassiani dicta de gratia & libero arbitrio a viris eruditis defendi quasi pietati consona, nec deflexa a fidei regula sancta. Horum tamen auctoritas longe maiori auctoritate subruitur, Iesuitarum quoque Scriptorum, Cardinalis Bellarmini l.b. vi. de Gratia, & l.b. arb. cap. 4. Francisci Suarez Prolegomeno 5. de Grat. cap. 5. & Dionysii Petavii, in Hist. Pelag. cap. 10. Immo Guesnaius, erumpente ex invito pectore veritate, cum falso scripsisset, *Prosperi, & Cassiani communem contra Semipelagianos fuisse militiam*, ait lib. II. cap. 12. *Prosperum ab Augustini zelo incalescente commotiorem*, stilo adversus Collatorem velitatum esse: ideoque Patroni illi Cassiani e Schola Molinae profecti, ut parum sibi constantes, atque a suismet derelicti, causam hanc inani irritoque conatu patrocinantur.

IV. Non

IV. Non agunt feliciori exitu Cassiani partes recentiores nonnulli, a quorum nomine satius duco esse abstinendum; qui cum negare non audeant, in Collatione 13. quae appellatur *Chaeremonis*, contineri praecipuam Semipelagianorum assertionem, (siquidem ibidem legitur, *per naturae bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia*) aiunt haec non esse Cassiani verba, sed Abbatis Chaeremonis, Cassianum vero referre illa tantummodo, non probare. Sed praeterquamquod eadem Cassianus repetit postremo libro Instit. Coenobiorum cap. 14. amplioribus quoque verbis, & maiori energia; aperte demonstrat S. Prosper cap. 2. adv. Collatorem, a Cassiano Chaeremonem quidem introduci de Gratia, & de libero Arbitrio disserentem, sed ostendi etiam, illius Abbatis *Sententiam Cassianum per omnia probasse, ac suscepisse*. Ac praeterea videtur mihi haec ad purgandum Cassianum tantumdem valere, quantum ad excusanda, quae in centum eloquentissimi Florentini Scriptoris Tabulis leguntur, plus aequo liberiora, ac turpia, valere possunt, quae lepide ipse profert, non potuisse se aliter fabulas illas narrare, quam ut a Dionaeo, ceterisque narratae fuerant. Quamobrem quidquid producitur in defensionem Cassiani, ludicrum, elumbe, fractumque esse conspicitur.

IV. Recentiorum pro Cassiano excusatio rejicitur.

V. At non ita profecto, quae adversus Cassianum solent proferri. Si velimus Veterum testimonia colligere, nullus erit differendi finis: ideoque illustriora tantummodo recitabimus. S. Prosper impugnasse Collationes Cassiani nullus ignorat, & Cassiani defensores nil habent quod reponant, nisi quae de Prospero scribit Gennadius in Catalogo illustrium Virorum: *Legi librum adversus Opuscula Cassiani, quae Ecclesia Dei salubria probat, ille infamat ut nociva*. At cum ipse Gennadius Semipelagianismi suspicione non careat, eumdemque Semipelagianum fuisse tradant Baronius ad ann. 488. Bellarm. de Script. Eccl. Norisius lib. II. H. P. cap. 16. aliique sexcenti; quis pro Semipelagiano Semipelagiani testimonium recipiet, praesertim adversus Prosperum, de quo Ecclesia in Fastis SS. die 25. Iunii affirmat, *eruditione, & pietate insignem adversus Pelagianos pro fide Catholica strenue decertasse?* At mittamus etiam beatum Prosperum. Quid de Cassiano scribit Cassiodorus lib. de Divinis Instit. cap. 29. inquit: *Cassianum tamen de libero arbitrio a beato Prospero iure culpatus est, unde monemus, ut in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis*. Quid Thomas Braduardinus? Is lib. I. de Causa Dei cap. 4. monet Cassiani *sententias esse haereticas & Pelagiano veneno praegnantes*. Quid Ado Episcopus Viennensis? Ado in Chronicis ad annum 425. ait: *Opera Cassiani cautissime a Catholicis legenda, maxime de libero Arbitrio, & de Gratia*, Quid Cardinalis Baronius? Baronius ad an. 433. *Falli certo scias* (inquit) *qui ex eo quod prae manibus habetur Collationum liber Cassiani, defendunt ipsum fuisse omni*

V. Semipelagianismus Cassiani multiplici testimonio probatur.

tum ex parte Catholicum. Infinitus forem si omnia adversus Cassianum testimonia proferre vellem. Laudavi paullo supra Bellarminum, Suaresium, Petavium. Addo modo Vossium, Norisium, Pagium, Gonzalez, Habert, Tournely, verbo dicam, Historicorum, & Theologorum partem nobiliorem.

VI. *Quo sensu S. Gelasius opuscula Cassiani declaraverit apocrypha; aliaque, quibus illius Semipelagianismus evincitur.*

VI. Ad tam multa, ac tam gravia contra Cassianum testimonia accedit, S. Gelasium in Synodo Romana retecisse inter apocrypha *Opuscula Cassiani praesbyteri Galliarum*: Cum vero Gelasius opuscula Cassiani non declaraverit *apocrypha*, quod sint auctoris ignoti, nec quod habeant parem cum Scripturis Canonicis auctoritatem; quoniam hoc sensu dicerentur apocrypha etiam scripta Prosperi, aliorumque Sanctorum, quae tamen a Gelasio recipienda, & non apocrypha declarantur; consequens est, Opuscula Cassiani dici *apocrypha*, quod non sint labis, & damnati erroris immunia: unde Cl. Bellarminus cit. cap. 4. libri vi. de Grat. & lib. Arb. ait: *Non enim alia de causa opera Cassiani, & Fausti, quae alioquin multa valde utilia continent, in apocryphis numerantur, nisi propter sententiam istam de bonis operibus ad pietatem pertinentibus, quae illi sine adiutorio Gratiae fieri, aut incohari posse disputabant*. Ob illam ergo Gelasii definitionem videtur mihi, ut libere dicam quod sentio, non posse Cassiani patronos a nota temeritatis excusari. Et revera cum anno 1619. Thomas Pius, aut quisquis sub hoc nomine latuit, propugnasset hanc propositionem, *Cassianus non fuit Semipelagianus, nec in eius libris reperitur aliquod, quod sit Pelagianum aut Semipelagianum;* haec propositio a Generali Hispaniarum Inquisitione proscripta fuit, tanquam falsa, temeraria, & haeresis Semipelagianorum fautrix; ut narrat Ioannes Gonzalez Controv. 4. de Grat. art. 10. §. 1. Sed quid longiori vos detineam dissertatione, quando Cassianus Collat. 13. & lib. ultimo de Instit. Coenobiorum disertissime docet, principia bonae voluntatis aliquando e naturae bono prodire, & a Deo perduci ad consummationem virtutis; misericordiam & gratiam Dei conferri laborantibus; Deum praesto esse ut misericorditer det quod petimus, aperiat quod pulsamus, & faciat inveniri quod quaerimus, sed occasione tantummodo sibi a nobis oblata bonae voluntatis? quae iisdem verbis dicuntur a Cassiano, iisdemque verbis damnantur Canone 6. Synodi Arausicanae. Nequit igitur Cassianus ab errore Semipelagianorum aliqua, vel minima, ratione purgari.

Cetera ad quintum Ecclesiae Saeculum spectantia in sequenti Volumine proferentur.

FINIS.

DISSERTATIONVM HISTORICARVM

QVAE IN HOC TERTIO VOLVMINE CONTINENTVR

RERVMQVE NOTABILIVM

QVAE IN EISDEM DISSERTATIONIBVS INVENIVNTVR

I N D E X.

IN HISTORIAM QVARTI SAECVLI.

DISSERTATIO I. De Sacrosancta Nicaena Synodo. pag. 3.

Cap. XVIII.

III. De

DISSERTATIO II. DE CONSTANTINO MAGNO IMPERATORE.

V. O-

DISSERTATIO III. DE S. ATHANASIO pag. 174.

IV. De

V. Ex-

DISSERTATIO II. DE IIS QVI PELAGIANOS REFVTARVNT ET PROSCRIPSERVNT. pag. 296.

DISSERTATIO III. DE PRAECIPUIS PELAGIANORUM ERRORIBUS. pag. 326.

DISSERTATIO IV. DE ROMANO PONTIFICE CAELESTINO ET DE HAERESI NESTORIANA. pag. 342.

VII. A.

DISSERTATIO V. DE S. CYRILLO ALEXANDRINO, THEODORETO CYRENSI, ET CASSIANO. pag. 365.

II. *De*